STATE LIBRARY OF PENNSYLVANIA
3 0144 00376611 0

SR
CLASS 878.4 BOOK L76

VOLUME 2

PENNSYLVANIA
STATE LIBRARY

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

LIBRI QUI SUPERSUNT.

VOL. II.

c

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
This project is made possible by a grant from the Institute of Museum and Library Services as administered by the Pennsylvania Department of Education through the Office of Commonwealth Libraries

https://archive.org/details/vol2titiviipatavi00livy

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

LIBRI QUI SUPERSUNT,

EX EDITIONE G. A. RUPERTI

CUM SUPPLEMENTIS

NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

INDICE LOCUPLETISSIMO

ET

GLOSSARIO LIVIANO

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN SECUNDUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1828.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER III.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Tribuni iterum agitant legem agrariam adjutore Tib. Æmilio consule: sed hujus collega Q. Fabius concordiam tuetur dato consilio coloniæ Antium deducendæ. 2. 3. Q. Fabius II. cos. devincit Æquos, qui ad Urbem quoque terrorem pertulerant. Censa civium capita 104214. præter orbos orbasque. 4. Ecetra et Antium deficiunt ad Æquos. Ab his Sp. Furius Fusus consul pulsus in castris obsidetur: quibus subsidio pro consule T. Quintius mittitur cum Latino Hernicoque exercitu. 5. Furius, eruptione e castris facta, vulneratur, et frater ejus circumventus perit. Castra obsidione liberantur, et fugientes Æqui a Postumio consule, et deinde a Quintio, cæduntur. Portenta, feriæ, et supplicationes. 6. 7. Pestilentia Urbs affligitur. Æqui et Volsci populantur Hernicos, Romanos, Tusculanosque agros. Moriuntur consules multique et nobiles et ignobiles. Supplicationes. 8. Ingentes Æquorum Volscorumque strages editæ.

9. C. Terentillus Arsa trib. pl. rogationem fert, ut quinque viri creentur legibus de imperio consulari scribendis. Absentibus consulibus atrociter in eum invehitur Q. Fabius præf. Urbi. 10. Lucretii cos. triumphus et Veturii collegæ ovatio. Lex Terentilla ab toto relata collegio. Volsci et Æqui rebellant. Tribuni in foro vociferantur. 11. Patres legem et tribuni delectum impediunt. Kæsone Quintio duce sæpe foro pelluntur tribuni et plebs. Ei capitis dies dicitur ab A. Virginio: quo tamen ferocia ac temeritas juvenis magis augetur quam imminuitur. 12. Die demum judicii prensat singulos, et deprecantur pro eo L. Quintius Cincinnatus pater, T. Quintius Capitolinus, aliique necessarii, principes civitatis. 13. Reum præter invidiam premit falsum testimonium M. Volscii Fictoris tribunicii, qui fratrem suum ab eo necatum dicit. Virginius illum in vincula duci, sed reliqui tribuni vades publicos dari jubent. Kæso in exi-

17874

PENNSYLVANIA STATE LIBRARY

lium abit, et pater omnia bona divendere cogitur. 14. Tribunis, quoties de lege agunt, cum ingenti clientium exercitu resistunt Patres juniores, maxime sodales Kæsonis.

15. Exules servique, duce Ap. Herdonio Sabino, nocte Capitolium occupant. 16. Multi variique timores. Tribuni vanam hanc belli imaginem esse putant, ad avertendos ab legis Terentillæ cura plebis animos, et arma poni jubent. 17. P. Valerius Publicola cos. increpat tribunos, et vis ultima imminet. 18. Tusculani Romanis auxilium ferunt, et pars civium, auctoritate consulis mota, arma capiunt. Capitolium recuperatur; sed Valerius in pugna cadit. 19. In locum ejus sufficitur L. Quintius Cincinnatus, qui assiduis concionibus tribunos plebemque non vehementius quam Patres castigat. 20. Tribuni minantur, se impedituros delectum: sed Quintius eo non opus esse dicit, cum multi in verba Valerii juraverint. Religio Romanorum. 21. Tribuni cedunt; at iidem reficiuntur, quod modo vetitum erat SCto. Hinc et Patres L. Quintium consulem refici cupiunt, qui acerrime in eos invehitur. 22. Q. Fabius Vibulanus III. cos. Volscorum castra ad Antium expugnat. 23. Tusculana arx, ab Æquis capta, ope Romanorum recipitur, et hostes, sub jugum missi, domumque se recipientes, a Fabio ad unum omnes occiduntur. Tum consules populantur Volscos et Æquos. 24. Tribuniciæ actiones. M. Volscio, qui falsus testis in K. Quintium extiterat, dies a quæstoribus dicitur. Lustrum decimum. Capita civium 117319. censa. 25. Æqui bellum denuo inferunt Romanis duce Graccho Cœlio, et legatos Rom. ludibrio habent. 26. Sabini prope ad mœnia Urbis infesta populatione veniunt. Tum plebs nomina dat, reclamantibus tribunis. Castra L. Minucii cos. ab Æquis obsidentur. Hinc L. Quintius Cincinnatus dictator dicitur, et ab opere rustico, cui intentus est, in Urbem deducitur. 27. Is propere delectum habet et Algidum proficiscitur. 28. Circumvallat deinde Æquos, et sub jugum mittit. 29. Prædam omnem suo tantum militi dat, et Minucium jubet legatum esse. Tum dictator triumphat, et judicium habet de M. Volscio, qui damnatus Lanuvium in exilium abit. Egregia pugna C. Naucii cos. cum Sabinis ad Eretum. Iidem tribuni quintum refecti. Capitolium lustratum propter lupos in eo visos.

30. Decem tribuni plebis creati, bini ex singulis classibus. Æqui et Sabini bellum reparant. 31. Annona laboratur. Lex Icilia fertur de Aventino publicando. T. Romilius et C. Veturius coss. prædam ingentem, in Algido partam, vendunt, et damnantur. De legibus convenit, sed earum latores non nisi ex Patribus creari placet. Legati mittuntur Athenas, qui leges Solonis describant, aliarumque Græciæ civitatum instituta juraque noscant. 32. Fames et pestilentia. Redeunt legati cum Atticis legibus. 33. Decemviri legibus scribendis creantur sine provocatione, et soli e magistratibus. Regimen penes Ap. Claudium, et XII. fasces per X. dies penes præfectum juris. Moderatio decemvirorum. 34. Legum X. tabulæ proponuntur perferuntur que comitiis. Duos adjici placet, ut absolvatur corpus juris Rom. 35. Comitia decemviris iterum creandis in trinum nundinum indicta. Eorum habendorum munus injungitur Ap. Claudio minimo natu, et ambitioso, qui semet ipse cum aliis creat. 36. Decemviri

novi Idibus Maiis ineunt magistratum, et subito omnes cum duodenis fascibus prodeunt. Eorum superbia et tyrannis. 37. Duæ legum tabulæ ad decem prioris anni adjiciuntur; sed mentio comitiorum nulla fit. 38. Annus III. decemvirorum. Sabinorum incursio in agrum Rom. et Æquorum in Tusculanum. Decemviri in curiam citant Patres, qui, jam diu haud consulti, tantum non omnes in agris sunt, et conveniunt frequentes. 39. Asperæ sententiæ et vociferationes Patrum, præcipue L. Valerii Potiti et M. Horatii Barbati. 40. C. Claudii et L. Cornelii Moluginensis orationes, precibus, quam jurgio, similiores. In præsentia omnia præter bellum omittenda censent. 41. Decemviri propositum tenent, et delectum habent silentio Patrum. Ap. Claudio et Sp. Oppio imperium in Urbe, reliquis decemviris bellum in Sabinis et Æquis mandatur. 42. Milites Rom. ducibus infensi, ab hostibus vinci se patiuntur. 43. L. Siccius in Sabinis jussu decemvirorum, sed haud inultus, interficitur a militibus. 44. Ap. Claudius Virginiæ, L. Virginii filiæ, stuprandæ libidine capitur, et M. Claudio clienti negotium dat, ut virginem, L. Icilio tribunicio desponsam, afferat in servitutem. Advocati puellæ postulant, ut res integra in patris adventum differatur. 45. Decretum Appii. Icilii cum eo disceptatio. 46. Appius judicium differt in posterum diem, et collegis in castra scribit, ne Virginio commeatum dent. Sed hic eo jam sumto profectus erat, per velociores nuntios certior factus de periculo filiæ. 47. Virginius sordidatus, comitantibus filia, Icilio, matronis, et advocatis, opem Quiritium implorat, et in Appium, vindicias decernentem secundum servitutem, acerrime invehitur. 48. Decemvir, alienatus ad libidinem animo, lictorem mittit, qui summoveat turbam, et viam det Claudio ad prehendendum mancipium. Tum Virginius orat, ut, priusquam filia abducatur, liceat sibi cum ea et nutrice colloqui. Data venia, seducit filiam ad tabernas Novas, et cultro ibi arrepto lanii pectus ejus transfigit. Deinde via ferro facta ad portam pergit in castra. Vociferantur Icilius Numitoriusque, puellæ sponsus et avunculus. Clamitant matronæ. 49. Appius arripi jubet Icilium, quem multitudo ejusque duces, Valerius et Horatius, tuentur. Tandem, fracto animo, profugit in vicinam domum, et Oppius senatum vocari jubet. 50. Motus in castris a Virginio excitus. Exercitus Romam proficiscitur, et Aventinum in montem secedit. Mittuntur eo tres legati consulares; et multitudo conclamat, se non aliis, quam L. Valerio et M. Horatio, daturos responsum. 51. Huic exercitui conjungitur alter in Sabinis, et ab utroque creantur x. tribuni militares, ex his vero duo, qui summæ præsint rerum, M. Oppius et Sex. Manilius. 52. M. Duilio suadente plebs et exercitus in Sacrum montem ex Aventino transeunt. Decemviri, consensu Patrum victi, futuros se in eorum potestate affirmant. 53. Valerius Horatiusque cum plebe agunt de conditionibus reditus, et æquas laudant postulationes, sed supplicia decemvirorum deprecantur. 54. Decemviri abdicant se magistratu, et plebs reversa, Pontifice Max. comitia habente, x. tribunos plebis (Virginium, Icilium, Numitorium, Duilium, C. Sicinium, &c.) creat in pratis Flaminiis, quem postea circum Flaminium appellarunt. 55. Per interregem consules creantur L. Valerius Potitus et M. Horatius Barbatus. Ab his latæ leges: ut, quod tributim plebes jussisset, populum

teneret: ne quis ullum magistratum sine provocatione creaeret: ut, qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset: ut SCta in ædem Cereris ad ædiles pl. deferrentur. 56. Virginius diem dicit Appio. Is provocat ad populum et majorum merita in remp. commemorat. 57. Jussu Virginii in carcerem conjicitur. Latinorum Hernicorumque legati gratulatum de concordia Patrum ac plebis Romam veniunt, et coronam auream in Capitolium ferunt parvi ponderis. Delectus edicitur ad bella cum Sabinis, Æquis, Volscisque gerenda. Leges XII. tabularum in æs incisæ in publico proponuntur. 58. C. Claudius supplicium Appii deprecatur. Hic vero, spe incisa, ante prodictam diem mortem sibi consciscit. Sp. Oppius accusatus in vinculis moritur. Reliqui decemviri et M. Claudius, assertor Virginiæ, exilii causa solum vertunt. 59. Moderatio M. Duilii trib. pl.

60. 61. Æqui Volscique vincuntur a Valerio, 62. 63. et Sabini ab Horatio. Senatus maligne in unum diem supplicationes decernit. Consules, sine auctoritate senatus, populi jussu triumphant. 64. Eosdem tribunos pl. refici vetat M. Duilius, qui comitiis præest, et, tribunis v. creatis, totidem collegas ab his cooptari jubet. 65. Cooptati duo etiam patricii consularesque. Rogatio a L. Trebonio, trib. pl. infesto Patribus, lata, ut, qui plebem Rom. tribunos plebi rogaret, is usque eo rogaret, dum decem faceret. Coitiones tribunorum adversus juniores Patrum oriuntur; et ab his injuriæ fiunt plebi ipsisque tribunis. 66. Dies alicui nobilium dicta, et nova certamina. Hinc Æqui Volscique arma capiunt et populabundi accedunt ad ipsa Romæ mœnia. 67. 68. T. Quintii Capitolini IV. cos. oratio ad populum severissima. 69. Ea non modo Patribus, sed et plebi accepta. Delectus habetur. 70. Volsci Æquique vincuntur. 71. 72. Aricini atque Ardeates, qui de ambiguo agro sæpe bello certaverant, judicem populum Romanum capiunt, isque, reclamantibus frustra consulibus Patribusque, agrum sibi adjudicat, quia P. Scaptius, magno natu homo de plebe, dixerat, eum fuisse finium Coriolanorum, captisque Coriolis jure belli publicum populi Rom. factum.

1. Antio capto, Ti. Æmilius et Q. Fabius consules fiunt.* Hic erat Fabius Quintus, qui unus [1] [a] extinctæ † ad Cremeram genti superfuerat. Jam priore consulatu Æmilius dandi agri plebi fuerat auctor. Itaque secundo quoque consulatu ejus et agrarii se in spem legis erexerant,[b] et tribuni rem,

NOTÆ

* A. U. C. 286.

[a] *Qui unus*] Vide lib. II. c. 50.

† *Unus extinctæ, &c.*] Fictam hanc totius Fabiæ gentis extinctionem ostendimus ex Dionysio ad c. 50. superioris libri. *J. Clericus.*

[b] *Agrarii se in spem legis erexerant*] Agrarii sunt plebeii qui agros sibi ad sublevandam inopiam dari cupiebant. Ideo 'agripetæ' dicti a Cic.

contra consules sæpe tentatam, adjutore utique consule, obtineri posse rati, suscipiunt; et consul manebat in sententia sua. Possessores et magna pars Patrum,[2] tribuniciis se jactare actionibus principem civitatis, et largiendo de alieno popularem fieri querentes, totius invidiam rei a tribunis in consulem averterant. Atrox certamen aderat, ni Fabius consilio neutri parti acerbo rem expedisset. T. Quintii ductu et auspicio agri capti priore anno aliquantum a Volscis esse:[a] Antium, propinquam, opportunam, et maritimam urbem, coloniam deduci posse: ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram, civitatem in concordia fore. Hæc sententia accepta est. Triumviros agro dando creat[3] T. Quintium, A. Virginium, P. Furium. Jussi nomina dare, qui agrum accipere vellent. Fecit statim, ut fit, fastidium copia; adeoque pauci nomina dedere, ut ad explendum numerum coloni Volsci adderentur:[c] cetera multitudo poscere Romæ agrum malle, quam alibi accipere. Æqui a Q. Fabio (is eo cum exercitu venerat) pacem petiere, irritamque eam[d] ipsi subita incursione in agrum Latinum fecere.

[a] *Aliquantum esse agrorum superiore anno in Volscis duce T. Quintio captorum.*

1 Vulg. *Hic erat Fabius, qui unus.* Vid. Not. Var.—2 *Possessores, magna pars Patrum,* sine copula in cod. Harl. pr. apud Drak.—3 ' Editi ante Rhenan. *creant,* et sic quoque Voss. uterque, Rott. [Ms. Veith.] Forte *Hac sententia accepta, triumviros agro dando creant.*' J. F. Gronov. *Creant* forte rectius esse censet et Rupert.

NOTÆ

[c] *Coloni Volsci adderentur*] Tradit Dionys. lib. IX. ad explendum coloniæ numerum Latinos et Hernicos fuisse additos: agrumque a triumviris ita divisum, ut pars Antiatibus Volscis relicta fuerit.

[d] *Irritamque eam*] Post Fabii et Æmilii consulatum, cum Antiatum non pauci, rebus suis exuti, atque ab Æquis ad quos confugerant non illibenter recepti, ascitis Æquorum audacissimis, agros Latinorum latrociniis infestarent, legati Latinorum postularunt a Senatu, aut exercitum ad se mitti, aut sibi arma ad defensionem permitti. Patres maluere tres viros ad Æquos legare, quorum princeps Fabius eorundem victor, qui res repeterent, ac nocentes dedi poscerent. Æqui non publico consilio ea gesta responderunt: negarunt tamen auctores a se dedi posse, qui amissa patria supplices ad se venissent. His cognitis, et simul belli apud Æquos apparatu per Fabium explorato, missi a Senatu feciales,

2. Q. Servilius, in sequenti anno * (is enim cum Sp. Postumio [e] consul fuit) in Æquos missus, in Latino agro stativa habuit. Intra castra quies necessaria [4 f] morbo implicitum exercitum tenuit. Extractum in tertium annum [g] bellum est, Q. Fabio et T. Quintio consulibus. Fabio extra ordinem, quia is victor pacem Æquis dederat, ea provincia data. Qui, haud dubia spe profectus, famam nominis sui pacaturam Æquos, legatos in concilium gentis missos nuntiare jussit: ' Q. Fabium consulem dicere, se ex Æquis pacem Romam tulisse, ab Roma Æquis bellum afferre, eadem dextra armata, quam pacatam illis antea dederat.[5] Quorum id perfidia et perjurio fiat, Deos nunc testes esse, mox fore ultores. Se tamen, utcumque sit, etiam nunc, pœnitere sua sponte Æquos, quam pati hostilia, malle. Si pœniteat, tutum receptum ad expertam clementiam fore: sin perjurio gaudeant, Diis magis iratis, quam hostibus, gesturos bellum.' Hæc dicta adeo nihil moverunt quenquam, ut legati prope violati sint, exercitusque in Algidum [h] adversus Romanos missus. Quæ ubi Romam sunt

4 Vid. Not. inf.—5 ' Propr. legendum *antea dederit*. Sed Livius aliique scriptores, inpr. Tacitus, sæpe indicativos ponunt in oratione obliqua.'

NOTÆ

bellum denuntiaturi, nisi exules Antiatum dederentur, et rapta redderentur. Æqui se non invitos bellum accipere responderunt.

* A. U. C. 287.

[e] *Cum Sp. Postumio*] Hic ex Senatusconsulto ædem Dii Fidii, locatam a Tarquinio Superbo, necdum consecratam, dedicavit in luco Bellonæ. Dius ille Fidius alio nomine Sabus fuit, Curium urbis conditor, Enyalii filius habitus, atque ob rei militaris præstantiam pro Deo cultus a Sabinis.

[f] *Intra castra quies necessaria*] Sic Campanus quem secutus Junta. Id per hypallagen sic explicari potest, ut morbi, quibus conflictabatur exercitus, eum intra castra, necessario quietum, continuerint. In quibusdam veteribus editionibus desunt priora vocabula. Mss. complures habent *stativa habuit castra, quies*. Unde Gronovius legit, *stativa habuit. Castris quies, &c.* Ut infra hoc libro: ' nulla magnopere clade accepta, castris se pavidus tenuit.'

[g] *In tertium annum*] Unus fuit intermedius annus, quo Romani exercitum in Æquos, bello quamvis indicto, non miserunt: sive quod auspicia vetarent, sive quod ejus anni parte maxima variis morbis laboratum esset.

[h] *In Algidum*] Fuit Algidum oppidum in extremis Æquorum Romam

nuntiata, indignitas rei, magis quam periculum, consulem alterum ab urbe excivit. Ita duo consulares exercitus ad hostem accessere acie instructa, ut confestim dimicarent. Sed cum forte haud multum diei superesset, unus ab statione hostium exclamat: 'Ostentare hoc est, Romani, non gerere bellum. In noctem imminentem aciem instruitis. Longiore luce ad id certamen, quod instat, nobis opus est. Crastino die oriente sole redite in aciem: erit copia pugnandi, ne timete.' His vocibus irritatus miles in diem posterum in castra reducitur, longam venire noctem ratus, quæ moram certamini faceret. Tum quidem corpora cibo somnoque curant. Ubi illuxit postero die, prior aliquanto constitit Romana acies; tandem et Æqui processere. Prælium fuit utrimque vehemens; quod et Romanus ira odioque pugnabat,[6] et Æquos conscientia contracti culpa periculi,[b] et desperatio futuræ sibi postea fidei, ultima audere et experiri cogebat. Non tamen sustinuere aciem Romanam Æqui: pulsique cum in fines suos se recepissent, nihilo inclinatioribus ad pacem animis ferox multitudo increpare duces, quod in aciem, qua pugnandi arte Romanus excellat, commissa res sit. Æquos populationibus incursionibusque meliores esse; et multas passim manus, quam magnam molem unius exercitus, rectius bella gerere.

[b] *Cognitione periculi quod culpa sibi sua conflaverant.*

Rupert.—6 Vulg. *quod et Romanus miles ira odioque pugnabat.*

NOTÆ

versus finibus, in monte et juxta nemus ejusdem nominis situm, via Latina, ad dextram: ab aëris algore dictum. Fuit autem, non duodecimo ab Urbe milliari, ut est apud Eutropium, sed duodevicesimo ferme, ut corrigit Holstenius. Hic enim numerus non male respondet 120. stadiis, quæ Procop. lib. III. rer. Gothic. numerat. Situm fuit, non ut putabat Ortelius, ubi nunc *Rocca del Papa*, sed, ut Holstenius probat, ubi diversorium publicum, vulgo *l'Osteria dell' Aglio*, et sylva Algida, hodie *Selva dell' Aglio*, detorta ex Algido appellatione. Diversorio illi proxime imminent montium angustiæ, *la cava dell' Aglio*, locus ad invadendum agrum Romanum commodissimus. Quod autem *in Algidum*, et paulo post *ab Algido* dicit, de monte intelligendum videtur: nam si de oppido accipias, nihil opus esset præpositionibus.

3. Relicto itaque castris præsidio, egressi tanto cum tumultu invasere fines Romanos, ut ad Urbem quoque terrorem pertulerint.* Nec opinata etiam res plus trepidationis fecit, quod nihil minus, quam ne victus ac prope in castris obsessus hostis memor populationis esset, timeri poterat; agrestesque, pavidi incidentes portis,[c] non populationem, nec prædonum parvas manus, sed, omnia vano augentes timore, exercitus et legiones adesse hostium, et infesto agmine ruere ad urbem, clamabant. Ab his proximi audita incerta, eoque vaniora, ferre ad alios. Cursus clamorque vocantium ad arma haud multum a pavore captæ urbis abesse. Forte ab Algido Quintius consul redierat Romam, (id remedium timori fuit,) tumultuque sedato, victos timeri increpans hostes,[d] præsidia portis imposuit. Vocato dein[7] senatu, cum, ex auctoritate Patrum justitio indicto,[i] profectus ad tutandos fines esset, Q. Servilio[k] præfecto Urbis relicto,[l] hostem in agris[8] non invenit. Ab

[c] *Et trepidi agricolæ incurrentes in portas.*
[d] *Exprobrans Romanis quod victos hostes timerent.*

7 *Deinde* Gronov. Doujat. Crevier.—8 *Agro* Edd. a Basil. 1539. ad Drak.

NOTÆ

* A. U. C. 288.

[i] *Justitio indicto*] Justitium, quasi a jure sistendo dictum, est cum juris dictio intermittitur. Non solebat autem justitium indici nisi periculosis admodum reip. temporibus, cum ad arma pro publica salute capienda omnes vocandi erant.

[k] *Q. Servilio*] Illo nempe qui superiori anno consul fuerat.

[l] *Præfecto Urbis relicto*] Præfectum Urbis sive Urbi (utrumque enim Latine dicitur) primis temporibus reges, (quemadmodum lib. I. vidimus,) deinde, mutato reip. statu, consules, nondum instituto prætore, extra ordinem, atque in tempus, creabant; ut esset qui, foras profectis summis magistratibus, jus in Urbe redderet, urbanaque negotia moderaretur. Post prætoris munus introductum, mansit præfectorum Urbis nomen et simulacrum, ut vocat Tacit. lib. VI. Annal. in iis qui quotannis in dies paucos, feriarum Latinarum causa absentibus magistratibus, imperii consularis imaginem magis, quam rem, mandato consulum gerebant. Sed Augustus præfectorum Urbis novum genus constituit, ex Suet. et Tac. quorum ordinarius in jure dicundo et regenda civitate magistratus esset, et jurisdictio supra prætoriam ad centum quaquaversum millia passuum circa Urbem. Diviso per Constantinum imperio, duo fuere præfecti Urbi, alter Romæ, alter Constantinopoli, quæ nova Roma.

altero consule[m] res gesta egregie est. Qui, qua venturum hostem sciebat, gravem præda, eoque impeditiore agmine incedentem aggressus, funestam ei populationem fecit. Pauci hostium evasere ex insidiis: præda omnis recepta est. Sic finem justitio, quod quatriduum fuit, reditus Quintii consulis in urbem fecit. Census deinde actus, et conditum ab[9] Quintio lustrum.[n] Censa civium capita centum quatuor millia et ducenta quatuordecim[10 o] dicuntur, præter orbos orbasque.[p] In Æquis nihil deinde memorabile actum. In oppida sua se recepere, uri sua popularique passi. Consul, cum aliquoties per omnem hostium agrum infesto agmine populabundus isset, cum ingenti laude prædaque Romam rediit.

4. Consules inde A. Postumius[q] Albus, Sp. Furius Fusus.* Furios Fusios[r] scripsere quidam. Id admoneo, ne

—9 *A* Gronov. Doujat. Crevier.—10 *Centum quatuor et viginti millia* Edd. ante Drak. præterea in Grut. Gronov. et Doujat. est *quindecim* pro *quatuordecim:* in Ms. Veith. est *ducenti quatuordecim.* Pro *capita* Ms. Leid. 2. *capitum.*

NOTÆ

[m] *Ab altero consule*] T. Quintio Capitolino, cujus post quatriduum reditus justitio finem imposuit.

[n] *Conditum a Quintio lustrum*] Consulum hæ partes fuere ut lustrum conderent, nondum creatis censoribus; quod non nisi tertio et vigesimo abhinc anno factum. De lustro dictum ad lib. I. c. 44.

[o] *Censa civium capita centum quatuor millia et ducenta quatuordecim* [*et viginti millia ducenta quindecim*] Ita Sigon. ex libris. Summam autem civium, quater centenorum millium, &c. quam Rhenanus ponit, his temporibus non convenire ait. Nam multos per annos CC. tantum aut summum CCC. millia censa sunt: sero autem CCCC. millia.

[p] *Præter orbos orbasque*] Ex Dionysio Livioque discimus, puberes tantum, quique arma ferre possent, censeri solitos, exclusis non modo servis ac peregrinis, sed et mercatoribus, iisque qui viles artes exercerent. Vide Sigonium lib. I. de antiquo jure civium Romanor. c. 14. Nihil itaque mirum, si tum virgines ac mulieres, itemque masculi utroque parente orbati, tum seniores qui liberis carebant, cum ad militiæ munia idonei non essent, in censum non ascriberentur.

[q] *A. Postumius*] Dictatoris A. Postumii filius fuit hic A. Postumius. Furio gentile Medullini cognomen Diodorus Siculus addit.

* A. U. C. 289.

[r] *Furios Fusios*] Hinc lex Fusia Caninia, quam temporibus Augusti M. Furius Camillus cum C. Caninio tulisse creditur. Sic pro Veturiis Vetusii, et Valesii pro Valeriis dicti: satis frequenti literæ *r* in *s* muta-

quis immutationem virorum ipsorum esse, quæ nominum est, putet. Haud dubium erat, quin cum Æquis alter consulum bellum gereret. Itaque Æqui ab Ecetranis Volscis[s] præsidium petiere. Quo cupide oblato, (adeo civitates hæ perpetuo in Romanos odio certavere,) bellum summa vi parabatur. Sentiunt Hernici, et prædicunt Romanis, Ecetranum ad Æquos descisse. Suspecta et colonia Antium fuit,[t] quod magna vis hominum inde, cum oppidum captum esset, confugisset ad Æquos. Isque miles per bellum Æquicum vel acerrimus fuit. Compulsis deinde in oppida Æquis, ea multitudo dilapsa cum Antium redisset, sua sponte jam infidos colonos Romanis abalienavit. Nec dum matura re,[u] cum defectionem parari delatum ad senatum esset, datum negotium est consulibus, ut, principibus coloniæ Romam excitis, quærerent, quidnam rei esset.[11] Qui cum haud gravati[12] venissent, introducti a consulibus ad senatum ita responderunt ad interrogata, ut magis suspecti, quam venerant, dimitterentur. Bellum inde haud dubium haberi. Sp. Furius, consulum alter, cui ea provincia evenerat, profectus in Æquos, Hernicorum in agro populabundum hostem invenit; ignarusque multitudinis,[x]

11 ' Borb. Flor. duo Pall. et Voss. Rott. Chifl. Helm. *quid rei esset.* Ut et Campanus edidit. Pal. tertius, *qui rei essent.* Videtur scribendum, *quid id rei esset.*' J. F. Gronov.—12 *Gravate* Edd. ante Drak. Vet. lib. apud

NOTÆ

tione, in nominibus præsertim propriis.

[s] *Ab Ecetranis Volscis*] Ut Antium in maritima, et Suessa Pometia in campestri, sic *Ecetra*, sive *Echetra*, in montana Volscorum regione primaria civitas fuit; ubi et totius nationis comitia plerumque celebrata, ut ex Dionysio lib. VIII. liquet. Erat in Æquorum et Hernicorum confinio, supra Signiam, aquilonem versus, Anagniæ vicinior, ad Corum: in eo tractu, ni fallor, ubi nunc *Paliano.*

[t] *Suspecta et colonia Antium fuit*] Nuntii Latinorum indicarunt Senatui, Antiates (Æquis aliisque Volscis eos solicitantibus, opera præsertim eorum qui, diviso colonis agro, Antium deserere coacti, ad Æquos transfugerant) hostilia meditari, nec eos solum, sed et advenas eo in coloniam missos.

[u] *Nec dum matura re*] Cum defectionis consilium nondum plane cepissent Antiates.

[x] *Ignarusque multitudinis*] Juncti Æquis Volsci majorem ejus exercitus partem conficiebant, novaque hostibus utrimque subsidia summissa fuerant.

quia nusquam universa conspecta fuerat, imparem copiis exercitum temere pugnæ commisit.[y] Primo concursu pulsus se in castra recepit. Neque is finis periculi fuit. Namque et proxima nocte et postero die tanta vi castra sunt circumsessa atque oppugnata, ut ne nuntius quidem inde mitti Romam posset.[z] Hernici, et male pugnatum, et consulem exercitumque obsideri, nuntiaverunt. Tantumque terrorem incussere Patribus, ut (quæ forma senatus consulti ultimæ semper necessitatis habita est)[e] Postumio alteri consulum negotium daretur, 'Videre[13] ne quid res publica detrimenti caperet.'[a] Ipsum consulem Romæ manere ad conscribendos omnes, qui arma ferre possent, optimum visum est; pro consule[14] T. Quintium[b] subsidio castris cum sociali exercitu mitti. Ad eum explendum Latini, Hernicique, et colonia Antium dare Quintio subitarios milites (ita tum repentina auxilia appellabant) jussi.

[e] *Semper in extremis periculis adhiberi solita.*

Sigon. *gravatim.*—13 *Videret* Edd. ante Drak. et Ms. Veith.—14 Al. *pro-*

NOTÆ

[y] *Temere pugnæ commisit*] Exercitum, imprudenter inito prælio, in discrimen dedit. *Il hazarda mal-à-propos son armée au sort d'une bataille.*

[z] *Ut ne nuntius quidem inde mitti Romam posset*] Aliter Dionysius libro IX. Refert enim a Furio cos. equites in Urbem cum literis missos, factumque ante lucem de auxiliis ei mittendis Senatusconsultum, vocatis decreto in curiam patribus per Postumium collegam.

[a] *Ne quid res pub. detrimenti caperet*] Senatusconsulto in hanc formam facto, *viderent coss. ne quid resp. detrimenti caperet,* consulibus tota res publica committebatur, ita ut ab iis provocatio non esset, etiam intra Urbem.

[b] *Pro consule* [*proconsule*] *T. Quintium*] Ita veteres libri: quædam editiones *proconsulem T. Quintium.* Neutra lectio quicquam habet quod arguas. Nam et *proconsul* dicebatur, et divise *pro consule,* qui ad provinciam administrandam cum imperio consulari mittebatur, consulisque loco erat, non tamen consul. Nam proconsulatus, ut Sigonius observat, non est magistratus: sed imperium, aut extra ordinem privato datum, ut nunc T. Quintio; aut ex consulatu prorogatum, ut Publilio Philoni, de quo Livius lib. VIII. cap. 26. Quæ, quidem, si ad hæc prima reip. tempora referas, vera erunt. At temporibus imperatorum, proconsulatus, quo provinciarum populo ab Augusto relictarum ordinaria administratio mandabatur a Senatu, magistratus

5. Multi per eos dies motus multique impetus hinc atque illinc facti, quia, superante multitudine, hostes carpere multifariam vires Romanas,[f] ut non suffecturas ad omnia, aggressi sunt. Simul castra oppugnabantur, simul pars exercitus ad populandum agrum Romanum missa, Urbemque ipsam, si qua fortuna daret, tentandam. L. Valerius ad præsidium Urbis relictus; consul Postumius ad arcendas populationes finium missus. Nihil remissum ab ulla parte curæ aut laboris. Vigiliæ in Urbe, stationes ante portas, præsidiaque in muris disposita, et, quod necesse erat in tanto tumultu, justitium per aliquot dies servatum. Interim in castris Furius consul, cum primo quietus obsidionem passus esset, in incautum hostem decumana porta[c] erupit, et, cum persequi posset, metu substitit,[15] ne qua, ex parte altera, in castra vis fieret.[d] Furium legatum (frater idem

[f] *Copias Romanorum multis locis delibare.*

NOTÆ

erat: immo, ut ait Ulp. jurisconsultus: 'Cum plenissimam jurisdictionem proconsul habeat, omnium partes, qui Romæ quasi magistratus, vel extra ordinem jus dicunt, ad eum pertinent.'

[c] *Decumana porta*] Castra Romanorum quadrata, ut plurimum, et æquilatera, pro laterum numero portis quatuor majoribus adiri solebant, prætoria, decumana, et principalibus duabus. Prætoria, si Lipsium audimus, sic dicebatur quod prætorio, id est, tentorio consulis, sive alterius summi ducis, (qui olim generali prætorum nomine censebantur,) proxima esset. Ea orientem fere, vel hostes, si vicini essent, spectabat. Decumana a cohortibus decimis legionem ea parte tendentibus appellata, in remotissimo a prætorio atque ab hostibus latere sita. Per hanc plurimum aquabantur et pabulabantur: unde in illam versa fuisse videtur tota castrorum facies. Principales, sive principiales, circa principia, ubi milites prætorio proximi tendebant, alia latera aperiebant: una dextrum, altera lævum. De his paulo aliter Alex. ab Alexandro, et Turneb. qui portam prætoriam cum quæstoria confundunt. Ille præterea quæstoriam eandem cum decumana facit, ducta ex Livii lib. x. c. 32. conjectura. Uterque unam agnoscit principalem, cum duas fuisse dexteram et sinistram probet Lips. ex eodem Liv. lib. IV. c. 27. Extraordinariam, quam alii diversam a ceteris esse volunt, eandem Lipsius cum prætoria, quintanam, quæ ex Festo additur, non portam, sed viam fuisse contendit, ad quam quintæ cohortes tenderent.

[d] *Ne qua, ex parte altera, in castra vis fieret*] Non altera in castra, Quintii nimirum, qui subsidio missus; sed in castra ipsius Furii consulis altera ex parte, sive ex alio latere.

consulis erat) longius extulit cursus: nec suos ille reducentes, persequendi studio,[g] neque hostium ab tergo incursum vidit. Ita exclusus, multis sæpe frustra conatibus captis, ut viam sibi ad castra faceret, acriter dimicans cecidit. Et consul, nuntio circumventi fratris conversus ad pugnam, dum se temere magis, quam satis caute,[16] in mediam dimicationem [17] infert, vulnere accepto, ægre ab circumstantibus ereptus, et suorum animos turbavit, et ferociores hostes fecit. Qui, cæde legati et consulis vulnere accensi, nulla deinde vi sustineri potuere, cum compulsi in castra Romani rursus obsiderentur,[18] nec spe, nec viribus pares. Venissetque in periculum summa rerum, ni T. Quintius peregrinis copiis, cum Latino Hernicoque exercitu,[e] subvenisset.[19] Is, intentos in castra Romana Æquos, legatique caput ferociter ostentantes, ab tergo adortus, simul ad signum a se procul editum ex castris eruptione facta, magnam vim hostium circumvenit. Minor cædes, fuga effusior Æquorum in agro fuit Romano. In quos palatos, prædam agentes, Postumius aliquot locis, quibus opportuna imposuerat præsidia, impetum dedit. Ii vagi, dissipato agmine fugientes, in Quintium victorem, cum saucio consule revertentem, incidere. Tum consularis exercitus egregia pugna

[g] *Impetus impulit ad progrediendum ultra quam oportebat, et ille ardore persequendi hostes, &c.*

consule, al. *proconsulem.*—15 *Subsistit* Gronov.—16 Vulg. *magis quam caute.*—17 ' Flor. *in medio dimicationis.* Forte, *in medium dimicationis.* II. 56. ' Ad ultimum dimicationis rem venturam.'' *J. F. Gronov.*—18 Pro *cum* quidam Mss. *quin:* unde J. F. Gronov. conj. *quin compulsos in c. Romanos r. obsiderent.* Hæc probavit Duk. coll. II. 19. et XXXV. 36. Ms. Veith. *quin pulsi in c.* Vid. Not. Var.—19 ' Legendum jam alii monuere, *ni T. Quintius cum peregrinis copiis, Latino Hernicoque exercitu,* (ut v. 19.) vel, *ni T. Q. perituris,* aut *perægris,* aut *propere ægris,* aut (in) *tempore ægerrimis copiis,* sc. Romanis, *subvenisset.* Alii verba *peregrinis copiis,* aut *Latino H. e.* glossema esse putant.' *Ru-*

NOTÆ

[e] *Peregrinis copiis, cum Latino Hernicoque exercitu*] Quid ergo, nonne *Latini Hernicique* hoc tempore inter peregrinos? Nondum certe civitate donatos comperio. Sed nimirum indicare voluit Auctor quibus ex gentibus peregrinæ hæ copiæ coalescerent, ut *Latinus Hernicusque exercitus* explicatio sit præcedentium, non distinctio.

consulis vulnus, legati et cohortium ultus est cædem. Magnæ clades ultro citroque illis diebus et illatæ et acceptæ. Difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, exacto affirmare numero. Audet tamen Antias Valerius concipere summas:[h] Romanos cecidisse in Hernico agro quinque millia[20] ac trecentos; ex prædatoribus Æquorum, qui populabundi in finibus Romanis vagabantur, ab A. Postumio consule duo millia et quadringentos cæsos; ceteram multitudinem, prædam agentem, quæ inciderit in Quintium, nequaquam pari defunctam esse cæde;[f] interfecta inde quatuor millia, et, exequendo subtiliter numerum,[g] ducentos, ait, et triginta. Ut Romam reditum et justitium remissum[h] est, cœlum visum est[1] ardere plurimo igni; portentaque alia aut obversata oculis, aut vanas exterritis ostentavere species. His avertendis terroribus in triduum feriæ indictæ,[i] per quas omnia delubra pacem Deum exposcentium virorum mulierumque

[h] *Exprimere exacte numerum.*

pert.—20 ' *Romanos quinque millia ac trecentos.* Non est quod legas *Romanorum*, multo minus cum Rhen. *quinquies mille.*' Idem. ' *Quinque millia.* Hæc summa superat fidem, id quod ex Dionysio intelligi potest. Itaque placet magis vetus lectio, *duo millia:* et paulo post, non *duo millia*, sed *tria.*' Sigon. —1 ' *Inde Romam reditum est: justitium remissum. Cœlum visum, &c.* Gronov. Doujat. Crevier. all. *reditum est* in omnibus Edd. ante Drak. legitur, qui ex uno Ms. pro *est* dedit *et:* in Ms. Veith. legitur, *Inde Romam reditum et justi-*

NOTÆ

[f] *Nequaquam pari defunctam esse cæde*] Sed majori. Gall. *Les autres n'en avoient pas été quittes à si bon marché.*

[g] *Exequendo subtiliter numerum*] Vult Livius Valerium Antiatem, præter historicorum morem, (qui millenario fere numero se tenent, raro descendunt ad centenarium, rarius ad minutiores,) non contentum rotundo numero, ducentos præterea et triginta non sine affectatione quadam expressisse.

[h] *Justitium remissum*] Remitti dicitur justitium, cum facultas tractandarum litium restituitur. Eo usque sistebatur et cessabat jus, inhibitaque jurisdictione tria verba silebantur a prætore, do, dico, addico.

[i] *Feriæ indictæ*] Imperativæ fuerunt hæ feriæ, utpote extra ordinem indictæ, quod plerumque victoriæ alteriusve lætitiæ publicæ causa fiebat ad gratias Diis agendas; aliquando, ut hoc loco, in publico mœrore ac rebus afflictis, ad deprecandam numinis iram.

turba implebantur. Cohortes inde Latinæ Hernicæque ab senatu, gratiis ob impigram militiam actis, remissæ domos. Antiates, mille milites, quia serum auxilium post prælium venerant,[2] prope cum ignominia dimissi.

6. Comitia inde habita. Creati consules L. Æbutius, P. Servilius Kalendis Sextilibus, ut tunc principium anni agebatur,[k] consulatum ineunt.* Grave tempus et forte annus pestilens erat urbi agrisque, nec hominibus magis, quam pecori; et auxere vim morbi, terrore[3] populationis pecoribus agrestibusque in urbem acceptis. Ea colluvio mixtorum omnis generis animantium et odore insolito urbanos, et agrestem, confertum in arcta tecta, æstu ac vigiliis angebat, ministeriaque in vicem ac contagio ipsa vulgabant morbos.[i] Vix instantes sustinentibus clades

[i] *Majorem effecere violentiam pestilentiæ Romani, recipiendo intra Urbem pecora et rusticos ob metum populationum. Hæ variorum animalium simul permistorum sordes, tum urbanos odore insueto, tum agrestes arctis domibus acervatim inclusos, nimio calore, atque insomnia conficiebant; mutuaque ægris exhibita ministeria, et contactus morbum propagabant.*

tium remissum est.' Vid. Not. Var.—2 Andreas Bech. Voss. 1. Flor. Rott. *venerant.* Sed etiam pro duabus prioribus habent Pall. o. Chifl. Voss. 2. *post prædam.* Voss. 1. *post bellum.* Forte, *post rem actam venerant.'* J. F. Gronov. In Ms. Veith. est, *quia serum ad auxilium post prædam venerant.*

3 '*Auxere vim morbi*, sc. Romani; vel *morbi auxere vim*, sc. suam, h. e. aucta est vis morbi, terrore, ob terrorem, &c. nisi leg. *auxere vim morbi terrores p.*

NOTÆ

[k] *Ut tunc principium anni agebatur*] Quis expulsis regibus dies magistratibus ineundis solennis, nullibi se reperire potuisse fatetur Perizonius lib. III. de Magistr. Rom. apud Godel. De primorum consulum Junii Bruti et Tarquinii Collatiui initio dictum lib. II. cap. 1. Sed postea Kalendas sextiles solennes ineundis magistratibus fuisse ex hoc Livii loco patet: atque hic mos ad Decemviros videtur perseverasse, id est, ad an. U. C. 300. annos scilicet non amplius decem. Nam an. 302. Idus Maiæ solennes huic rei erant, teste Liv. hujus lib. c. 36. Notat idem lib. V. c. 9. Idibus Decembris inire magistratum solitos tribunos militum consulari potestate: anno deinde 414. Kalend. Quintiles, id est, Julii, initium honoribus gerendis dederunt, ut ex lib. VIII. c. 3. et 20. colligere est: tum temporibus belli Punici secundi et Macedonici Idus Martiæ solennis accipiendis muneribus dies fuit, quod plura libri præsertim XXVI. loca evincunt. Tandem anno U. C. 600. consules Kalendis Januarii magistratum inierunt.

* A. U. C. 290.

Ut tunc principium anni] Anni nempe consularis, non civilis, cujus ini-

repente legati Hernici nuntiant, in agro suo Æquos Volscosque conjunctis copiis castra posuisse. Inde exercitu ingenti[4] fines suos depopulari. Præterquam quod infrequens senatus indicio erat sociis, afflictam civitatem pestilentia esse, mœstum etiam responsum tulere: 'Ut per se ipsi Hernici cum Latinis res suas tutarentur. Urbem Romanam subita Deum ira morbo populari.[l] Si qua ejus mali quies veniat, ut anno ante, ut semper alias, sociis opem laturos.' Discessere socii, pro tristi nuntio[m] tristiorem[5] domum referentes; quippe quibus per se sustinendum bellum erat, quod vix Romanis fulti viribus sustinuissent. Non diutius se in Hernico hostis continuit. Pergit inde infestus in agros Romanos, etiam sine belli injuria vastatos.[n] Ubi cum obvius nemo, ne inermis quidem, fieret, perque omnia, non præsidiis modo deserta, sed etiam cultu agresti, transirent; pervenere ad tertium lapidem Gabina via.[o] Mortuus Æbutius erat Romanus consul. Collega ejus Servilius exigua in spe trahebat animam. Affecti plerique principum, Patrum major pars, militaris fere ætas omnis; ut non modo ad expeditiones, quas in tanto tumultu res poscebat, sed vix ad quietas stationes viribus sufficerent. Munus vigiliarum[p] senatores, qui per

(quod extat in multis Mss. et edd. ante Rhenan. et eodem sensu, quo nostra lectio, doctiusque dictum videri potest) vel e Ms. Klock. *auxerat vis morbi*, h. e. aucta erat. V. ad II. 3. 2.' *Rupert.*—4 Gronov. Doujat. Crevier. *ingenti*

NOTÆ

tium semper a Januario. Incidebant Kalendæ Sextiles eo anno in 28. Augusti Juliani proleptici. Vide Dodwellum. *J. Clericus.*

[l] *Morbo populari*] Sumitur ergo *populari* passiva significatione, ut supra extremo cap. 3. Quidni autem ita sumatur, cum Virgil. active dixerit: 'formicæ farris acervum Cum populant.' Nisi mavis *morbo populari*, pro pestifero morbo accipere, ac populariter grassante. Sed adjiciendum erit verbum, laborare, afflictam esse.

[m] *Pro tristi nuntio*] Legati sociorum tristem nuntium attulerant Romam, direptarum nimirum ab Æquis et Volscis rerum suarum: tristiorem adhuc ad suos referebant, nempe pestilentiæ, qua laborantes Romani nullam ipsis opem ferre poterant.

[n] *Etiam sine belli injuria vastatos*] Ipsa desertione colonorum, qui in Urbem confugerant.

[o] *Gabina via*] Qua Gabiis in Urbem veniebatur: viæ Prænestinæ proxima, si non ejus pars.

[p] *Munus vigiliarum*] Senatores in hoc periculo munia militum et ple-

ætatem ac valetudinem poterant, per se ipsi obibant: circuitio ac cura[6] ædilium[q] plebei[r] erat. Ad eos summa rerum ac majestas consularis imperii venerat.

7. Deserta omnia, sine capite, sine viribus, Dii præsides[†] ac fortuna Urbis tutata est, quæ Volscis Æquisque prædonum potius mentem, quam hostium, dedit. Adeo enim[7][s] nulla spes non potiundi modo, sed ne adeundi quidem Romana mœnia,[t] animos eorum cepit, tectaque procul

exercitu.—5 Vet. lib. ap. Sigon. *tristiora.*—6 ' *Circuitio* per Urbem, ordinis tuendi causa, aut obitus et lustratio vigiliarum, (*die Ronde,*) *ac cura* vigiliarum? an omnium rerum, ad salutem rei publicæ pertinentium? Illud præstiterit: nam ita sæpius in magna Urbis trepidatione minores magistratus vigilias circumire jussi sunt. Cf. XXXII. 26. XXXIX. 14. 16. Senatores itaque gregariorum militum, ædiles equitum munere funguntur. Sed sic forte del. *ac cura,* saltem *ac;* aut leg. *circuitionis cura ædil.* (ædilibus) *pl. erat,* vel, *circuitio nocturna,* ut ' vigiliarum nocturnarum cura' XXXIX. 16. extr. Si vocem *cura* illo ampliore sensu propter seqq. acceperis, obscure sententia expressa. Nescio tamen, cur mihi tantopere displiceant verba *ac cura,* quæ neminem intpp. offendisse videntur.' *Rupert.*

NOTÆ

beiorum obibant.

[q] *Circuitio ac cura*] Onus circumeundi vigilias, easque mutandi, (*de faire la ronde,*) et reliqua primatum in obsidione munia obeundi.

[r] *Ædilium plebei*] Secessione in Sacrum montem, an. U. C. 261. plebs obtinuerat, ut sibi liceret e suo corpore ædiles duos cum tribunis plebis creare, qui essent horum velut socii, aut ministri; quique initio judices dicti, quod lites nonnullas jussu tribunorum dijudicarent. Postea ædiles appellati sunt ab officiorum uno: habebant enim ædium sacrarum, locorum publicorum, et annonæ, rerumque aliarum curam; Græcorum agoranomis magna ex parte similes, auctore Dionysio lib. VI. Alii postea ædiles, concesso plebi jure consulatus, creari cœpere ex patriciis, exemplo prætoris an. U. C. 306. Hi, ad differentiam plebeiorum, curules appellati. Qua de re lib. VI. cap. ult. et lib. VII. c. 1. Tertium ædilium genus, et ipsum e patriciis, institutum an. 709. a Jul. Cæsare, quos Cereales vocavit, quod frumento præessent.

† *Dii præsides, &c.*] Multo probabiliora sunt quæ habet Dionysius lib. IX. c. 68. ubi ostendit tantam non fuisse pestilentiam ut Romani sua mœnia tueri non possent, docetque quænam essent urbis munitiones. Sed Livius ad prodigia et Deos libenter confugiebat. Tanta non erat pestis in agro Romano, quin hostes in eo vagari non auderent, ac proinde non deerant defensores muris. *J. Clericus.*

[s] *Adeo enim*] Non video cui usui particula *enim.* Delenda ergo, nisi velis totam periodum sic invertere: *Adeo enim nulla spes potiundi Romana mœnia animos eorum cepit: ut ne ea quidem adeundi mens ceperit.*

[t] *Ne adeundi quidem Romana mœnia*] Dionysius lib. IX. a Volscis et Æquis tentatam quidem, sed frustra, Romani urbem ait: cujus salutem partim ejus

visa atque imminentes tumuli avertere mentes eorum, ut, totis passim castris fremitu orto, 'quid[8] in vasto[u] ac deserto agro inter tabem pecorum hominumque desides sine præda tempus tererent, cum integra loca, Tusculanum agrum, opimum copiis, petere possent?' signa repente convellerent, transversisque itineribus per Lavicanos[9] agros in Tusculanos colles transirent. Eo vis omnis tempestasque belli conversa est.[10] Interim Hernici Latinique, pudore etiam, non misericordia solum, moti, si nec obstitissent communibus hostibus, infesto agmine Romanam urbem petentibus, nec opem ullam obsessis sociis ferrent, conjuncto exercitu Romam pergunt. Ubi cum hostes non invenissent, secuti famam ac vestigia, obvii fiunt descendentibus ab Tusculano[11] in Albanam vallem. Ibi haudquaquam æquo prælio pugnatum est, fidesque sua sociis parum felix in præsentia fuit. Haud minor Romæ fit morbo strages, quam quanta ferro sociorum facta erat.[k] Consul, qui unus supererat, moritur.[x] Mortui et alii clari viri, M. Valerius, T. Virginius Rutilus,[12] [y] augures; Ser. Sulpicius, curio maximus.[z] Et per ignota capita late eva-

[k] *Et sociis infeliciter successit sua fides in Romanos. Nec minus cædium in hos domi edidit pestilentia, quam gladius in Latinos Hernicosque in prælio.*

7 Vid. Not. inf.—8 'Delendum videtur τὸ *quid*.' Tan. Faber.—9 Vet. lib. apud Sigon. *Labicanos*.—10 Vet. lib. ap. eundem *obversa est*.—11 Vulg. *a Tusculano*.—12 Vulg. *Rutilius*. Vid. Not. Var.

NOTÆ

per id tempus amplitudini et munitionibus, quas describit, partim obsidendarum urbium ignotæ adhuc arti assignat.

[u] *Fremitu orto, quid in vasto*] Ut coorto fremitu vociferari cœperint, et quærere, 'cur in deserto agro tempus tererent.' Nihil est itaque quod τὸ *quid* deleamus, ut delendum censuit Tanaq. Faber.

[x] *Moritur*] Immo, si Dionysio credendum, hic consul P. Servilius, venientibus ad circumsidendam urbem Æquis Volscisque, jam vita excesserat.

[y] *T. Virginius Rutilus*] Sic scribendum auctore Sigonio ex Capitolinis fragmentis, non *Rutilius*, quod nomen est gentis: hic autem cognomen quæritur.

[z] *Curio maximus*] De curionibus, qui curiis præerant ex Romuli instituto, dictum lib. I. cap. 13. His omnibus unus erat præfectus, qui *curio maximus* dicebatur, curiatis comitiis creari solitus: nec nisi ex nobilitate,

gata est vis morbi:[a] inopsque senatus auxilii humani, ad Deos populum ac vota vertit. Jussi cum conjugibus ac liberis supplicatum ire, pacemque exposcere Deum.[l] Ad id,[m] quod sua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocati, omnia delubra implent. Stratæ passim matres, crinibus templa verrentes,[b] veniam irarum cœlestium, finemque pesti exposcunt.

8. Inde paulatim, seu pace Deum impetrata,[n] seu graviore tempore anni jam circumacto, defuncta morbis corpora salubriora esse incipere:[o] versisque animis jam ad publicam curam, cum aliquot interregna exissent,[c] P. Valerius Publicola tertio die, quam interregnum inierat,* consules creat L. Lucretium Tricipitinum et T. Veturium Geminum; sive ille Vetusius fuit.[d] Ante diem tertium Idus Sextiles[e] consulatum ineunt, jam satis valida civi-

[l] *Senatus plebem votaque publica convertit ad Deos; quorum iræ placandæ jussi per supplicationes templa adire omnes Romani una cum uxoribus et progenie quisque sua.*

[m] *Præterquam quod.*

[n] *Venia abs Diis obtenta.*

[o] *Exoluta jam anni tempestate difficiliori, corpora post morbos exantlatos valetudinem firmiorem erant adepta.*

NOTÆ

ut infra videbimus lib. XXXVII. Si ad mores nostros respiciamus, ut curionibus Parochi, ita curioni maximo respondebit Archipresbyter, aut Archidiaconus.

[a] *Late evagata est vis morbi*] Participium *evagata* hic locum non habere monet Rhenanus, jubetque castigari *late vagata est.* Sed cum *evagari* non modo extra certum locum, sed etiam supra modum vagari significet, nihil, opinor, correctione opus.

[b] *Crinibus templa verrentes*] Inter supplicantium ritus illud observabatur a Veteribus, ut ad aram placandi numinis prostrati reperent viri, matronæ autem solum quoque templi crinibus suis verrerent, ut Turnebus lib. XXIX. Adversar. c. 30. observat.

[c] *Cum aliquot interregna exissent*] Quoties nullus erat summus magistratus, interreges creari solitos, qui per quinos quisque dies imperium haberent, et quorum auspiciis rex initio, tempore autem reip. consules crearentur, satis notum ex iis quæ de interregno et interregibus dicta lib. I. cap. 17.

* A. U. C. 291.

[d] *Sive ille Vetusius fuit*] Vide quæ supra de Furiis et Fusiis cap. 4. hujus libri.

[e] *Ante diem tertium Idus Sextiles*] Nota est locutio pro *tertio die ante Idus.* Hoc itaque anno consulatum inierunt L. Lucretius Tricipitinus et T. Veturius Geminus die 9. Augusti: qui Veteribus dies tertius Idus Sextiles.

Ante diem tertium Idus Sextiles] Ipsis Idibus iniisse magistratum coss. putat Dodwellus, et revera per aliquot annos sequentes is dies fuit ineundi magistratus. *J. Clericus.*

tate,[f] ut non solum arcere bellum, sed ultro etiam inferre posset. Igitur nuntiantibus Hernicis, in fines suos transcendisse hostes, impigre promissum auxilium. Duo consulares exercitus scripti. Veturius missus in Volscos ad bellum ultro inferendum. Tricipitinus, populationibus arcendis sociorum agro oppositus,[g] non ultra, quam in Hernicos, procedit. Veturius primo prælio hostes fundit fugatque. Lucretium, dum in Hernicis sedet, prædonum agmen fefellit, supra montes Prænestinos ductum, inde demissum in campos.[h] Vastavere[13] agros Prænestinum Gabinumque: ex Gabino in Tusculanos flexere colles. Urbi quoque Romæ ingens præbitus terror, magis in re subita, quam quod ad arcendam vim parum virium esset. Q. Fabius præerat Urbi. Is, armata juventute, dispositisque præsidiis, tuta omnia ac tranquilla fecit. Itaque hostes, præda ex proximis locis rapta, appropinquare Urbi non ausi, cum circumacto agmine redirent, quanto longius ab urbe hostium abscederent, eo solutiore cura[p] in Lucretium incidunt consulem, jam ante exploratis itineribus suis[14][i] instructum, et ad certamen intentum. Igitur, præ-

[p] *Tanto negligentius agentes.*

13 Vulg. *inde dimissum in campos vastavere.*—14 Duk. delendum putabat

NOTÆ

[f] *Jam satis valida civitate*] Ubi Lucretius et Veturius consulatum iniere, statim pestilentia desiit: simulque a civili tumultu quies fuit, Sex. Titio trib. pleb. qui legis agrariæ mentionem injecerat, ab ipsa plebe cohibito, et feliciora tempora expectare jusso.

[g] *Populationibus arcendis sociorum agro oppositus*] *Ob* in compositione plerumque significat *contra:* quo sensu si hoc loco accipiamus *oppositum*, subintelligendum erit *hostibus*, oppositus scilicet, ad arcendas a sociorum agro populationes. Sed nonnunquam *ob* accipitur pro *ad*, ut in 'obvertere,' 'obire,' 'obtingere.' Qua ratione *oppositus* hic pro apposito agris tuendis sumetur.

[h] *Demissum in campos*] Per campos Livius planitiem intelligit quæ inter Prænestinos ac Tusculanos montes jacet.

[i] *Exploratis itineribus suis*] Quid ergo Lucretius consul propria itinera explorabat? An potius prædonum, qui ex Æquanorum gente latenter in vicina Urbi loca irruperant? Utrumque dici potest. Nam et pronomen *suum* non semper reciproce dici notius est quam ut probari debeat. Igitur *itineribus suis*, pro itineribus eo-

paratis animis, repentino pavore perculsos adorti,[k] aliquanto pauciores multitudinem ingentem fundunt fugantque; et compulsos in cavas valles, cum exitus haud in facili essent,[15] [l] circumveniunt. Ibi Volscum nomen prope deletum est. Tredecim millia quadringentos septuaginta cecidisse in acie ac fuga, mille ducentos quinquaginta vivos captos, signa viginti septem militaria relata, in quibusdam annalibus invenio. Ubi etsi adjectum aliquid numero sit, magna certe cædes fuit. Victor consul, ingenti præda potitus, eadem in stativa rediit. Tum consules[16] castra conjungunt: et Volsci Æquique afflictas vires suas in unum contulere. Tertia illa pugna[m] eo anno fuit. Eadem fortuna victoriam dedit. Fusis hostibus, etiam castra capta.

9. Sic res Romana in antiquum statum rediit: secundæque belli res extemplo urbanos motus excitaverunt. C. Terentillus[17] Arsa[n] tribunus plebis eo anno fuit. Is, con-

τὸ *suis*, Doering. jungit *suis instructum*.—15 Vet. lib. ap. Sigon. *cum exitus haud inde faciles essent*. Gruterus ex Andrea malnit, *exitus . . . esset*. *Esset* forte legendum notat et Rupert. Vid. Not. Var.—16 *Tunc consules* Gronov. Donjat. et Crevier.

17 ' Vet. lib. *Terentilus*: Legendum est *Terentius*. Et paulo post *lex Terentia*, ex Donysio, et ratione gentium, et legum Romanarum.' *Sigon.*—

NOTÆ

rum. Et nihil vetat quominus itinera sua futura, qua ad hostes commode iturus esset, exploraverit Lucretius.

[k] *Pavore perculsos adorti*] Romani scilicet, qui animis præparatis erant. Prius de consule sermo erat: sed non ineleganter mutata persona vel numero, regimen mutatur.

[l] *Cum exitus haud in facili essent*] Ita Rhenanus. Sigonius ex vet. cod. *cum exitus haud inde faciles*: Gruterus ex Andr. *in facili esset*. Verum *in facili* et *in difficili esse* Latine recte dici probat Gronovius ex Seneca et Plinio. Et *exitus* sæpenumero plures, ideoque plurali numero designari ex Cic. atque ex Nostro non uno loco, ostendit.

[m] *Tertia illa pugna*] Hoc anno Volsci primum a Veturio victi nullo negotio, quod eorum copiæ magnam partem ex tironibus. Deinde Æqui, cæsis ducibus, egregia edita pugna, dissipati a Lucretio. Tertii ab utroque consule cum utrisque copiis commissi prælii Dionysius non meminit.

[n] *C. Terentillus Arsa*] C. Terentium vocat Halicarn. lib. x. quod et nomen Terentiæ legis confirmat ab eo latæ.

sulibus absentibus, ratus locum tribuniciis actionibus[q] datum, per aliquot dies Patrum superbiam ad plebem criminatus, maxime in consulare imperium, tanquam nimium, nec tolerabile liberæ civitati, invehebatur: 'nomine enim tantum minus invidiosum, re ipsa prope atrocius, quam regium, esse. Quippe duos pro uno domino[18] acceptos, immoderata, infinita potestate:[19][o] qui, soluti atque effrænati ipsi, omnes metus legum omniaque supplicia verterent in plebem.[p] Quæ ne æterna illis licentia sit, legem se promulgaturum,[q] ut quinque viri creentur legibus de imperio consulari scribendis.[r] Quod populus in se jus dederit, eo consulem usurum: non ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege habituros.' Qua promulgata lege, cum timerent Patres, ne, absentibus consulibus, jugum accipe-

[q] *Accusatoriis concionibus tribunorum.*

18 *Dominos* Edd. ante Drak.—19 Vet. lib. ap. Sigon. *infinitaque potestate.*

NOTÆ

[o] *Immoderata, infinita potestate*] Credi vult tribunus, consules potestatis nec modum nec finem sive limites habere: nam τὸ *infinita* non ad tempus refertur, quandoquidem anno finiebatur imperium consulare, sed ad magnitudinem. Unde subtilius quam verius, qui emendabat, *immoderata vi, finita potestate.* Defectus conjunctionis orationem non hiantem, sed graviorem efficit, cum potestas consulum ad invidiam in eos concitandam dicitur 'immoderata,' 'infinita.'

Infinita potestate] Revera regia erat, durante magistratu; quo exacto, poterat consuli dies dici. Hinc intelligere est quanta esset patriciorum superbia, et ambitio; quod non observant, qui priscos Romanos æquitatis amantes fingunt, ut Sallustius, initio Belli Catilinarii. *J. Clericus.*

[p] *Verterent in plebem*] Quod notat Glar. *verterent* pro *verterentur* accipi posse, generaliter quidem verum est, sed hoc loco active sumi debet: est enim mens Arsæ tribuni, consules, legibus solutos, earum jugum plebi imponere.

[q] *Legem se promulgaturum*] Narrat lib. x. Dionysius, Romanos initio sine legibus vixisse, quod a regibus omnia manu gubernarentur. Deinde translato ad consules imperio, jus maxima ex parte præjudiciis atque arbitrio eorum administratum: cum ejus pars exigua libris pontificum contineretur, qui libri in patriciorum tantum manibus erant. Idcirco hunc Terentium consulare imperium certis legibus circumscribere tentasse, cum diceret liberæ civitati nihil esse convenientius, quam si omnia, tum privatim, tum publice, ex legum præscripto gererentur.

[r] *Ut quinque viri creentur legibus de imperio consulari scribendis*] Quinquevirorum nulla mentio apud Dionysi-

rent, senatus a præfecto Urbis Q. Fabio vocatur: qui adeo atrociter in rogationem latoremque ipsum[r] est invectus, ut nihil, si ambo consules[s] infesti circumstarent tribunum, relictum minarum atque terroris sit: 'insidiatum eum, et tempore capto adortum rem publicam. Si quem similem ejus priore anno, inter morbum bellumque,[s] irati Dii tribunum dedissent, non potuisse sisti.[t] Mortuis duobus consulibus, jacente[20] ægra civitate in colluvione omnium rerum, ad tollendum e re publica consulare imperium laturum leges fuisse; ducem Volscis Æquisque ad oppugnandam Urbem futurum. Quid tandem? illi[1] non licere,[u] si quid consules superbe in aliquem civium aut crudeliter fecerint, diem dicere? accusare his ipsis judicibus, quorum in aliquem sævitum sit? Non illud[2] consulare imperium, sed tribuniciam potestatem invisam intolerandamque facere: quam pacatam[3] reconciliatamque[x] Patribus de in-

[r] *Contra plebiscitum, contraque ipsum ejus auctorem tribunum.*
[s] *Tempore pestis simul et belli.*

Vid. Not. Var.—20 Vulg. *sisti, mortuis duobus consulibus: jacente.*—1 Gronov. *Quid? tandem illi.*—2 *Illum* Edd. a Frob. ad Drak.—3 *Plucatam* Ms. Flor. probb. J. F. Gronov. et Drak. quod et in textum recepit Kreyssigius.

NOTÆ

um, sed decemviros creari eam in rem postulant anno proximo tribuni.

[s] *Ut nihil, si ambo consules, &c.*] Sensus ambiguus. Videtur Auctor velle, quod ad minas et incutiendum terrorem attinet, nihil defuisse orationi Fabii, nisi ut uterque consul affuisset, qui tribuni lateribus infestus inhæreret. Et tamen intelligi potest plus adhuc indicare, id est, nihil fuisse quod desideraretur; nec plus minarum ac terroris potuisse inferri ab ambobus consulibus si præsentes se tribuno infestos opposuissent.

[t] *Non potuisse sisti*] Recte hoc loco distinguit Gronovius. Nova quippe periodus est. *Mortuis duobus coss.* Porro *sisti* a Nostro sæpe pro 'resisti,' 'sustineri,' 'sedari' accipitur: ut lib. II. c. 44.

[u] *Quid tandem? illi* [*Quid? tandem illi*] *non licere*] Hic quoque distinctione opus. Sed malim punctum interrogans inserere post *tandem;* quod et repetatur post *sævitum sit.* 'Illi non licere,' idem est ac 'nonne ei licere,' &c. ut negando per interrogationem ostendat Fabius nullam esse causam conquerendi de consulum potestate, cum cuivis copia sit eos, deposito magistratu, accusandi apud populum, si quid forte in magistratu peccaverint. Quanquam nihil absurdi sequitur ex vulgo recepta distinctione, quæ interrogationem habet post *non licere?* Erit enim hic sensus, ut velit Fabius, eorum, quæ justa videri possint, nihil non tribuno, tam atrociter conquerenti, jam nunc citra novam legem licere adversus consules, quandoquidem eis diem di-

tegro in antiqua redigi mala. Neque illud se deprecari,[y] quo minus pergat, ut cœperit. Vos,' inquit Fabius, 'ceteri tribuni, oramus, ut primum omnium cogitetis, potestatem istam ad singulorum auxilium, non ad perniciem universorum, comparatam esse; tribunos plebis vos creatos, non hostes Patribus. Nobis miserum, invidiosum vobis est, desertam rem publicam invadi. Non jus vestrum, sed invidiam, minueritis. Agite cum collega, ut rem integram in adventum consulum differat. Ne Æqui quidem ac Volsci, morbo absumtis priore anno consulibus, crudeli superboque nobis bello institere.' Agunt cum Terentillo tribuni: dilataque in speciem actione, re ipsa sublata,[z] consules extemplo arcessiti.

10. Lucretius cum ingenti præda, majore multo gloria rediit. Et auget gloriam adveniens, exposita omni in campo Martio præda, ut suum quisque per triduum cognitum abduceret. Reliqua vendita, quibus domini non extitere. Debebatur omnium consensu consuli triumphus: sed dilata res est, tribuno de lege agente. Id antiquius consuli fuit.[t] Jactata per aliquot dies cum[4] in senatu res, tum ad populum est. Cessit ad ultimum majestati consulis tribunus, et destitit. Tum imperatori exercituique honos suus redditus. Triumphavit de Volscis Æquisque;[a] triumphantem secutæ suæ legiones. Alteri consuli datum, ut ovans sine militibus[b] urbem iniret. Anno deinde inse-

[t] *Ea res potior consuli est visa.*

NOTÆ

cere, eosque ad populum accusare, licet.

[x] *Quam pacatam reconciliatamque*] Flor. ex Gronov. *quam placatam reconciliatamque patribus*, quod melius judicat Gronovius, uti revera est, si membrum illud uno tenore legamus: verum nihil vetat hæc duo distingui, et plebem pacatam in seipsa, et pace composita reconciliatam senatui.

[y] *Deprecari*] Hoc verbum compositum proprie significat, precando impetrare. Sed aliquando sumitur pro simplici, precari, ut hoc loco.

[z] *Re ipsa sublata*] Immo posteriori anno per Virginium ceterosque tribunos resumta est.

[a] *Triumphavit de Volscis Æquisque*] Trumphasse Lucretium ex Senatusconsulto Dionysius refert extremo lib. IX. Non tamen cum Volscis pugnasse, sed Æquos ex agro Romano, quem deprædati fuerant, magna strage repulisse, ipsorumque deinde agros esse populatum.

[b] *Ut ovans sine militibus*] Veturio,

quenti[5]* lex Terentilla,[c] ab toto relato collegio, novos aggressa consules est. Erant consules P. Volumnius, Ser. Sulpicius. Eo anno cœlum ardere visum;† terra ingenti concussa motu est. Bovem locutam, cui rei priore anno fides non fuerat, creditum. Inter alia prodigia et carnem pluit:[6][d] quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuisse fertur.[e] Quod intercidit,[7] sparsum[8] ita jacuisse per aliquot dies, ut nihil odor mutaret.[f] Libri per

4 *Tum* Gronov. Doujat. Crevier.—5 *Sequenti* Edd. ante Ald. et a Sigon. ad Drak.—6 *Carne pluit* Edd. vett. nonnulli ac postea ab Rhenan. ad Drak. Vulg. *carnem pluisse*.—7 Conj. Rupert. *interciderit*.—8 ' Vet. lib. *sparsum*

NOTÆ

qui Volscos fuderat, eorumque agros vastaverat, ovatio permissa, cujus pompam Dionysius non disparem fuisse ait, nisi quod, non curru, sed pedibus urbem ingressus est.

* A. U. C. 292.

[c] *Lex Terentilla*] Ut in nomine tribuni, ita in appellatione legis, cujus ille suasor fuit, variant auctores. Hotomannus Terentiam vero nomine dictam contendit.

† *Cœlum ardere visum, &c.*] Si eo tempore, quo hæc contigisse dicuntur, fidem detrahebant hisce prodigiis, ut liquet ex proxime sequentibus, multo minus seriores ætates talia credere decet. *J. Clericus.*

[d] *Et carnem pluit* [*pluisse*] Mavult Rhen. *carne pluit*, quasi *carnem pluere* Latinum non sit, et non appareat quo referatur infinitivus *pluisse*. Contra hanc ejus et Andreæ lectionem Gronovius ab eodem Auctore nostro probat lib. x. c. 1. dictum, ' terram multifariam pluisse:' hoc autem *pluisse* referri potest ad *τὸ fertur*, quod sequitur: vel si malis, ad *τὸ creditum*, quod præcedit.

[e] *Quem imbrem* [*quam in urbem*] *ingens numerus avium intervolitando* [*intra volitando*] *rapuisse fertur*] Rhenanus idem corrigit, *quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuisse fertur :* cujus emendationis nulla mihi satis idonea causa occurrit. Quod enim ait, hæc prodigia Romæ accidisse, quasi in Urbem ab avibus deferri non potuerint carnium frustula, quæ in Urbe ipsa de cœlo cecidissent; id nihil me movet: tum quia Romæ appellatione non Urbs tantum, sed et suburbana intelliguntur: tum quia nec Livius ipse, nec alius quispiam, intra muros tantum Urbis carne pluisse notat. Immo ex Dionysii narratione liquet in agro Romano contigisse hoc portentum: quandoquidem quæ ex his carnium frustulis superfuere, (sive non direpta ab avibus, sive ex earum rostris delapsa,) in Urbe agrisque sparsa jacuisse narrat. Pluisse carne in suburbano credibile ex Dionysii narratione, et carnem illam ab avibus intra Urbem volantibus abreptam.

[f] *Ut nihil odor mutaret*] Rem totam describit Valer. Max. ' Carnis quoque, in modum nimbi, dissipatæ partes ceciderunt: quarum majorem numerum præpetes diripuerunt aves; reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi as-

duumviros sacrorum aditi:[g] pericula a conventu alienigenarum[h] prædicta, ne qui in loca summa urbis impetus, cædesque inde fierent. Inter cetera monitum, ut seditionibus abstineretur. Id factum ad impediendam legem, tribuni criminabantur, ingensque aderat certamen. Ecce (ut idem

NOTÆ

pectu mutatum, jacuit.' Apud Dionysium initio lib. x. ea res ita narratur: Plus ceteris prodigiis terruit, nivis in morem, demissa caro frustis majoribus, minoribusque. Hæc ab omni genere avium intervolitantium direpta sunt, priusquam terram attingerent. Reliquum quod intercidit, in Urbe agrisque sparsum jacuit multo tempore, nec colore mutato, nec odore, contra morem veterascentium carnium. Ceterum frustra est Sigonius cum putat legendum *nihil odoris mutaret*. Melius postea excipit, nisi *mutare* hic passive sumatur, ut apud Græcos μεταβάλλειν. Ita nimirum accipiendum est hoc verbum, ut odor mutatus non fuerit.

[g] *Libri per duumviros sacrorum aditi*] Cum prodigium illud vates indigenæ interpretari non possent, recurrendum fuit ad libros Sibyllinos, quos librorum nomine Noster intelligit: et illi quidem fatalium librorum nomine continebantur, ut apparet ex lib. v. cap. 14. juncto cap. 13. Sed alios quoque fatales fuisse libros facile colligitur, vel ex ejusdem lib. xv. ubi hac de re accuratius. Porro neminem fugit novem, aut certe tres, linteos libros Tarquinio Superbo, vel, (quod aliis verisimilius videtur,) Tarquinio Prisco, a Sibylla Cumana oblatos, et magno pretio indicatos, tandemque tertiam eorum partem, reliquis exustis, eodem pretio comparatam: creati deinde ab eodem Tarquinio fuere Duumviri ex nobilium numero, additis duobus publicis ministris: quod populus postea secutus; et Sibyllina hæc oracula ab hujusmodi sacerdotibus, omnium munerum publicorum onere immunibus, magna religione custodiri voluit, ut per eos consulerentur ex Senatusconsulto, quoties seditionibus, aut pestilentia, vel gravi bello resp. periclitaretur, vel prodigia quædam nova et dubia nuntiarentur; ac per eosdem curari sacra, quæque alia Sibyllinorum carminum jussu facienda essent. Pro Duumviris, Decemviros sacris faciundis ex patriciis et plebe creari placuit an. 388. ut infra lib. vi. cap. 37. traditur. Hic deinde numerus non semel auctus est ad Quindecimviros: immo ad sexaginta usque, servato tamen Quindecimvirorum nomine, etiam postquam libri Sibyllini cum Capitolio, ubi arca lapidea inclusi in Jovis cella subterranea servabantur, combusti fuerunt sociali bello, L. Scipione, C. Norbano coss. teste Tacito lib. iv. Histor. id est, an. U. C. 670. quorum loco alii undequaque conquisiti.

[h] *Pericula a conventu alienigenarum*] Fictum id, composito ad tempus responso, ut questi sunt tribuni; an ex arte, et revera ex Sibyllinis carminibus erutum, difficile dictu est. Externum hostem, atque ex superioribus locis grassantem, volucres rapaces per aëris spatia volitantes, periclitantem libertatem (qua velut proprio cibo populus aleretur) caro depasta significare potuit. Et fidem hujus responsi comprobasse videri potest Appii Herdonii paulo post in Capitolium irruptio, quæ infra cap. 15. describitur.

in singulos annos orbis volveretur)[u] Hernici nuntiant, Volscos et Æquos, etsi accisæ res sint, reficere exercitus; Antii summam rei positam; Ecetræ Antiates colonos[i] palam concilia facere. Id caput, eas vires belli esse. Ut hæc dicta in senatu sunt, delectus edicitur:[9] consules belli administrationem inter se dispartiri jussi, alteri ut Volsci, alteri ut Æqui provincia esset. Tribuni coram in foro personare, 'Fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos.[z] Jam ne virtute quidem premi libertatem populi Romani, sed arte eludi. Quia, occidione prope occisos Volscos et Æquos movere sua sponte arma posse, jam fides[10] abierit,[y] novos hostes quæri. Coloniam fidam, propinquam, infamem fieri. Bellum innoxiis Antiatibus indici, geri cum plebe Romana.[k] Quam, oneratam armis, ex urbe præcipiti agmine acturi essent, exilio et relegatione civium ulciscentes tribunos. Sic, ne quid aliud actum putent,[l] victam legem esse; nisi, dum in integro res sit,[11 m] dum domi, dum togati sint, caveant, ne possessione

[u] *Quo eadem rerum vicissitudo singulis annis rediret.*
[z] *Figmentum esse quod de bello Volscorum dicatur: ad illud afferendum comparatos esse, ac velut in societatem vocatos Hernicos.*
[y] *Credibile amplius non fit.*

humi. Dein pro *odor* legendum puto *odoris.*' Sigon.—9 *Indicitur* Elzev. Gronov. Doujat. Crevier. all.—10 '*Id fides* pessime Grut. Gronov. Crevier.' *Stroth.*—11 Curio edidit, *dum integra res sit.*

NOTÆ

[i] *Ecetræ Antiates colonos*] Coloni, partim Roma, plures ex ipsa Volscorum gente, Antium deducti; cum exulum suasu de bello adversus Romanos suscipiendo cogitarent, ea de re palam Antii deliberare non ausi, apud Ecetram, alterum Volscorum caput, concilia habebant. Hæc repetenda ex cap. 4. hujus libri.

[k] *Geri cum plebe Romana*] Credi volebant tribuni, per speciem belli Antiatibus, tanquam hostibus, indicendi, ita belli in eos gerendi oneribus vexari plebem Romanam, ut revera in eam redundarent belli mala.

[l] *Sic, ne quid aliud actum putent*] Itaque persuadere volunt hac consulum arte legem, in gratiam plebis paratam, omnino sublatam esse; nec debere plebem putare aliud actum esse a consulibus, sed eos de hoc uno cogitasse.

[m] *Nisi, dum in integro res sit*] Curio edidit, *dum integra res sit.* At aliter priores, cum Mss. Gronovio teste, qui *in integro rem esse* similibus sat multis loquendi generibus probat.

urbis pellantur,[n] ne jugum accipiant. Si animus sit, non defore auxilium. Consentire omnes tribunos. Nullum terrorem externum, nullum periculum esse. Cavisse Deos priore anno, ut tuto libertas defendi posset.' Hæc tribuni.[o]

11. At ex parte altera consules in conspectu eorum, positis sellis, delectum habebant. Eo decurrunt tribuni, concionemque secum trahunt. Citati pauci, velut rei experiundæ causa: et statim vis coorta. Quemcumque lictor jussu consulis prehendisset, tribunus mitti jubebat. Neque suum cuique jus modum faciebat,[z] sed virium spe et manu obtinendum erat,[12] quod intenderes.[a] Quemadmodum se tribuni gessissent in prohibendo delectu, sic Patres in lege, quæ per omnes comitiales dies[p] ferebatur, impedienda gerebant. Initium erat rixæ, cum discedere populum jussissent tribuni,[q] quod Patres se summoveri haud sinebant. Nec fere seniores rei intererant; quippe quæ non consilio regenda, sed permissa temeritati audaciæque esset. Multum

[z] *Nec æquum jus moderabatur actiones cujusque.*

[a] *Verum fiducia roboris quod cuique inesset, verum per certamen obtinere oportebat, quod quisque moliretur.*

12 ' Restitue quod abolevit Rhenanus, *sed virium spe, sed manu obtinendum*

NOTÆ

[n] *Ne possessione urbis pellantur*] Non urbe quidem; neque enim hoc timendum; sed jure ac potestate quam in libera urbe habeant, aut habere debeant, ex tribunorum sententia.

[o] *Hæc tribuni*] Qui tandem omissis altercationibus legem paratam recitarunt, quæ eo pertinebat, ut Decemviri eligerentur, qui tam de publicis, quam privatis negotiis leges promulgarent; quis sua jura non solum civibus, sed et magistratibus præscriberentur.

[p] *Per omnes comitiales dies*] Inter dies profestos numerantur comitiales, qui in fastis litera *C* notabantur, a Numa instituti; ut per illos cum populo agi, et comitia haberi fas esset, sive magistratuum creandorum causa, sive aliis de causis. Per eos dies Senatum haberi non potuisse tradit Cic. lib. II. Epist. ad Q. Fratrem.

[q] *Discedere populum jussissent tribuni*] Post recitatam in comitio legem, habitamque orationem, cives, quibus suffragii jus, in certum quisque cum tribulibus suis locum discedere jubebantur, ut cujusque tribus per pontem in ovile, sive septum ad id destinatum, admissæ, suffragia exquirerentur.

et consules[13] se abstinebant,[r] ne cui in colluvione rerum majestatem suam contumeliæ offerrent.[b] Kæso erat Quintius,[s] ferox juvenis, qua nobilitate gentis, qua corporis magnitudine et viribus.[14] Ad ea munera, data a Diis, et ipse addiderat multa belli decora, facundiamque in foro; ut nemo, non lingua,[t] non manu, promtior, in civitate haberetur. Hic, cum in medio Patrum agmine constitisset, eminens inter alios, velut omnes dictaturas consulatusque gerens in voce ac viribus suis, unus impetus tribunicios popularesque procellas sustinebat.[c] Hoc duce, sæpe pulsi foro tribuni, fusa ac fugata plebs est. Qui obvius fuerat, mulcatus nudatusque abibat: ut satis appareret, si sic agi liceret, victam legem esse. Tum, prope jam perculsis aliis tribunis, A. Virginius, ex collegio unus, Kæsoni capitis diem dicit.[d] Atrox ingenium accenderat eo facto magis, quam conterruerat: eo acrius obstare legi, agitare plebem,[e] tribunos velut justo persequi bello. Accusator pati reum ruere, invidiæque flammam ac materiam criminibus suis suggerere:[f] legem interim, non tam ad spem perferendi, quam ad lacessendam Kæsonis temeritatem, ferre. Ibi multa, sæpe ab juventute inconsulte dicta factaque, in unius Kæsonis suspectum incidunt ingenium:[g] tamen legi

[b] *Ne in hac omnium rerum perturbatione sese ac dignitatem consularem ulli injuriæ exponerent.*

[c] *Quasi facunda vox viresque corporis ei auctoritatem omnium consulum, aut dictatorum conciliaret.*

[d] *Reum egit criminis capitalis.* [e] *Plebeios vexabat.*

[f] *Patiebatur Virginius ut præceps ferretur, et criminationibus suis novam materiam Kæso Quintius sumministraret.*

[g] *Ascribuntur solius Kæsonis ingenio, utpote inviso.*

erat.' J. F. Gronov.—13 Conj. Putean. *Tumultu et consules.*—14 *Ac viribus*

NOTÆ

[r] *Multum et consules se abstinebant*] A tribuniciis comitiis, ut anteriora ostendunt.

[s] *Kæso erat Quintius*] Quintiorum et Fabiorum prænomen fuit *Cæso*. Sic autem appellabantur qui cæso matris utero in lucem prodiissent, sicuti Cæsares.

[t] *Nemo, non lingua*] Cum conjunctim et uno spiritu dicitur *nemo non*, idem est ac quilibet, gemina negatione affirmationi respondente. Sed hic post *nemo* subsistendum est, ut intelligatur *nemo promtior, nec lingua, nec manu.*

resistebatur. Et A. Virginius identidem plebi: 'Ecquid[15] sentitis jam, vos,[h] Quirites, Kæsonem simul civem et legem, quam cupitis, habere non posse? Quanquam quid ego legem loquor? libertati obstat, omnes Tarquinios superbia exsuperat. Expectate, dum consul aut dictator fiat, quem privatum viribus et audacia regnantem videtis.' Assentiebantur multi, pulsatos se querentes, et tribunum ad rem peragendam ultro incitabant.

12. Jam aderat judicio dies,[u] apparebatque, vulgo homines in damnatione Kæsonis libertatem agi credere. Tum demum coactus cum multa indignitate prensabat[x] singulos. Sequebantur necessarii, principes civitatis. T. Quintius Capitolinus, qui ter consul fuerat, cum multa referret sua familiæque decora, affirmabat: 'Neque in Quintia gente, neque in civitate Romana tantam indolem tam maturæ virtutis unquam extitisse. Suum primum militem fuisse, se sæpe vidente pugnasse in hostem.' Sp. Furius, 'missum ab Quintio Capitolino sibi eum in dubiis suis rebus venisse subsidio. Neminem unum esse,[i] cujus magis opera putet rem[16] restitutam.' L. Lucretius, consul anni prioris, recenti gloria nitens, suas laudes participare cum Kæsone,[k] memorare pugnas, referre egregia facinora, nunc in expeditionibus, nunc in acie:[y] suadere et monere, 'juvenem

[h] *Nonne videtis, non posse vos, &c.*
[i] *Nec unum quidem reperiri.*
[k] *Communia cum Kæsone facere decora sua.*

Gronov. Doujat. Crevier.—15 'Add. *inquit* Edd. a Sigon. ad Drak. Pro *Ecquid* in Mss. nonnullis est *Numquid. Hæc inquit sentitis* Ms. Veith. infra in eodem legitur, *quem et privatum viribus.*' Stroth. In vet. lib. apud Sigon. est: *Ecquid sentitis, inquit, jam vos.*

NOTÆ

[u] *Jam aderat judicio dies*] Dicta nempe ad peragendum judicium.

[x] *Cum multa indignitate prensabat*] Quid ita, cum indignitate, si nihil præter morem omnium reorum? An quod indignum videatur tam insignem hominem reum a plebe agi? An potius quod ipsomet Cæsone indignum, ipsive turpe videbatur, quibus per summam ferociam insultavisset, iis supplicem fieri; quasi superioribus ejus actis convenisset Appium imitari.

[y] *Nunc in expeditionibus, nunc in acie*] Expeditio dicitur quod celeriter agitur, aut celeritatem exigit, bellum inprimis. Sed hoc loco expeditiones pro velitationibus alioque militari labore accipi videntur, acies pro prælio.

egregium, instructum naturæ fortunæque omnibus[17] bonis, maximum momentum rerum ejus civitatis,[l] in quamcumque venisset, suum, quam alienum, mallent civem esse. Quod offendat in eo, fervorem et audaciam ætatem quotidie auferre; quod desideretur consilium, id in dies crescere. Senescentibus vitiis, maturescente virtute,[m] sinerent tantum virum senem in civitate fieri.'[18] Pater inter hos L. Quintius, cui Cincinnato cognomen erat, non iterando laudes, ne cumularet invidiam, sed veniam errori atque adolescentiæ petendo, sibi, qui non dicto, non facto quenquam offendisset, ut condonarent filium, orabat. Sed alii aversabantur preces, aut verecundia, aut metu: alii, se suosque mulcatos querentes, atroci responso judicium suum præferebant.

13. Premebat reum, præter vulgatam invidiam, crimen unum;[n] quod M. Volscius Fictor, qui ante aliquot annos tribunus plebis fuerat, testis extiterat, 'Se haud multo post, quam pestilentia in urbe fuerat, in juventutem, grassantem in Subura,[z] incidisse. Ibi rixam natam esse, fratremque suum majorem natu, nec dum ex morbo satis validum, pugno ictum ab Kæsone[19] cecidisse semianimem. Inter manus[o] domum ablatum, mortuumque inde arbitrari,[a]

[l] *Qui maximi momenti futurus esset ad res civitatis.*
[m] *Vitiis temporis progressu exolescentibus, virtute contra ad maturitatem perducta, &c.*
[n] *Reo, ultra odium in eum disseminatum, unum præsertim crimen officiebat.*
[o] *Manibus suorum.*

16 *Rempublicam* Edd. ante Drak.—17 Vulg. *fortunæ omnibus.*—18 Vet. lib. apud Sigon. *in civitate senescere.*

NOTÆ

[z] *In Subura*] Fuit *Suburra*, vel *Subura*, in Cœlimontio, quæ deinde 2. Urbis regio fuit, ad occidentem montis Cœlii, qua itur in Palatinum, ad SS. Andreæ et Gregorii Basilicam, ut censet Onufrius. Hinc prima Urbanarum tribuum Suburrana. Ipsa Suburra sic dicta, quod sub muro terreo esset; alias *Sucusa*, a pago ejus nominis, vel a succurrendo, quod præsidium ibi locatum succurrere soleret Esquiliis et Carinis. Infamis porro fuit hic vicus habitatione scortorum, ut ex Horat. Persio, Martiali constat: et quod facile sequitur, lascivientium circa juvenum, etiam nobilium, nocturnis grassationibus.

[a] *Mortuumque inde arbitrari*] Hunc Volscium a tribunis subornatum hæc

nec sibi rem exequi tam atrocem per consules superiorum annorum licuisse.' Hæc Volscio clamitante, adeo concitati homines sunt, ut haud multum abfuerit, quin impetu populi Kæso interiret. Virginius arripi jubet hominem, et in vincula duci. Patricii contra vi resistunt.[b] [20] T. Quintius clamitat, 'Cui rei capitalis dies dicta sit, et de quo futurum prope diem judicium, eum indemnatum indicta causa non debere violari.'[c] Tribunus 'supplicium' negat 'sumturum se de indemnato: servaturum tamen in vinculis esse ad judicii diem; ut, qui hominem necaverit, de eo supplicii sumendi copia populo Romano fiat.' Appellati tribuni medio decreto[p] jus[1] auxilii sui expediunt: in vincula conjici vetant: sisti reum,[q] pecuniamque, nisi sistatur, populo promitti, placere pronuntiant. Summam pecuniæ quantam æquum esset promitti, veniebat in dubium: id ad senatum rejicitur. Reus, dum consulerentur Patres, retentus in publico est. Vades dare placuit.[d] Unum vadem

[p] *Decreto, quod inter duo extrema medium fuit.*
[q] *Reum adesse ad dictam diem.*

19 *A Kæsone* Gronov. Doujat. Crevier.—20 *Patricii vi resistunt* duo Pall. *P. vi contra vim* Edd. plerique ante Drak. *Principes contra vi resistunt* Ms.

NOTÆ

falso protulisse postea compertum est. Infra c. 24. Et mirum ei fidem in re sua fuisse habitam, uniusque testimonio Cæsonem concidisse: nisi quod non causa cognita damnatus, sed ipse sponte sibi exilium indixit ante judicium.

[b] *Patricii contra vi* [*vi contra vim*] *resistunt*] Alias, *Patricii contra vi resistunt*. Certe novum non est particulam *contra* adverbialiter sumi.

[c] *Indicta causa non debere violari*] An igitur reum habere in vinculis est eum violare, atque injuriam facere? præsertim cum videatur Virginius Cæsonem non tam odio in vincula duci jussisse, quam ut eum plebeiorum in ipsum insurgentium manibus eriperet. Sed nimirum Romanis moribus in vincula publica (quod pœnæ genus habebatur) conjici non solebant cives, antequam crimen confessi, aut convicti essent.

[d] *Vades dare placuit*] *Vas* ex Varrone lib. v. de Ling. Lat. appellabatur, qui pro alio vadimonium promittebat, id est, eum judicio sisti spondebat. Festus lib. ult. 'Vadem' interpretatur sponsorem datum in re capitali. Unde Ausonius, in Monosyllabis, 'vadem' distinguit a præde, quasi in lite nummaria dato: quod ita accipiendum, ut et prædes, extra litem quoque, dicantur fidejussores qui pro mancipibus ac publicorum redemtoribus interveniunt, quemad-

tribus millibus æris[e] obligarunt. Quot darentur, permissum tribunis est.[f] Decem finierunt. Tot vadibus accusator vadatus est[g] reum. Hic primus vades publicos[2] dedit.[h] Dimissus e foro nocte proxima in Tuscos[3] in exilium abiit.

Veith.—1 Vet. lib. ap. Sigon. *decreto protinus jus:* et ita Ms. Veith.—2 Mavult J. F. Gronov. *publico.*—3 ' *Nocte prox. jussu consulum in Tuscos, &c.* Vet. lib. *insciis consulibus ;* et *Tusculum ;* sed placet magis, *in Tuscos,* quia Diony-

NOTÆ

modum testantur iidem Varro et Festus. Vades Acron et Porphyrio explicant generaliter sponsores vadimonii: inde dictos volunt, quod qui eos dederit, vadere, id est, discedere, interim possit. Notum est enim apud Veteres eum, qui litem vellet intendere, solitum adversario denuntiare ut in jus veniret, et recusantem injecta manu ad prætorem appellatis testibus trahere; nisi vocatus certa die se affuturum promitteret: quam in rem plerumque, certa pœna pecuniaria in stipulatum deducta, dabantur fidejussores, qui deserto vadimonio pœnam præstarent. Hæc autem manus injectio, lege 12. Tabb. anno abhinc decimo comprehensa, tamen antea quoque moribus obtinebat, quemadmodum alia plura in 12. Tabulas conjecta.

[e] *Tribus millibus æris*] Si assem sive libram Romanam paulo pluris quam denariis quatuor Gallicis æstimes cum Budæo, tria millia non multum ultra quinquaginta libras nostras conficient: si decem fere denariis secundum Peireskium æstimaveris, fient 130. libræ præter propter: at si libra æris Romana hodierno apud nos pretio æstimetur, 13. scilicet assibus nostratibus cum dimidio, fient 2025. lib.

Tribus millibus æris] Hoc est, quadraginta quinque florenis Hollandicis, aut circiter. *J. Clericus.*

[f] *Permissum tribunis est*] Nimirum definire, sed a quo permissum? A Senatu opinor, rejecta fere in tribunos ea æstimatione, sive ad eos deliniendos, sive ad vitandam invidiam.

[g] *Vadatus est*] Vadari est, vades postulare, id est, locupletes fidejussores, qui, certæ pecuniæ sponsione, aliquem vadimonium obiturum præstabant. Sumitur tamen hoc verbum et active et passive: nam, teste Porphyrione interprete Horatii ante laudato, *vadari* dicebatur et qui denuntiabat, et cui denuntiabatur.

[h] *Hic primus vades publicos dedit*] Mavult Gronovius *publico:* nam nulli sunt, inquit, privati vades: in quo ipsi assentiri non possum. Itaque mihi nihil mutandum videtur. Publicum quidem dicitur quod ad communes populi usus spectat, ut ipse Gronov. ad c. 9. l. II. notavit. Sed publicos vades recte dici puto, qui magistratibus dentur, ut cautum sit in publicum pecunia populo promissa, quemadmodum Livius ipse hic explicat. Quamvis autem daremus, vades proprie dici qui in publicis causis offeruntur, (quod tamen non esse perpetuum supra ostendimus,) non tamen sequitur vades semper publico dari. Hic autem ideo publice vades a Cæsone dati, quod a tribunis, quasi plebis causam agentibus, accusaretur. Vades igitur ejusmodi tum primum datos fuisse Livius observat, quod nec a Marcio Coriolano factum, ut qui antequam vadaretur solum vertisset lib. II. cap. 35. Nec ab Appio Claudio, de quo ejusd. lib. cap. 61.

Judicii die cum excusaretur solum vertisse exilii causa, nihilo minus Virginio comitia habente, collegæ appellati dimisere concilium: pecunia a patre exacta crudeliter,[i] ut, divenditis omnibus bonis,[k] aliquamdiu trans Tiberim,[l] veluti relegatus, devio quodam tugurio[m] viveret.[4]

14. Hoc judicium et promulgata lex exercuit civita-

sius habet *εἰς Τυῤῥηνίαν.' Sigon.* Vid. Not. Var.—4 'Alii rectius forte legunt, *in devio quodam tugurio,* vel, *devio quodam in t.* vel, *in vili quodam t.* ut ap. Dionys. *ταπεινή τις καλύβη.' Rupert.* '*In devio* Gronov. *agello quodam in tug.* Edd. plerique aute Gronov. Præpositionem *in* post *quodam* ponere mallem, quam cum Drak. plane delere: in Ms. Veith. est, *relegatus in vili quodam tugurio viv.'* Stroth. Vid. Not. Var.

NOTÆ

[i] *Pecunia a patre exacta crudeliter*] Quid ita? cum nec filii crimen patrem obstringat, et Cæso filius exilio se ipse damnasset, qua pœna non facile gravior civi Romano indicebatur, nisi affectatæ tyrannidis aut publicæ proditionis convicto? Coriolano certe exilium tantum indictum. Et quanquam his temporibus, ob privatum filii, non minus quam servi, delictum, noxalis actio etiam in patremfamilias peculio tenus daretur; nunquam tamen Romanis legibus aut moribus publica filiorum aut servorum delicta delinquentis caput egressa leguntur. Sed nimirum *crudeliter* atque ex odio actum in L. Quintium; cum tribuni damnato filio absente decem vades judicio sistendi causa datos ad solvendam pœnam, quæ in casum non obiti vadimonii dicta fuerat, pignoribus captis adigerent; pater vadibus, qui mandato suo pro filio intercesserant, de suo satisfacere coactus sit. Restitutum tamen postea Cæsonem refert Cic. pro domo sua: ubi *Cæso* legendum, non *Censor.*

[k] *Divenditis omnibus bonis*] 'Maxima parte bonorum suorum,' habet Dionysius lib. x. quæ sane haud magna fuerunt: septem enim jugera agri possedit. Ex his tria, quæ pro amico ad ærarium obsignaverat, mulctæ nomine amisit, et pœnam pro filio Cæsone, quod ad causam dicendam non occurrisset, hujus agelli reditu solvit, auctore Valer. Max. lib. iv. cap. 4. n. 7.

[l] *Trans Tiberim*] Extra agrum Romanum tunc fere habebatur Transtiberina regio, Etruriæ scilicet attributa: ita ut qui in ea degerent, peregrini haberentur, ut notat Godel. Hac de causa, qui nomina sua in censum non detulerant, trans Tiberim peregre in servitutem venumdabantur apud Gellium. Sic Veliterni et Privernates, in pœnam defectionis, trans Tiberim habitare jussi, infra l. viii. c. 4. et 20.

[m] *Devio quodam tugurio*] Dionysius ait L. Quintium, contentum uno Transtiberino rusculo, unoque humili tuguriolo, cum paucis servis vitam laboriosam sustentasse præ dolore ac inopia, nec urbem invisentem, nec amicos salutantem, ac ne publicis quidem se immiscentem hilaritatibus. At Valer. testatur ei tamen quatuor jugera aranti non solum dignitatem patrisfamilias constitisse, sed etiam dictaturam delatam esse: qua de re Noster infra cap. 26.

tem:[r] ab externis armis otium fuit. Cum, velut victores, tribuni, perculsis Patribus Kæsonis exilio, prope perlatam esse crederent legem,[n] et, quod ad seniores Patrum pertinet, cessissent possessione rei publicæ;[s] juniores, id maxime quod Kæsonis sodalium fuit,[t] auxere iras in plebem, non minuerunt animos. Sed ibi plurimum profectum est,[u] quod modo quodam temperavere impetus suos. Cum primo post Kæsonis exilium lex cœpta ferri est, instructi paratique cum ingenti clientium exercitu sic tribunos, ubi primum summoventes præbuere causam, adorti sunt, ut nemo unus inde præcipuum quicquam gloriæ domum invidiæve ferret;[x] mille pro uno Kæsones extitisse, plebes quereretur. Mediis diebus,[o] quibus tribuni de lege non agerent, nihil eisdem illis placidius aut quietius erat. Benigne salutare, alloqui plebis homines, domum invitare, adesse in foro,[p] tribunos ipsos cetera pati sine interpellatione concilia habere: nunquam ulli, neque publice, neque privatim, truces esse, nisi cum de lege agi cœptum esset. Alibi popularis juventus erat. Nec cetera modo tribuni tranquillo[5] peregere;[q] sed refecti quoque in insequentem

[r] *Cives occupatos tenuit.*

[s] *Cum tribuni, tanquam victores, Senatoribus exilio Kæsonis afflictis, legem pro jam omnino lata haberent, cumque seniores ex Senatorum numero remisissent jus administrandæ reip. quo hactenus potiti fuerant.*

[t] *Ii præsertim, qui familiares fuerant Kæsonis.*

[u] *In eo multum profecerunt juniores illi Senatores.*

[x] *Cum primum (tribuni plebis), jubendo depelli patricios, occasionem dederunt rixandi, hi adorti sunt tribunos; ita ut nihil quisquam, sive gloriæ, sive odii, præ ceteris domum reportaret; nemo mitior iisdem junioribus Senatoribus, &c.*

NOTÆ

[n] *Perlatam esse crederent legem*] A Terentillo nempe antea propositam, de moderando imperio consulari, de qua c. 9. cui legi nihil obstiturum videbatur. Jam quidem promulgata lex fuerat: sed non lata et populo probata.

[o] *Mediis diebus*] Post recitatam primum legem, trinundini spatium interjiciebatur, id est, dies septem et viginti, ut tribus nundinarum diebus advocata concione lex iterum recitatur, essetque facultas cuique eam legendi, ac de singulis capitibus deliberandi, uti ex Dionys. lib. x. liquet, et indicant decemviri c. 34. hujus libri.

[p] *Adesse in foro*] Defendendis forte plebeiorum causis.

[q] *Cetera modo tribuni tranquillo [tranquille] peregere*] Alias *tranquillo*. Dicitur autem aliquid tranquillo fieri, cum cœlum est sine tempestate. Livius itaque eleganter posuit, ut sig-

annum.[r] Ne voce quidem incommoda, nedum ut ulla vis fieret,[y] paulatim[6] permulcendo tractandoque mansuefecerant plebem. His per totum annum artibus lex elusa est.

15. Accipiunt civitatem placidiorem consules C. Claudius, Appii filius, et P. Valerius Publicola.* Nihil novi novus annus attulerat. Legis ferendæ aut accipiendæ[s] cura civitatem tenebat. Quantum juniores Patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni[t] tendebant, ut plebi suspectos eos criminando facerent: 'Conjurationem factam, Kæsonem Romæ esse: interficiendorum tribunorum, trucidandæ plebis consilia inita. Id negotii datum ab senioribus Patrum, ut juventus tribuniciam potestatem e re publica tolleret, formaque eadem civitatis esset, quæ ante Sacrum montem occupatum fuerat.' Et ab Volscis et Æquis statum[z] jam ac prope solenne in singulos annos bellum timebatur: propiusque aliud novum malum, nec opinato exortum. Exules servique, ad quatuor millia

[y] *Tantum aberat ut vis ulla tribunis inferretur a patricia juventute.*
[z] *Certum et quasi constitutum.*

5 *Tranquille* Edd. ante Drak.—6 Ms. Veith. *quoque in sequentem annum, nec voce quidem incommoda, nedum ut ulla vis f.* In ed. Crevier. *fieret. Paulatim.*

NOTÆ

nificet, sine tumultu: sed hæc vix tanti sunt.

[r] *Refecti quoque in insequentem annum*] Gallice, *continués pour l'année suivante.*

* A. U. C. 293.

[s] *Legis ferendæ aut accipiendæ*] Id agebant quippe tribuni cum plebe, ut lege lata consulibus et Senatui fræna injicerent: hi contra nitebantur ne cum lege jugum acciperent, ut ait Noster c. 9.

[t] *Acrius contra tribuni*] Tribuni plebis, in id refecti, ut legem facilius perferrent, omni arte in id incubuerunt, rumoribus falsis, subdolis consultationibus, et fictitiis literis de conjuratione plurium Senatorum et equitum cum Cæsone Quintio, quasi Æquorum, Volscorum magnas copias, tollendæ tribuniciæ potestatis, et plebeiorum libertatis opprimendæ causa, adducturo. De re tota inquisitionem tribunis mandari unus eorum A. Virginius a Senatu postulavit. Sed ejus orationem Claudius consul, rumorum et literarum, nullo certo auctore, nullisque certis indiciis firmatarum, elevata fide, apud Senatum et populum refellere conatus est, ita ut nihil tunc quidem actum fuerit.

hominum et quingenti, duce Ap. Herdonio[u] Sabino, nocte Capitolium atque arcem occupavere.[x] Confestim in arce facta cædes eorum, qui conjurare et simul capere arma noluerant. Alii inter tumultum præcipites pavore in forum devolant. Alternæ voces, 'Ad arma,' et 'Hostes in urbe sunt,' audiebantur. Consules et armare plebem, et inermem pati[y] timebant. Incerti, quod malum repentinum, externum an intestinum, ab odio plebis, an ab servili fraude, urbem invasisset, sedabant tumultus, sedando interdum movebant. Nec enim poterat pavida et consternata multitudo regi imperio. Dant tamen arma,[z] non vulgo; tantum ut, incerto hoste, præsidium satis fidum ad omnia esset.[a] Soliciti reliquum noctis, incertique, qui homines, quantus numerus hostium esset, in stationibus disponendis ad opportuna omnis urbis loca,[7][a] egere. Lux deinde aperuit

[a] *Non passim: sed duntaxat quantum sufficiebat, ut quamdiu non satis cogniti essent hostes, fidum adesset subsidium adversus quæcumque pericula.*

NOTÆ

[u] *Ap. Herdonio*] Appius hic Herdonius Sabinus vir fuit domi nobilis. Quo autem consilio Capitolium occupare aggressus fuerit, an ut sibi dominationem pararet, an ut Sabinis imperium, sibi gloriam quæreret, ambiguum Dionysius relinquit.

[x] *Capitolium atque arcem occupavere*] Dionysius narrat, Herdonium, dissensionibus populi Romani in spem rei bene gerendæ adductum, communicato cum amicis consilio, copias e clientelis et servitiis comparatas navigiis imposuisse, iisque secundo Tiberi devectis ad ripam Capitolio proximam, nec toto stadio ab eo distantem, nocte intempesta, per portam Cementinam, sive sacratam, (quæ ex oraculo quodam patebat,) Capitolium atque arcem contiguam invasisse, eo animo ut exulibus reditum in patriam, servis libertatem, obæratis remissionem æris alieni, inopibus ceteris civibus opes promittendo, horum omnium opera Urbe potiretur: sin minus, Sabinorum, Volscorum, aliorumve Romano infensorum nomini populorum, exercitum vocaret.

[y] *Et armare plebem, et inermem pati*] Si arma multitudini darent, verebantur fore ut intestinæ seditioni vires adderent: si non darent arma, externo ab hoste metuebant.

[z] *Dant tamen arma*] Miratur Glareanus si soli consules habebant arma. Sed certe inermibus, ex publico armamentario arma sumministranda fuere.

[a] *Ad opportuna omnis* [*omnia*] *urbis loca*] Notat Rhenanus in scripto codice legi *ad opportuna omnis urbis loca*. Gronovius hanc lectionem omnino Livii esse contendit, et sic a se restitutam jactat lib. v. c. 42. *Seu non omnis delendæ urbis lubido erat.* Et hic *omnis urbis* vult esse per totam urbem. Quod etsi dici posse non inficior, vulgatam nihilominus lectio-

bellum ducemque belli. Servos ad libertatem Ap. Herdonius ex Capitolio vocabat, 'Se miserrimi cujusque suscepisse causam, ut exules injuria pulsos in patriam reduceret, et servitiis[8] grave jugum[b] demeret. Id malle populo Romano auctore fieri. Si ibi spes non sit, se Volscos, et Æquos, et omnia extrema tentaturum et concitaturum.'

16. Dilucere res magis Patribus atque consulibus. Præter ea tamen, quæ denuntiabantur, ne Veientium, neu Sabinorum id consilium esset, timere: et, cum tantum in urbe hostium esset,[b] mox Sabinæ Etruscæque legiones ex composito adessent; tum æterni hostes Volsci et Æqui, non ad populandos, ut ante, fines, sed ad urbem, ut ex parte captam, venirent. Multi et varii timores. Inter ceteros eminebat terror servilis, ne suus cuique domi hostis esset. Cui nec credere, nec, non credendo,[9] ne infestior fieret, fidem abrogare, satis erat tutum.[c] Vixque concordia sisti videbatur posse. Tantum superantibus aliis ac emergentibus malis,[10] nemo tribunos aut plebem timebat.[c] Mansuetum

[b] *Magis ea res Senatui et Consulibus patebat: nihilominus, ultra ea quæ referebantur, timebant ne consilium illud a Veientibus aut a Sabinis esset, et ne mox copiæ Sabinorum vel Etruscorum ex compacto supervenirent, cum tantus jam hostium numerus intra mœnia esset.*

[c] *Cui (servo, hosti domestico) securum non erat nec credere, (utpote suspecto,) nec, non credendo, detrahere fidem, ne ex domini diffidentia magis fieret infensus.*

7 In plerisque edd. legitur, *opportuna omnia urbis loca.*—8 Vulg. *et servitutis grave j.*

9 'Crevierio, qui voces *non credendo*, tanquam inane glossema, delendas censebat, haud assentior.' *Doering.*—10 '*Posse; tantum s. a. ac e. malis; V.* ad II. 29. 7. Post *posse* minimam, et post *malis* maximam distinct. poni malebat Duk. τὸ *ac* ante vocalem h. l. legitur, ut XLI. 24. 9. XLII. 12. 1. et al. Id vero barbarum esse, et *atque* vel *et* vel *aut* iis locis substituendum, docent Drak. ad X. 36. XLI. 24. Intpp. Suet. Cæs. 26. Ern. clav. Cic. Ruhnken. ad Muret. T. I. p. 9. et alii refragante Schellero in Lex. Lat.' *Rupert.* 'Post *tantum* et *et* ante *per* distinctionem posui; particulam vero *que*, voci *tum* ad-

NOTÆ

nem, quæ Veterum auctoritate non destituitur, planiorem censeo.

[b] *Et servitiis grave jugum*] Alias *et servitutis:* sed recte ex Mss. cod. Gronovius reposuit *servitiis:* confirmatque ex eo quod sequitur paulo post, 'qui servitia nostra non commovit auctor,' ubi, ut et alibi passim, *servitia* pro *servis.* Et vero non Romanis, qui liberrimi omnium populorum, sed eorum mancipiis jugum demturus videri Herdonius volebat.

[c] *Nemo tribunos aut plebem timebat*] Quo ergo pertinet quod paulo ante

id malum, et per aliorum quietem malorum semper exoriens, tumque esse peregrino terrore sopitum videbatur. At id[11] prope unum maxime inclinatis rebus incubuit.[d] Tantus enim tribunos furor tenuit, ut non bellum, sed vanam imaginem belli, ad avertendos ab legis cura plebis animos, Capitolium insedisse contenderent: patriciorum hospites clientesque, si perlata lege frustra tumultuatos esse se sentiant, majore, quam venerint, silentio abituros. Concilium inde legi perferendæ habere, avocato[12] populo ab armis.[d]

[d] *Malum illud lenius videbatur, quod tantum ex aliorum incommodorum cessatione nasci solitum esset; ac tunc externo terrore videbatur sedatum: sed illud fere solum res, alioqui maxime depressus, afflixit.*

jectam, eo fidentius delevi, cum illa neque in vet. lib. apud Sigon. neque in codd. Harl. sec. et Haverk. apud Drak. compareat. Ceterum observa insolentiam, qua in *ac emergentibus* præter morem optimorum scriptorum *ac* ante vocalem positum est.' *Doering.* '*Mansuetum id malum,* lenius, *et... exoriens, tumque esse sopitum videbatur.* Ita bene cohærent hæc verba, nec necesse est legere *tum* pro *tumque,* vel cum Schellero *tum quiesse* vel *quiescere;* etsi hoc arridere possit.' *Rupert.*—11 Pro *At id* in Ms. Veith. perinde ac plerisque reliquis Mss. et multis Edd. est *Ad id.*—12 ' Plures codd. *advocato;* haud male, sc. in concilium.' *Doering.*

NOTÆ

dixit, 'vixque concordia sisti videbatur posse;' siquidem nemo patriciorum plebem timebat? Si enim plebs non timebatur, facile retineri poterat concordia inter ordines: aut si concordia non videbatur servari posse, timendi Senatoribus plebeii, a quibus discordia et seditio semper oriebatur. Nisi concordiam servorum cum dominis Auctor intelligit: quod sane minus proprie dictum videatur; est enim concordia consensus inter quodammodo pares, qui velut ejusdem corporis membra censentur.

[d] *Avocato populo ab armis*] Jubet Rhenanus scribi *advocato,* ut subaudiatur, ad concilium; quemadmodum infra, inquit, 'propositis decem tabulis populum ad concionem vocaverunt.' Sed non eadem est utriusque loci ratio. Nam cap. 34. Decemviri non alibi occupatum populum vocant ad concionem: hic autem ab armis et stationibus evocant. Paulo aliter hæc narrantur ab Halicarnasseo: Tribunos, concione advocata, testatos quidem esse nolle se obstare bono publico; verum postulasse ut plebi periculosum subituræ certamen certum proponeretur præmium, promittereturque, jurejurando interposito, fore ut, hoc bello finito, decemviri scribendis legibus crearentur: alioqui nihil esse cur plebeii se in apertum discrimen darent, nullo victoriæ fructu ad eos redituro. Tum Claudium negasse talibus auxiliariis nunc opus esse, qui non nisi magna mercede vellent patriæ opem ferre. Ituros cum clientibus et voluntariis patricios ad recipiendam arcem, et, si opus fuerit, vocaturum se Latinos et Hernicos, servis quoque promissurum libertatem, quorumvis denique

Senatum interim consules habent, alio se majore ab tribunis metu ostendente, quam quem nocturnus hostis intulerat.

17. Postquam arma poni, et discedere homines ab stationibus nuntiatum est, P. Valerius, collega senatum retinente, se ex curia proripit, inde in templum ad tribunos venit: 'Quid hoc rei est,' inquit, 'tribuni? Ap. Herdonii ductu et auspicio rem publicam eversuri estis? Tam felix vobis corrumpendis fuit, qui servitia vestra [13] non commovit auctor? [e e] Cum hostes supra caput sint, discedi ab armis, legesque ferri placet?' Inde ad multitudinem oratione versa: 'Si vos urbis, Quirites, si vestri nulla cura tangit; at vos veremini Deos vestros,[14] ab hostibus captos.[f] Jupiter optimus maximus, Juno regina,[15] et Minerva,[g]

[e] *Adeone fortunatus auctor fuit ad vos depravandos, qui servos vestros concitare non potuit?*

13 'Τὸ *vestra* ab Sigonio venit. Abest autem ab Helm. Voss. utroque, Rott. Gud.' *J. F. Gronov.* Vet. lib. apud Schott. *nunc commovit auctor.*— 14 *Deos patrios* Edd. a Sigon. ad Drak. *vereamini Deos vestros* Ms. Veith.— 15 'Epitheton *regina* delendum suspicari possis h. l. et loco sim. VI. 16. pr. nam serius Romam deportata est, et in Aventino templum habuit.' *Rupert.*—

NOTÆ

opera potius usurum, quam eorum qui tam iniquo patriæ tempore veterum offensarum memoriam refricarent. Interim Valerium collegæ indignationem cohibuisse, monendo non exasperandam tunc plebem, sed tempori cedendum: cum externo hoste armis dimicandum, cum civibus ex æquo disceptandum. Quod cum Senatui magis probaretur, Valerium in comitia progressum.

[e] *Qui servitia vestra non commovit auctor*] Recte ex veteribus libris, *qui servitia vestra:* alioqui magis ad fidem esset, quod alius vetus liber habet, *qui servitia nunc commovit*, ut notat Schottus observat. lib. III. c. 38. Nam a quatuor millibus servorum et quingentis Capitolium, inquit, insessum fuit: nec liberorum capitum ibi ulla mentio. Addere potuit *castra servorum* paulo post ab eodem Valerio vocari. Verum Livius, licet in numero convenit, satis nihilominus indicat, non omnes servos fuisse, dum exules memorat distinctos a servis; et Dionysius tradit has copias ex clientibus Herdonii atque ex servis conflatas. Illum quidem exules Romanos paucos, at servos transfugas vix ullos secum habuisse perspicue demonstrat idem Dionysius. Ideoque si legamus *servitia vestra*, optime omnia constabunt, nec lædetur ullatenus fides, et ipso Schotto fatente speciosius erit dictum ob contentionem ἀντιθέσεως, ut ille qui Romanorum servos non commoverit, is dominos ipsos commoveat.

[f] *Veremini Deos vestros* [*patrios*] *ab*

alii Dii Deæque obsidentur. Castra servorum publicos vestros penates tenent. Hæc vobis forma sanæ civitatis videtur? Tantum hostium non solum intra muros est, sed in arce supra forum curiamque: comitia interim in foro sunt:[h] senatus in curia est:[i] velut cum otium superat,[k] senator sententiam dicit: alii Quirites suffragium ineunt. Non, quicquid Patrum plebisque est, consules, tribunos, Deos,[16] hominesque omnes[l] armatos opem ferre, in Capi-

NOTÆ

hostibus captos] Vereri non semper idem est ac timere. Sæpe accipitur pro eo quod est observare cum modestia, ex amore colere, revereri: quod ipsa verecundiæ et reverentiæ nomina facile ostendunt.

[g] *Jupiter opt. max, Juno regina, et Minerva*] Hæc tria numina honore præcipuo in Capitolio colebantur, quibus teste Dionysio tres ædes pares dicatæ erant communibus parietibus comprehensæ, sub eodem tecto et pinnaculo; media Jovis, dextra Minervæ, læva Junonis: eoque spectat ille Ausonii versus in ternar. 'Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.'

[h] *Comitia interim in foro sunt*] Paulo antea ait Auctor Valerium in templum ad tribunos venisse: unde colligas in templo ab iis, non in foro, habita comitia. Sed in foro Romano, sub radicibus Capitolini montis sito, plura jam tum templa erant, vetus Minervæ, Vestæ, Castoris quoque, quod ante annos 37. a Postumio dictatore dicatum fuisse jam legimus. In horum aliquo potius, quam in comitio, quod tecto adhuc carebat, ideoque minus tutum adversus eos, qui Capitolium inseserant, receptum præbere videbatur, convocata nunc sine dubio plebs a tribunis fuit. Quod quidem ipsis liberum erat, cum tributis plebeiorum comitiis nullus certus videatur assignatus fuisse locus, leganturque modo in Campo Martio, modo in Capitolio, plerumque in comitio (quæ fori pars erat) habita: contra quam fieret in comitiis tum curiatis, tum centuriatis, quæ nonnisi augurato, illa intra, hæc extra pomœrium, haberi oportebat: unde curiata fere in comitio, centuriata in Campo Martio habebantur. Cujus rei rationem A. Gellius refert lib. xv. c. 27.

[i] *Senatus in curia est*] Nempe in curia Hostilia, ubi Hostilii regia fuerat.

[k] *Velut cum otium superat*] Quemadmodum redundante otio, quando tempus supervacuum datur; *comme quand on n'a rien à faire.*

[l] *Consules, tribunos, Deos, hominesque omnes*] Tribus de causis verisimile facit Gronovius, quod cuivis in mentem facile venerit, Deos male huc advocari, et corruptum esse hunc locum: 1. quod hæc vocabula *armatos* et *currere* inepte referantur ad Deos: deinde quod Valerius agat de officio eorum qui opem reip. debent, et quibus potest imperari, quorum profecto e numero Dii non sunt: 3. quod idem statim novitium, ut ita dicam, numen Romuli adoret ac veneretur; quod qui facit, ejus esse non videatur Deos generatim tanquam officii sui admonere, quasi armati accurrere debuerint. Itaque pro voce *Deos* non improbabiliter substituit *cives;* ut luculenta gradatio

tolium currere, liberare ac pacare augustissimam illam domum Jovis optimi maximi decuit? Romule pater, tu mentem tuam, qua quondam arcem, ab his iisdem Sabinis auro captam, recepisti, da stirpi tuæ. Jube hanc ingredi viam, quam tu dux, quam tuus ingressus exercitus est. Primus, en, ego consul, quantum mortalis Deum possum, te, ac tua vestigia sequar.' Ultimum orationis fuit, 'Se arma capere, vocare omnes Quirites ad arma. Si quis impediat, jam se consularis imperii, jam tribuniciæ potestatis sacratarumque [17] legum oblitum, quisquis ille sit, ubicumque sit, in Capitolio, in foro, pro hoste habiturum. Juberent tribuni, quoniam in Ap. Herdonium vetarent, in P. Valerium consulem sumi arma. Ausurum se in tribunis, quod princeps familiæ suæ [m] ausus in regibus esset.' Vim

16 *Eos* pro *Deos* conj. Coutier. et *cives* J. F. Gronov.—17 Vulg. *sacrarumque.*

NOTÆ

sit a summo ad infimum, a consulibus ad eos *homines*, qui ne in civium quidem numero essent, cujusmodi multa millia Romæ fuisse non est dubium. Qua de causa distinguuntur sæpe cives ab hominibus. Quia tamen Gronovius, non ex fide veteris ullius codicis, sed conjectura sola adductus receptam lectionem mutare aggressus est, si quis illam retinere maluerit, non multum sane adversarium me habuerit. Non pauca enim præter exactam rationem extorquet indignatio: et sive Deos patrios, sive Æneam, Romulum ipsum, aliosque Deos ex hominibus factos intelligas; quid vetat eorum opem conjunctim cum humano et virorum auxilio implorari? præsertim cum τὸ *armatos*, ad solos homines referri possit. Tullius certe Deos cum hominibus in re haud plane absimili conjungere non dubitavit, lib. II. ad Quint. Fr. ep. 4. 'Diis,' inquit, 'hominibusque plaudentibus.' Nec minus Noster infra cap. prox. eadem de re, 'Pudet Deorum hominumque.'

[m] *Quod princeps familiæ suæ*] Glareanus Livium hic reprehendere videtur, quod P. hunc Valerium Poplicolam consulem inducat de priore Poplicola, quasi de tritavo, aut certe atavo, loquentem; cum Dionysius illius hunc filium fuisse dicat. Gronovius negat intellexisse Glareanum quid hic esset familia. Est enim sensus, Poplicolam priorem (Bruti collegam) fuisse principem sive auctorem sui cognominis, atque in Valeria gente exorsum esse Poplicolarum familiam, cum essent aliæ Valeriorum familiæ, de quibus Sigonius: aliud enim gens, aliud familia. Hæc quidem mihi neutiquam ambigua. In eo tamen hæreo, an hic P. Valerius primi Poplicolæ filius fuerit; nepotem potius conjicerem. Ex hoc quidem loco aliquatenus; ex Dionysii testimonio fortius. Hic enim libro VI. tradit, sanciato in pugna adversus Tarquinium Marco Valerio, Poplicolæ fratre, Publium et Marcum,

ultimam apparebat futuram, spectaculoque seditionem Romanam hostibus fore. Nec lex tamen ferri, nec ire in Capitolium consul potuit. Nox certamina cœpta oppressit: tribuni cessere nocti, timentes consulum arma. Amotis inde seditionis auctoribus, Patres circumire plebem, inferentesque † se in circulos,[f] sermones tempori aptos serere: admonere, 'Ut viderent, in quod discrimen rem publicam adducerent. Non inter Patres ac plebem certamen esse, sed simul Patres plebemque, arcem urbis, templa Deorum, penates publicos privatosque hostibus dedi.' Dum hæc in foro sedandæ discordiæ causa aguntur, consules interim, ne Sabini,[18] ne Veiens hostis [n] moveretur, circa portas murosque discesserant.

18. Eadem nocte et Tusculum de arce capta, Capitolioque occupato, et alio turbatæ urbis statu, nuntii veniunt. L. Mamilius Tusculi tum dictator erat. Is, confestim convocato senatu, atque introductis nuntiis, magno opere [19] censet, 'Ne expectent, dum ab Roma legati, auxilium petentes, veniant: periculum ipsum, discrimenque, ac sociales Deos, fidemque fœderum id poscere. Demerendi beneficio tam potentem, tam propinquam civitatem, nunquam parem occasionem daturos Deos.' Placet ferri auxilium; juventus conscribitur, arma dantur. Romam prima luce venientes procul speciem hostium præbuere. Æqui aut

[f] *Cœtibus se immiscentes.*

—† 'Plures libb. Mss. *inserentes*, sed *inferentes* multo est gravius, et studium atque impetum, quo nunc in circulos se immittebant, magis exprimit.' *Doering.*—18 Vet. lib. ap. Sigon. *ne Sabinus.*

NOTÆ

hujus filios, postquam patrnum in castra remisissent, furentes præ dolore in medios irrnisse hostes, atque ab exulibus multitudine vulnerum confectos una occubuisse: quod si ita est, illo Publio natus fuerit hic Valerius, de quo nunc sermo: nisi dixerimus in primi Poplicolæ familia Publios fuisse duos, quorum prior in acie perierit dictatore Postumio, hic junior bis postea consul fuerit.

[n] *Ne Sabini, ne Veiens hostis*] Livium numeri variatione delectari observat Gronovius, ut lib. II. 'Nec Veiens hostis, Etruscæque legiones detrectant:' iterumque 'Veiens hostis Etruscique magis præpropere agere.'

Volsci venire visi sunt. Deinde, ubi vanus terror abiit, accepti in urbem, agmine in forum descendunt. Ibi jam P. Valerius, relicto ad portarum præsidia collega, instruebat aciem. Auctoritas viri moverat,[o] affirmantis, ‘ Capitolio recuperato, et urbe pacata, si edoceri se sissent,[20] [p] quæ fraus ab tribunis [1] occulta in lege ferretur, memorem se majorum suorum, memorem cognominis,[q] quod populi [2] colendi velut hæreditaria cura sibi a majoribus tradita esset, concilium plebis non impediturum.’ Hunc ducem secuti, nequicquam reclamantibus tribunis, in clivum Capitolinum erigunt aciem.[g] Adjungitur et Tusculana legio. Certare socii civesque, utri recuperatæ arcis suum decus facerent.[h] Dux uterque suos adhortatur. Trepidare tum hostes : nec ulli satis rei, præterquam loco, fidere. Trepidantibus inferunt signa Romani sociique. Jam in vestibulum perruperant templi, cum P. Valerius, inter primores pugnam ciens, interficitur.[r] P. Volumnius consularis vidit cadentem. Is, dato negotio suis, ut corpus obtegerent, ipse in locum vicemque consulis provolat. Præ ardore impetuque tantæ

[g] *Ascendunt facto agmine collem quo aditur Capitolium.*
[h] *Romani an Tusculani receptæ arcis gloriam primi adipiscerentur, et sibi vindicarent.*

19 Alii una voce *magnopere.*—20 ‘ Al. *sirissent ;* sed contractas formas amat Livius.’ *Rupert.*—1 *A tribunis* Gronov. Doujat. Crevier.—2 *Quo populi* iid. et ita forte legendum notat quoque Rupert.

NOTÆ

[o] *Auctoritas viri moverat*] Plebeios nempe ad arma adversus hostes capienda ; quod detrectabant ante hoc Valerii promissum, cui ob innatam ejus familiæ popularitatem facilius credebant.

[p] *Si edoceri se sissent*] Non itaque absolute legis controversæ rogationem promiserat plebi Valerius ; sed ita, si prius plebs monita esset, non studio boni publici a tribunis eam urgeri, sed horum in ea re fraudem subesse.

[q] *Memorem cognominis*] Profitetur Valerius se non obstiturum commodis plebis, argumento ducto ex cognomine Poplicolæ, familiæ suæ proprio, (quo populi colendi studium significabatur,) a primo Valerio ad omnes posteros velut hæreditario jure derivatum.

[r] *P. Valerius.... interficitur*] Fortissime in hoc certamine se gessit Valerius consul : multisque vulneribus acceptis, non ante destitit quam mœnia scandenti saxum ingens impactum vitam cum victoria simul ademit : auctore Dionys.

rei sensus non pervenit ad militem: prius vicit, quam se pugnare sine duce sentiret. Multi exulum cæde sua fœdavere templum; multi vivi capti; Herdonius interfectus. Ita Capitolium recuperatum.[s] De captivis, ut quisque liber aut servus esset, suæ fortunæ a quoque sumtum supplicium[t] est. Tusculanis gratiæ actæ: Capitolium purgatum atque lustratum.[u] In consulis domum plebes quadrantes,[x] ut funere ampliore efferretur, jactasse fertur.

19. Pace parta, instare tum tribuni Patribus, 'ut P. Valerii fidem exsolverent:' instare Claudio, 'ut collegæ Deos manes fraude liberaret,[y] agi de lege sineret.' Consul, 'antequam collegam sibi surrogasset,'[z] negare, 'passurum agi de lege.' Hæ tenuere contentiones usque ad comitia consulis surrogandi. Decembri mense, summo

NOTÆ

[s] *Capitolium recuperatum*] Arx vi capta est, oppugnationis die tertia, quam oppugnationem Dionys. describit.

[t] *Suæ fortunæ .... supplicium*] Durius apud Romanos puniebantur servi, quam liberi homines. Illi fere in crucem agebantur; hi ut plurimum securi perculiebantur, quoties ultimo supplicio videbantur afficiendi.

[u] *Lustratum*] Profanata erant omnia in templo Jovis Capitolini, ut queritur Quintius cap. sequenti: humano præsertim sanguine fuso: ita expurgandum, expiandumque fanum fuit, et sacrificiis velut sacrandum, ad avertenda in futurum ejusmodi mala, quod est proprie lustrare.

[x] *Quadrantes*] Quadrans est quarta pars assis, tres nimirum æris unciæ. Singuli ergo quadrantes a civibus collati ad funus P. Valerii Poplicolæ, quod nec Romæ, nec in ejus familia novum. Primus enim Valerius Poplicola ob rei familiaris angustias publicis sumtibus elatus est; et in funus Agrippæ Menenii sexantes a civibus collatos vidimus. At nunc honoris magis causa, quam ex necessitate, videtur collata pecunia fuisse.

Quadrantes] Quartas partes assis, seu tres uncias æris, his temporibus quibus as erat *libralis*. J. Clericus.

[y] *Ut collegæ Deos manes* [*ut collegæ manes*] *fraude liberaret*] Ut culpa liberatur qui pronunliatur insons ejus criminis cujus suspicione laborabat, ita fraude dicitur liberari, cujus promissa impleta probant eum non decipiendi animo, sed bona fide promisisse. Petebant itaque tribuni ut Claudius datam ab altero consule Valerio fidem, eo jam mortuo, præstaret; et sic ejus manes, sive animam, quæ apud Inferos esset, a crimine ac dolo, omnique fallaciæ suspicione, absolveret. Quare hic aliquis *manes* forte simpliciter legerit, potius quam *Deos manes*.

[z] *Antequam collegam sibi surrogasset*] Claudius, postquam urbis lustrationibus, supplicationibus, ludis tempus extraxit, eo confugit, ut diceret nihil se posse solum, et absque collega, pro potestate, ac rite agere.

Patrum studio, L. Quintius Cincinnatus,[a] pater Kæsonis, consul creatur,[3] qui magistratum statim occiperet. Perculsa erat plebes, consulem habitura iratum, potentem favore Patrum, virtute sua, tribus liberis, quorum nemo Kæsoni cedebat magnitudine animi; consilium et modum adhibendo, ubi res posceret, priores erant.[i] Is, ut magistratum iniit, assiduis concionibus pro tribunali, non in plebe coërcenda, quam senatu castigando, vehementior fuit: ‘cujus ordinis languore perpetui[4] jam tribuni[b] plebis, non ut in re publica populi Romani, sed ut in perdita domo, lingua criminibusque regnarent.[k] Cum Kæsone filio suo virtutem, constantiam, omnia juventutis belli domique decora pulsa ex urbe Romana et fugata esse. Loquaces, seditiosos, semina discordiarum, iterum ac[5] tertium tribunos pessimis artibus regia licentia vivere. A.’ inquit, ‘ille Virginius, quia in Capitolio non fuit, minus supplicii, quam Ap. Herdonius, meruit? plus hercule aliquanto, qui vere rem æstimare velit.[l] Herdonius, si nihil aliud, hostem se fatendo prope denuntiavit, ut arma caperetis: hic, negando bella esse, arma vobis ademit, nudosque servis ves-

[i] *Consulem hac etiam de causa potentem, quod filiis tribus subnixus esset, quorum nullus superabatur a Kæsone fratre, quantum ad fortitudinem, et qui eum superabant, quantum ad res consilio et moderatione tractandas, quoties opus esset.*

[k] *Non minus vehementem se gessit in Senatu objurgando, quam in reprimenda plebe. Senatumque arguebat, quod totius ordinis mollitie factum esset ut tribuni plebis, continuato velut in perpetuum magistratu, non ut in Romana Rep. recte constituta modeste agerent, sed regio more imperarent, idque per malevolos sermones et calumnias, quemadmodum in domo corrupta et dissoluta fieri amat.*

[l] *Si quis recte ea de re velit judicare.*

3 Conj. Rupert. *creatus.*—4 Al. *perpetuo.*—5 *Atque* Gronov. Doujat. Cre-

NOTÆ

[a] *L. Quintius Cincinnatus*] Evicere proceres Senatus auctoritate sua, per clientes atque amicos, ut omnium primæ classis centuriarum suffragiis consul renuntiaretur hic pater Cæsonis, qui nuper a tribunis exagitatus solum verterat. Reliquas classes citare necesse non fuit, quod prima sola reliquas omnes, tribus centuriis, superaret, ut lib. I. ostensum est.

[b] *Perpetui jam tribuni*] Alias *perpetuo.* Correxit Rhenanus, nec abs re: perpetuos autem dicit, quod iidem subinde reficerentur, ‘jam iterum atque tertium,’ præter morem ac jus, magistratum gerentes; quem in quintum annum prorogarunt, ut ex iis quæ sequuntur patebit.

tris et exulibus[c] objecit. Et vos (C. Claudii pace, et P. Valerii mortui loquar) prius in clivum Capitolinum signa intulistis, quam hos hostes de foro tolleretis? Pudet[6] Deorum hominumque.[d] Cum hostes in arce, in Capitolio essent, exulum et servorum dux, profanatis omnibus, in cella Jovis[e] optimi maximi habitaret, Tusculi ante, quam Romæ, sumta sunt arma. In dubio fuit, utrum L. Mamilius Tusculanus dux, an P. Valerius et C. Claudius consules Romanam arcem liberarent: et qui ante Latinos, ne pro se quidem ipsis,[f] cum in finibus hostem haberent, attingere arma passi sumus; nunc, nisi Latini sua sponte arma sumsissent, capti et deleti eramus. Hoc est, tribuni, auxilium plebi ferre, inermem eam hosti trucidandam objicere? Scilicet, si quis vobis humillimus homo de vestra plebe, (quam partem, velut[7] abruptam a cetero populo, vestram patriam peculiaremque rem publicam fecistis) si quis ex his domum suam obsessam a familia armata[m] nuntiaret, ferendum auxilium putaretis. Jupiter optimus maximus, exulum atque servorum septus armis, nulla humana ope dignus erat? et hi postulant, ut sacrosancti habeantur, quibus ipsi Dii neque sacri neque sancti sunt? At enim,

[m] *A famulis ac servis propriis qui arma cepissent in ipsum dominum.*

vier.—6 Conj. Rupert. *Pudeat*, sc. vos.—7 *Veluti* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[c] *Servis vestris et exulibus*] Atqui cap. 17. notatum est servos Romanorum in Herdonii castra non transfugisse, nec nisi e Sabinis Romam ab eo advectos. Sed ut vera appareat hæc Cincinnati oratio, sufficit quod nec per Herdonium, ac ne per tribunos quidem stetisset, quominus servi, qui in Urbe erant, adversus dominos armarentur. Et Herdonius eos e Capitolio ad libertatem vocaverat cap. 15. Tribuni adversus Herdonium arma capi vetuerant.

[d] *Pudet Deorum hominumque*] Num Gall. *J'ai honte devant les Dieux, et devant les hommes?*

[e] *In cella Jovis*] Cella in genere, a celando, ut vult Festus, dicitur de quovis loco ubi quid reconditur et asservatur. Hic autem sacellum est sive sacrarium. Ceterum Deorum templa et sacraria armis occupare nefas: unde non immerito Cic. sæpius in Philippicis conqueritur quod Antonius in cella Concordiæ armatos collocaverit.

[f] *Latinos, ne pro se quidem ipsis*] Vide lib. II. cap. 53.

divinis humanisque obruti sceleribus,[8 g] legem vos hoc anno perlaturos dictitatis? Tum hercule illo die, quo ego consul sum creatus, male gesta res publica[h] est, pejus multo, quam cum P.[9] Valerius consul periit, si tuleritis.[10] Jam primum omnium,' inquit, ' Quirites, in Volscos et Æquos mihi atque collegæ legiones ducere in animo est. Nescio quo fato magis bellantes, quam pacati, propitios habemus Deos. Quantum periculum ab illis populis fuerit, si Capitolium ab exulibus obsessum scissent, suspicari de præterito, quam[n] re ipsa experiri, est melius.'

20. Moverat plebem oratio consulis: erecti Patres restitutam credebant rem publicam: consul alter, comes animo-

[n] *Satius est conjicere ex iis quæ præterita sunt, quam, &c.*

—8 Alias legebatur, *divinis humanisque abruptis legibus.*—9 *P.* del. Gronov. Crevier.—10 ' *Si tuleritis*, sc. iterum: nisi leg. *pertuleritis*, vel delenda hæc verba, ascripta forte in marg. voce *tum.*' Rupert.

NOTÆ

[g] *Divinis humanisque obruti sceleribus*] Sic legendum censet Rhenanus, ac divina scelera interpretatur, quæ in Deos sunt commissa, dum sacrilegi non oppugnantur. Sic ab eodem lib. v. et ab aliis, divinæ res, divina jura vocantur, quæ ad divinum pertinent cultum. Ego divina scio Latine dici quæ in Deorum honorem fiant: at nomen illud de iis quæ in contemtum Deorum fiant, nullibi me legere memini. Locus hic apud Livium alias sic legebatur, *divinis humanisque abruptis legibus:* quæ verba non ineptum sensum patiuntur; sive quis ea sic intelligat, ut velit Quintius tribunos, postquam in prodendo hostibus Capitolio divina, in propagando ultra morem magistratu humana jura violarint, minari se legem patriciis ingratam laturos: sive hanc legem perferre velle contra leges divinas simul et humanas, a Romulo præsertim (qui in Deorum numerum relatus est) latas de publicis rebus non nisi accedente Senatus auctoritate gerendis, præsertim quod ad creandos magistratus ferendasque leges attineret, quemadmodum ex Dionysii Halicarnassei lib. II. discimus.

[h] *Male gesta res p.*] Cur vero male gestam eo die quo ipse consul factus fuerit remp. ait, quasi male se ipse in remp. animatum profiteatur? Cur pejus gestam, quam cum Valerius consul periit; quasi tunc male administratæ res fuerint, cum tamen receptum ab hostibus eo die sit Capitolium? Ironice nimirum loquitur, quasi dicat, si legem tuleritis, neque in ea re vobis obstitero, tum Hercule fatebor ipse me consule creato, qui legem adeo perniciosam ferri passus fuerim, male omnino actum fuisse cum republica; pejus etiam, quam cum fortissimum virum, et amantissimum boni publici Valerium amisit.

sior, quam auctor,[i] suscepisse collegam priorem actionem tam gravis rei facile passus, in peragendis consularis officii[11] partem ad se vindicabat.[o k] Tum tribuni, eludentes velut vana dicta, persequi quærendo,[p] 'quonam modo exercitum educturi consules essent, quos delectum habere nemo passurus esset.' 'Nobis vero,' inquit Quintius, 'nihil

[o] *Claudius socius Cincinnati, ipso adhuc animosior, quamvis auctor totius consilii, facile passus collegam priorem fuisse in hac actione suscipienda, partem muneris consularis non minimam ad se trahebat in iis quæ peragenda erant.*

[p] *Persequebantur Quintii orationem, interrogantes, &c.*

11 Alii legunt *peragenda consularis*, alii *in peragendis consulariis consularem of.* alii *in peragendis consiliis consularis of.* Vide Not. inf. et Not. Var.—

NOTÆ

[i] *Comes animosior, quam auctor*] Claudius quidem satis se animosum ostenderat, ut vidimus: sed nunc in eo animosus esse noluit, ut auctor esset tam ardui consilii, et gravem adeo adversus tribunos orationem ipse haberet: satis tamen fortem se gessit, ut collegæ id agenti se socium adjungeret.

[k] *In peragendis consularis officii partem vindicabat*] Nihil erat, meo quidem judicio, quod quicquam Sigonius mutaret, legeretque *in peragendis consiliis consularis officiis partem*, cujus lectionis non improbabilis sensus est, Claudium scilicet comitem fuisse animosiorem quam esset auctor Quintius: ita ut hic consiliorum esset princeps, ille consilia exequeretur, et consulari officio in ea re non deesset. Verum hæc lectio nullibi extat, ex uno tantum codice parum commode detorta. Subtilior quoque mihi quam verior videtur interpretatio Gronovii, qui vult Quintium solum hanc actionem et suscepisse et peregisse, collegam tantum favisse et suscipienti et peragenti; et tamen eum juvisse: sed hac ei contra tribunos extraordinaria odiosaque actione cessisse; in aliis rebus atque negotiis, quæ solenni more atque ordine consularis essent officii, suam partem sibi vindicasse. Potiorem itaque censeo vulgatam lectionem, ex vetustis codicibus. Cujus perspicuus sensus, ut Claudius, semper animosus, atque in nobilium partes egregie animatus, non ægre tamen tulerit priorem Quintium initio consulatus sui gravem hanc actionem coërcendæ plebi suscepisse, apud quam ipse Claudius ex anterioribus suis patrisque actis satis magna jam in invidia erat. Ceterum in rebus exequendis non minori animo laborasse Claudium quam collegam, qui totius consilii auctor videbatur, et consulis partes æque implevisse. Si tamen opus esset emendatione, satis probarem, quod Gronovio blanditur, ex Sigoniana lectione formatum, *in peragendo censu consularis officii partem ad se vindicabat.* Nam censum eo anno actum testis mox Livius cap. 22. quod ad hos consules referri posse videtur. Is recte advertit phrasim illam *ad se vindicabat* lib. quoque IX. a Nostro usurpatam: 'summum flagitium fore, si alterum exercitum utriusque victoriæ compotem sinerent fieri, nec ad se sui belli vindicarent decus.'

delectu opus est; cum, quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba juraverint, conventuros se jussu consulis,[12] nec injussu abituros. Edicimus itaque, omnes, qui in verba jurastis, crastina die armati ad lacum Regillum[1] adsitis.' Cavillari tum tribuni, et populum exsolvere religione velle: 'privatum eo tempore Quintium fuisse, cum sacramento adacti sint.' Sed nondum hæc, quæ nunc tenet sæculum, negligentia Deum † venerat: nec interpretando sibi quisque jus jurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat. Igitur tribuni, ut impediendæ rei nulla spes erat, de proferendo exercitu[13] agere;[m] eo magis, quod, 'et augures jussos adesse ad Regillum lacum,' fama exierat, 'locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset;[n] ut, quicquid Romæ vi tribunicia rogatum esset,[q]

[q] *Quæcumque in urbe per violentiam tribunorum pro lege fuissent sancita.*

12 Malebat Duk. *consulum.*—13 'Omnes intpp. lectionem vulg. damnant, putantes aut delendum *exercitu*, aut legendum *de proferendo cum exercitu*, vel *de proferendo exitu*, vel *de proferendo exercitus exitu*, vel *de providendo* (præca-

NOTÆ

[1] *Ad lacum Regillum*] De hoc lacu lib. II. c. 19.

† *Negligentia Deum*] Cum proceres Romani philosophia Græcorum imbuti essent, intelligerentque religionem majorum suorum meras nugas esse, merito quidem eam irriserunt; sed cum, Epicureorum Academicorumve dogmatibus irretiti, melius nihil invenire possent, in Atheismum delapsi sunt, et jurisjurandi religionem spernere cœperunt. Vide Juvenalem Sat. XVII. 35. et seqq. *J. Clericus.*

[m] *De proferendo exercitu agere*] Glareanus dubitat num velit Auctor tribunos inter se egisse de exercitu, quem prolaturi sive educturi consules essent extra Urbem. Lipsius deleta voce *exercitu* legit, *de proferenda agere;* forte melius *de proferenda extremum agere:* ut tribuni, post multa tentata, ubi impediendæ rei nulla spes erat, de proferenda et proroganda saltem ea postremo consultaverint. Gronov. legendum suspicatur *de perterrendo exercitu:* quod cum iis quæ sequuntur non male cohæret.

Proferendo] Si hæc vox sana sit, perinde est ac 'differendo,' hoc est, impediendo ne exercitus Urbe educi posset. Sic apud Ciceronem ad Atticum l. XIII. Ep. 12. 'proferre auctionem:' et Ep. 14. 'proferre diem.' *J. Clericus.*

[n] *Ubi auspicato cum populo agi posset*] Antea notatum, ex Romuli disciplina comitia populi non nisi auspicato fieri debere. Quinetiam ex Cicerone lib. I. de Divinat. 'apud

id comitiis ibi abrogaretur. Omnes id jussuros, quod consules vellent.[r] Neque enim provocationem esse longius ab Urbe mille passuum :[o] et tribunos, si eo adveniant,[p] in alia turba Quiritium subjectos fore consulari imperio.' Terrebant hæc :[q] sed ille maximus terror animos agitabat, quod sæpius Quintius dictitabat,[14] 'Se consulum comitia non habiturum. Non ita civitatem ægram esse, ut consuetis remediis sisti possit.[s] Dictatore opus esse rei publicæ, ut, qui se moverit ad solicitandum statum civitatis, sentiat, sine provocatione dictaturam esse.'[r]

21. Senatus in Capitolio erat. Eo tribuni cum perturbata plebe veniunt. Multitudo clamore ingenti, nunc con-

[r] *Fore ut cuncti quicquid consules rogarent lege sancirent.*

[s] *Civitatem non adeo levi morbo laborare, ut ei sustentandæ communia remedia sufficiant.*

vendo) *exercitui*, vel *de perterrendo* aut *perturbando exercitu.*' Rupert.—14 'E quibusdam libris forte leg. *dictabat*, propter additum *sæpius*. Frequentati-

NOTÆ

Romanos nihil fere majoris quondam rei, nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur.'

[o] *Neque enim provocationem esse longius ab Urbe mille passuum*] P. Valerius Poplicola an. U. C. 245. jus constituerat provocandi ad populum a consulibus. Huic juri cum derogatum fuisset decemvirorum causa, constitutum iterum est anno 306. coss. L. Valerio et M. Horatio, ne quenquam magistratum, id est, nullum genus magistratuum, sine provocatione creare liceret. Vide supra lib. II. c. 8. et lib. hujus cap. 55. Relata tertio lex ejusdem generis an. 454. M. Valerio quintum, et Q. Apuleio Pansa coss. de qua Noster lib. x. cap. 9. Verum hoc jus domi magis quam extra Urbem valuit. Hinc factum ut ex instituto Poplicolæ consules extra Urbem tantum securibus uterentur, intra mœnia contenti fascium insignibus, quod Dionysius lib. v. notavit. Huc quoque pertinent duæ leges a Tullio lib. III. de Legibus prolatæ, altera, 'ad populum provocatio esto,' altera, 'militiæ ab eo qui imperabit provocatio ne esto.'

[p] *Et tribunos, si eo adveniant*] Lectio vetus ex Rhenano, *si eo veniant*. Sensus idem. Porro tribunorum plebis potestatem Urbis mœnibus finiri jam demonstratum est.

[q] *Terrebant hæc*] Terrorem angebat, quod Quintius plebi prædicebat se nonnisi exacto magistratus sui tempore eos ex hostico deducturum, proinde ad hybernandum in castris se compararent, ne tribuniciis actionibus vacare possent.

[r] *Sine provocatione dictaturam esse*] Semestris potestas dictatoris amplior quam consulum fuit; eoque duplicatus summo huic magistratui securium numerus, neque ab eo provocatio erat: unde ex eo nomen traxisse visus est Varroni, quod ejus dicto omnes audientes essent; quæ omnia ex Livio lib. II. c. 18. habuimus.

sulum, nunc Patrum, fidem implorant. Nec ante moverunt de sententia consulem,[s] quam tribuni, se in auctoritate Patrum futuros esse,[t] polliciti sunt. Tunc, referente consule de tribunorum et plebis postulatis, senatus consulta fiunt,[15][t] 'Neque tribuni legem eo anno ferrent, neque consules ab urbe exercitum educerent. In reliquum magistratus continuari, et eosdem tribunos refici, judicare senatum contra rem publicam esse.' Consules fuere in Patrum potestate: tribuni, reclamantibus consulibus, refecti.[u] Patres quoque, ne quid cederent plebi, et ipsi L. Quintium consulem reficiebant. Nulla toto anno vehementior actio consulis fuit. 'Mirer,' inquit, 'si vana vestra, Patres conscripti, auctoritas ad plebem est?[16] Vos elevatis eam. Quippe, quia plebs senatus consultum in continuandis magistratibus solvit, ipsi quoque solutum vultis, ne temeritati multitudinis cedatis: tanquam id sit plus posse in civitate, plus levitatis ac licentiæ habere. Levius enim vaniusque profecto est, sua decreta et consulta tollere, quam aliorum. Imitamini, Patres conscripti,[u] turbam inconsultam: et, qui ex-

[t] *Obtemperaturos decretis Senatus.*

[u] *Ceterum videri senatui perniciosum esse reip. si consules iidem in magistratu perseverarent; et si iidem tribuni denuo crearentur.*

vis tamen Livius nonnunquam sine vi utitur.' *Idem.*—15 Vet. lib. apud Sigon. *Senatusconsultum fit.*—16 Gronov. Doujat. Crevier. *ad plebem auctoritas est.*—

NOTÆ

[s] *Nec ante moverunt de sententia consulem*] Territis plebeiis metu laborum, et remitti sibi eam militiam flagitantibus, Quintius respondit, ita se illis gratificaturum, si nihil moverent, et magistratum sibi quietum juri dicundo præberent. Tumultu hac ratione sedato, causis cognoscendis assiduo vacavit, ita moderate, ut nemo jam tribunorum auxilium et provocationem, aut novas leges de jure æquando amplius desideraret Dionys.

[t] *Senatus consulta fiunt* [*senatus consultum fit*] *ut neque, &c.*] Sic vetus liber ex Sigonio. Rhenanus in exemplari Ms. legi ait, *Senatusconsulta fiunt, neque, &c.* demta particula *ut*: quæ ipsius judicio plane abesse debet, uti sua forma Senatusconsultis constet, quorum primum, *neque tribuni legem.* At neque plura fuere Senatusconsulta, sed unicum quod tribus capitibus constabat: nec historico necesse est Senatusconsultorum, aliorumve actorum formulas, seu verba ipsa, referre.

[u] *Imitamini, P. c.*] Concessio ironica, et cum sarcasmo conjuncta. Vos quidem imitamini plebem, Senatores,

emplo aliis esse debetis, aliorum exemplo peccetis[17] potius, quam alii vestro recte faciant; dum ego ne imiter tribunos, nec me contra senatus consultum consulem renuntiari patiar. Te vero, C. Claudi, adhortor, ut et ipse populum Romanum hac licentia arceas: et de me hoc tibi persuadeas, me ita accepturum, ut non honorem meum a te impeditum, sed gloriam spreti honoris auctam, invidiamque, quæ ex[18] continuato eo impenderet, levatam putem.' Communiter inde edicunt: 'Ne quis[x] L. Quintium consulem faceret. Si quis fecisset, se id suffragium non observaturos.'

22. Consules creati Q. Fabius Vibulanus tertium et L. Cornelius Maluginensis. Census actus eo anno:[x] Lustrum, propter Capitolium captum,[y] consulem occisum, condi religiosum fuit.[y] Q. Fabio, L. Cornelio[19] consulibus, principio anni † statim res turbulentæ. Instigabant ple-

[x] *Ambo consules edictum conjunctim proposuerunt, quo cavebatur, ne quis, &c.*
[y] *Religioni repugnare visum est, si lustrum fieret.*

17 Vet. lib. ap. Sigon. *peccatis.*—18 *Ex* del. Gronov.

NOTÆ

si vobis videtur: mihi consuli per vos liceat a perniciosa tribunorum imitatione abstinere.

[x] *Census actus eo anno*] Non ab his, sed a prioribus consulibus: facile enim Gronovio subscribo hunc censum a Claudio et P. Valerio cœptum existimanti; sed interruptum tumultu Servili, sive Herdonii. Id suadet quod subjicitur, Q. Fabio et L. Cornelio coss. principio anni statim res turbulentas fuisse. Hinc enim incipit haud dubie Livius gesta novi hujus consulatus narrare, ut superiora ad prioris anni consulatum sint referenda.

[y] *Lustrum, propter Capitolium captum, &c.*] Immo vel his de causis lustratio necessaria fuisse videtur. Et vero cap. 18. ob hæc ipsa lustratum Capitolium Livius ait. Verum aliud lustrari locum, veluti Capitolium, aliud lustrari cives, sive exercitum: qua de re lib. I. c. 44. Cur autem Capitolio incenso, consule occiso, lustrum condere religio fuerit, mihi quidem haud satis compertum: nisi forte solenne sacrificium lustrale, intra eundem annum, aut ab eodem magistratu publice sæpius celebrari nefas habebatur: ideoque lustrato Capitolio, a lustrandis per eundem consulem civibus abstinendum censuere pontifices.

Lustrum .... condi religiosum fuit] Vide ad lib. I. c. 44. *J. Clericus.*

† *Principio anni*] Nempe, magistratus, nam consulatum iniverunt Idi-

bem tribuni.* Bellum ingens a Volscis et Æquis Latini atque Hernici nuntiabant. Jam Antii Volscorum legiones esse: et ipsam coloniam[z] ingens metus erat defecturam. Ægreque impetratum a tribunis,[a] ut bellum præverti sinerent. Consules inde partiti provincias.[z] Fabio, ut[20] Antium legiones duceret, datum: Cornelio, ut Romæ[1] præsidio esset: ne qua pars hostium, qui Æquis mos erat, ad populandum veniret. Hernici et Latini jussi milites dare ex fœdere: duæque partes sociorum[b] in exercitu, tertia civium fuit. Postquam ad diem præstitutum venerunt socii, consul extra portam Capenam[c] castra locat. Inde, lustrato exercitu, Antium profectus, haud procul oppido stativisque hostium consedit. Ubi cum Volsci, quia nondum ab Æquis venisset exercitus, dimicare non ausi, quemadmodum quieti vallo se tutarentur, pararent;[a] pos-

[z] *Muniis inter se divisis.*
[a] *Curarent qua ratione, sine prælio, sese vallo tuerentur.*

19 Vulg. *Q. Fabio et L. Cornelio coss.*—20 Conj. J. F. Gronov. *Consulibus*

NOTÆ

bus sextilibus, seu anni Juliani proleptici Septembris 2. Vide Dodwellum. *Idem.*

* A. U. C. 294.

[z] *Ipsam coloniam*] Id est, Antium ipsum: neque enim alia tunc his in locis colonia ab ea quam Quintius Capitolinus deduxerat ante annos octo, quod didicimus ex cap. 1. hujus libri. Quid si non tam metuendum defecturam coloniam, quam certum erat jam defecisse? quandoquidem jam Antii Volscorum hostium legiones erant. Sed Antii fuisse ita intellige, ut in agro quidem Antiate, non tamen intra Urbem essent receptæ, ut *Antii* idem sit quod, apud Antium. Sic et 'aliquot menses Tusculi bellatum,' id est, ad Tusculum, circa Tusculum. Fuere tamen auctores, qui Antiates jam tum defecisse, Antiumque captum scripserunt, ut videre est sub finem cap. 23.

[a] *Ægreque impetratum a tribunis*] Vel extortum potius, auctore Dionysio: refert enim, post nuntium Tusculi ab Æquis capti, et simul defectionis Volscorum, cum tribuni delectus impedirent, Senatusconsultum factum, quo pro hoste habebatur, si quis civis sociusve nomen in eam militiam dare detrectaret: ita cessisse tribunos.

[b] *Duæque partes sociorum*] Ut plurimum tamen numerus sociorum, quod ad pedites attinet, par erat legionibus Romanis, equitum tantum numero socii superabant, ut docet nos Polybius. Sic apud Nostrum lib. XXII. 'socii duplicem numerum darent, pedites æquarent.'

[c] *Extra portam Capenam*] Porta hæc Sancti Sebastiani dicitur.

tero die Fabius, non permixtam[d] unam sociorum civiumque, sed trium populorum tres separatim acies circa vallum hostium instruxit. Ipse erat medius cum legionibus Romanis. Inde signum observare jussit, ut pariter et socii rem inciperent, referrentque pedem, si receptui cecinisset. Equites item suæ cuique[2] parti[e] post principia collocat.[f] Ita trifariam adortus castra circumvenit: et, cum undique instaret, non sustinentes impetum Volscos vallo deturbat. Transgressus inde munitiones, pavidam turbam inclinatamque in partem unam castris expellit. Inde effuse fugientes eques, cui superare vallum haud facile fuerat, cum ad id spectator pugnæ astitisset, libero campo adeptus, parte victoriæ fruitur, territos cædendo.[b] Magna et in castris et extra munimenta cædes fugientium fuit: sed præda major; quia vix arma secum efferre hostis potuit. Deletusque exercitus foret, ni fugientes sylvæ texissent.

23. Dum ad Antium hæc geruntur, interim Æqui, robore juventutis præmisso, arcem Tusculanam[g] improviso nocte

[b] *Equitatus, cum hactenus pugnæ tanquam spectator tantum intervenisset, hostes fugientes per campos non impeditos assecutus, &c.*

inter se partitis provincias, Fabio, ut, &c.—1 Vulg. *Cornelius, ut Romæ.*—2 Alii emendant *sua cuique*, al. *suos* vel *suæ quemque* aut *suæ quosque.*

NOTÆ

[d] *Non permixtam*] Solebant quidem pedites equitesque sociorum in duo velut corpora distrahi auctore Polybio et Nostro pluribus locis: ita tamen ut unam cum Romanis aciem constituerent, essentque ejusdem exercitus partes. Nunc autem in tres acies divisus exercitus a Fabio. *Il divisa son armée en trois corps.*

[e] *Suæ cuique parti*] Potuit Livius scribere, et *sua cuique parti*, ut ad principia referret, quemadmodum vult Gron. et *suos cuique parti*, aut *suæ quosque parti*, supple equites. At maluit *suæ cuique parti*, ut significaret equites Hernicos ei exercitus parti, quæ peditibus Hernicis, Latinos ei quæ Latinis, Romanos ei quæ legionibus constaret, subjectos fuisse: eamque phrasin confirmat locus ab ipso Gronovio relatus ex lib. xxv. cap. 17. 'Motibusque armorum et corporum suæ cuique genti assuetis.'

[f] *Post principia collocat*] Sumuntur hoc loco principia pro principibus. Erant autem principes qui secundum in acie locum sive ordinem, post hastatos scilicet, obtinebant. Itaque novo more equites non ad latera, sed ante triarios cujusque aciei extra ordinem locati.

[g] *Arcem Tusculanam*] Non arcem modo, sed et oppidum ab Æquorum

capiunt: reliquo exercitu haud procul mœnibus Tusculi[h] considunt, ut distenderent hostium[i] copias. Hæc celeriter Romam, ab Roma in castra Antium perlata,[3] movent Romanos haud secus, quam si Capitolium captum nuntiaretur. Adeo et recens erat Tusculanorum meritum, et similitudo ipsa periculi reposcere datum[4] auxilium videbatur. Fabius, omissis omnibus, prædam ex castris raptim Antium convehit. Ibi modico præsidio relicto, citatum agmen Tusculum rapit. Nihil præter arma, et quod cocti ad manum fuit[k] cibi, ferre militi licuit. Commeatum ab Roma consul Cornelius subvehit. Aliquot menses Tusculi bellatum. Parte exercitus consul castra Æquorum oppugnabat: partem Tusculanis dederat ad arcem recuperandam. Vi nunquam eo subiri[5] potuit.[l] Fames postremo inde detraxit hostem. Quo postquam ventum ad extremum est, inermes nudique omnes sub jugum ab Tusculanis missi.

3 ' *Ab Roma in castra Antium perlata*, h. e. ad Antium, ut ' Veiis' pro ' ad Veios' v. 8. et 12. nisi delendum *Antium*, vel certe transpositis verbis legendum *Antium in castra perlata*.' Scheller.—4 Quærit Rupert. ' an *latum?*'—

NOTÆ

sex millibus leviter armatis captum ac direptum scribit Dionys. multosque Tusculanos nocturna eorum irruptione oppressos, plures per aversam portam fugisse, imbellem sexum et ætatem prædæ cessisse, idque nuntiatum ante Volscorum defectionem.

[h] *Mœnibus Tusculi*] In conspectu Romæ est, 12. fere ab Urbe lapide, Tusculum priscorum Latinorum oppidum, Græcis Τοῦσκλον, in sublimi montium dorso positum, ex Strab. qui aquarum copia, hortis, atque ædificiis circumquaque jam tum exornatum scribit. Nunc vulgari vocabulo *Frascati* in Campania Romana. A Telegono Circes et Ulyssis filio poëtæ conditum ferunt. Hinc Tusculanum Ciceronis.

[i] *Ut distenderent hostium*] Sic Rhenanus correxit, cum antea legeretur *distinerent*. Est autem distendere idem quod distrahere, in diversa trahere, dissipare. Sic lib. IX. ' Distendit ea res Samnitium animos.'

[k] *Quod cocti ad manum fuit*] Parata indicat cibaria, panem præsertim et laridum: cum alias frumentum milites sibi admensum secum ferrent.

[l] *Vi nunquam eo subiri* [*subire*] *potuit*] Videtur sensus exigere ut legamus *subiri potuit* impersonaliter: alioquin dicendum esset subire potuerunt, nimirum Tusculani: nisi forte consul, statim arcem adortus, expugnare non potuit, eamque Tusculanis obsidendam reliquit, attributa copiarum parte. At non ita Dionysius, qui arcem a Fabio confestim receptam scribit, præsidio aut diffugiente, aut se dedente.

Hos, ignominiosa fuga domum se recipientes, Romanus consul in Algido consecutus,[m] ad unum omnes occidit. Victor ad Columen[n] (id loco nomen est) exercitu relicto[6 o] castra locat. Et alter consul, postquam mœnibus jam Romanis,[7] pulso hoste, periculum esse desierat, et ipse ab Roma profectus. Ita bifariam consules ingressi hostium fines, ingenti certamine hinc Volscos, hinc Æquos populantur. Eodem anno descisse Antiates, apud plerosque auctores[p] invenio. L. Cornelium consulem id bellum gessisse, oppidumque cepisse, certum affirmare, quia nulla apud vetustiores scriptores ejus rei mentio est, non ausim.

24. Hoc bello perfecto, tribunicium domi bellum Patres territat. Clamant, 'fraude fieri, quod foris teneatur exercitus: frustrationem eam legis tollendæ esse.[c] Se nihilominus rem susceptam peracturos.' Obtinuit tamen P. Lucretius[8] præfectus Urbis, ut actiones tribuniciæ in adven-

[c] *Artificium id esse ad impediendam legem Terentillam.*

5 Al. *eo subire*, et *eos subigere*.—6 'Viri docti emendant *exercitu reliquo*, vel *reducto*, vel *relato*, vel *refecto*, vel, quod ceteris præstat, *recollecto;* (nisi malis *collecto;*) nam dispersus erat exercitus, persecutus hostem fugientem.' *Rupert.* —7 Gronov. Doujat. Crevier. *Romanis jam.*

NOTÆ

[m] *In Algido consecutus*] Refert Dionysius idem Fabium, præsidiariis sub jugum missis, et Tusculo suis civibus reddito, statim nocturno itinere ad castra Volscorum Æquorumque juxta Algidum posita perrexisse, eaque, cum sine fossa valloque essent, nullo negotio cepisse, ac prædam militi concessisse, exceptis captivis Tusculanorum: inde Ecetranum agrum nemine prohibente populatum esse.

[n] *Ad Columen*] Fuit *Columen* locus in Latio circa Algidum. non procul Tusculo. Vulgo Columnam esse putant *la Colonna*, oppidum duodecim milliaribus ab Urbe, unde nobilissimæ hodie Columnarum genti nomen. Negant Cluverius et Holstenius. Illi credibilius videtur Fabium in ipsis finibus Æquorum posuisse castra inter Tusculum et Algidum, circa castellum quod nunc vocatur *Rocca-Priora.*

[o] *Exercitu relicto*] Admonuit Sabellicus legendum *exercitu reliquo ;* Rubenius *relato* scribendum censet, aut *reducto.* Mihi postremum probatur, vel eadem sententia *recepto:* ut intelligatur recepta a Fabio, sive ad Fabium reducta, pars exercitus quæ Tusculanis ad recuperandam arcem relicta fuerat.

[p] *Apud plerosque auctores*] Hos secutus est Dionys. lib. x. qui captum a Cornelio consule Antium refert.

tum consulum differrentur. Erat et nova exorta causa motus. A. Cornelius et Q. Servilius quæstores[q] M. Volscio, quod falsus haud dubie[9] testis in Kæsonem extitisset, diem dixerant. Multis enim emanabat[10] indiciis, neque fratrem Volscii, ex quo semel fuerit æger, unquam non modo visum in publico, sed ne assurrexisse quidem ex morbo, multorumque tabe mensium[11] mortuum: nec his temporibus, in quæ testis crimen conjecisset, Kæsonem Romæ visum: affirmantibus, qui una meruerant, secum eum tum frequentem ad signa[12] sine ullo commeatu fuisse.[d] Ni ita esset,[e] multi privatim ferebant Volscio judices.[13][r] Cum ad judicium ire non auderet, omnes eæ res, in unum congruentes, haud magis dubiam damnationem Volscii, quam Kæsonis Volscio teste fuerat, faciebant. In mora tribuni erant,[f] qui comitia quæstores habere[s] de reo, nisi prius habita de lege essent, passuros negabant. Ita extracta utraque res in consulum adventum est. Qui ubi triumphantes victore cum exercitu urbem

[d] *Assiduum fuisse in exercitu, nec ullam ei datam abeundi facultatem.*

[e] *Si rem ita se habere reus negaret.*

[f] *Hæc omnia, cum in idem omnino convenirent, efficiebant ut condemnatio Volscii æque esset certa, ac certa fuerat condemnatio Kæsonis Fabii sub testimonio ipsius Volscii. Sed tribuni dilationem afferebant huic judicio.*

8 Conj. Duk. *L. Lucretius.*—9 Vulg. *haud dubio.*—10 Al. *eminebat.*—11 Vet. lib. ap. Sigon. *multorum tabe m.*—12 Vulg. *frequentemque ad signa.*—13 *Judi-*

NOTÆ

[q] *A. Corn. et Q. Servil. quæstores*] Trium præsertim generum fuere quæstores in repub. Ærarii, qui et Urbani, Provinciales, et Parricidii seu rerum capitalium. Postremi hujus generis fuere, ni fallor, A Cornelius, et Q. Servilius, qui Volscio ad populum diem dicebant ob falsum testimonium.

[r] *Ferebant Volscio judices* [*judicem*] Judicem ferre actor reo dicitur, cum ad judicem provocat, nominando sive offerendo ei virum spectatum, qui causam disceptet, aut jubendo ut reus ipse ea de causa nominet aliquem non suspectum. Hoc sensu Liv. lib. VIII. 'Provoco,' inquit, 'ad populum, eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti senatus judicium, judicem fero.'

[s] *Qui comitia quæstores habere*] Quæstores urbani licet nec imperium, vocationem, aut prehensionem, nec ex consequent ilictores haberent, convocandæ tamen concionis eos jus habuisse cognoscimus ex Dionys. Halicarn. lib. VIII. Sed et hi alterius, opinor, generis quæstores fuerunt, ut ante indicavi.

inierunt, quia silentium de lege erat, perculsos magna pars credebant tribunos. At illi, (etenim extremum anni jam erat,) quartum affectantes tribunatum, in comitiorum disceptationem ab lege certamen averterant.[g] Et cum consules nihilo minus adversus continuationem tribunatus, quam si lex minuendæ suæ majestatis causa promulgata ferretur,[t] tetendissent, victoria certaminis penes tribunos fuit. Eodem anno Æquis pax est petentibus data. Census, res priore anno inchoata,[u] perficitur: idque lustrum ab origine urbis decimum[x] conditum. Fuerunt censa civium capita centum septemdecim millia trecenta novemdecim. Consulum magna[14] domi bellique eo anno gloria

[g] *Dissidium de legis promulgatione converterant ad contentionem de comitiis tribuniciis.*

cem Edd. a Frob. ad Drak. et Ms. Veith.—14 *Centum triginta duo millia quadringenta novem* Grut. Gronov. Doujat. Crevier. *Capita CXXV. millia. Consulum m.* Ms. Veith.

NOTÆ

[t] *Si lex minuendæ suæ majestatis causa promulgata ferretur*] Revera ad imminuendam consulum potestatem pertinebat lex a Terentillo Arsa proposita, (ut liquet ex cap. 9. hujusce libri): et quamvis non de lege promulgandla, sed de continuandis tantum tribunis nunc ageretur, horum tamen refectionem gradum esse ad legem promulgandam consules videbant. Ideo hac de re merito laborabant.

[u] *Census, res priore anno inchoata*] Inchoatus a superioris anni consulibus census. An et post compressum tumultum a Claudio peractus fuerit, quod Gronov. arbitratur ad cap. 20. est quod ambigatur. Peracto quippe censu lustrum fieri mos erat, uti docet inprimis Halicarn. lib. IV. quod nunc quoque conditum innuit hoc loco Livius: antea hujus census causa conditum negavit cap. 22.

[x] *Idque lustrum ab origine urbis decimum*] Atqui anno Servii Tullii 25. id est, 200. ab Urbe condita, hoc institutum cœpisse probabile est: ab eo tempore ad hunc consulatum fluxerunt anni XCV. intra quos potuere lustra undeviginti per totidem quinquennia condi. Hic quidem mos a censoribus plerumque, non tamen perpetuo servatus est, ut quinto quoque anno lustrum conderetur: atque hinc factum ut lustrum pro quinquennali spatio sumatur. At censores non nisi decimo sexto post hos consules anno creati sunt: hoc itaque munere consules adhuc fungebantur, qui non ita accurate agendo censui vacabant, aliis occupationibus abstracti. Mirum tamen in recensendis prioribus lustris negligentiorem fuisse Livium. Quin tum anno U. C. 245. statim ab exactis regibus, sextum, an. 255. septimum, an. 260. octavum, an. 279. nonum cujus Livius meminit, anno 288. ex Dionysio collegit Sigonius. Quatuor prima lustra ab ipso Servio con-

fuit: quod et foris pacem peperere, et domi, etsi non concors, minus tamen, quam alias, infesta civitas fuit.[h]

25. L. Minucius inde et C. Nautius[15] consules facti* duas residuas anni prioris causas[y] exceperunt. Eodem modo consules legem, tribuni judicium de Volscio impediebant: sed in quæstoribus novis major vis, major auctoritas erat. Cum M. Valerio, Valerii filio, Volesi nepote,[16] [z] quæstor erat T. Quintius Kapitolinus, qui ter consul fuerat. Is, quoniam neque Quintiæ familiæ Kæso, neque rei publicæ maximus juvenum restitui posset,[a] falsum testem, qui dicendæ causæ innoxio potestatem ademisset, justo ac pio bello persequebatur. Cum Virginius maxime et tribuni[17] de lege agerent, duum[18] mensium spatium consulibus datum est ad inspiciendam legem;[b] ut, cum edocuissent populum, quid fraudis occultæ ferretur, sinerent deinde suffragium inire. Hoc intervalli datum res tranquillas in Urbe fecit. Nec diuturnam quietem Æqui dederunt:[c] qui, rupto fœdere, quod ictum erat priore anno cum Romanis, imperium ad

[h] *Civitas minori saltem in discrimine versata est quam antea.*

15 Vulg. *L. Nautius.*—16 'Forte leg. *M'. Valerii filio*, vel potius *M'. F.*' Rupert. Legit Sigon. *M. Valerio M'. F. Volusi nepote.*—17 Vulg. *e tribunis.* —18 'Mss. nonnulli *duorum*, sed Livium contractionem amare scimus.'

NOTÆ

dita fuerant, ut scribit Valer. Max. lib. III. c. 4. At toto Tarquinii Superbi regno intermissus fuerat hic usus, ut Sigonius idem observat.

* A. U. C. 295.

[y] *Duas residuas ... causas*] Impediendam scilicet legem de moderanda ipsorum consulum in judicando potestate, et exequendum judicium falsi in Volscium.

[z] *Cum M. Valerio, Valerii filio, Volesi nepote*] Lege cum Sigonio *M'. Valerii f.* ut sit idem qui biennio post consul.

[a] *Restitui posset*] Hinc apparet Cæsonem in exilio periisse.

[b] *Ad inspiciendam legem*] Etenim fraudem in ea latere monuerat P. Valerius, consul anni superioris, ideoque postulaverat a plebe ut sineret se de prava tribunorum mente edoceri, priusquam de lege concilium haberetur, uti antea dictum c. 18.

[c] *Nec diuturnam quietem Æqui dederunt*] Valer. Maxim. lib. II. ait cum Æquicolis hoc bellum fuisse. Iidem itaque populi ab iisdem scriptoribus modo Æqui, modo Æquicolæ, aut Æquiculi, vel etiam Æquani Latine, Græce autem Αἴκουοι, Αἰκανοὶ, Αἰκουϊκλοί. Quod autem Virgilius dixit, 'Æquosque Faliscos,' epitheton est Faliscorum, non nomen.

Gracchum Clœlium [19 d] deferunt. Is tum longe princeps in Æquis erat. Graccho duce in Lavicanum agrum, inde in Tusculanum, hostili populatione veniunt, plenique prædæ [20] in Algido castra locant. In ea castra Q. Fabius, P. Volumnius, A. Postumius, legati ab Roma, venerunt questum injurias, et ex fœdere [1] res repetitum. Eos Æquorum imperator, 'quæ mandata habeant ab senatu Romano, ad quercum' jubet 'dicere: [e] se alia interim acturum.' Quercus ingens arbor prætorio imminebat, cujus umbra [2] opaca sedes erat.[i] Tum ex legatis unus abiens, 'et hæc,' inquit, 'sacrata quercus, et quicquid Deorum est, audiant fœdus a vobis ruptum: nostrisque et nunc querelis adsint, et mox armis; cum Deorum hominumque simul violata jura exequemur.' Romam ut rediere legati, senatus jussit, alterum consulem contra Gracchum in Algidum exercitum ducere: [3]

[i] *Cujus (arboris) umbra opacum erat tentorium Clœlii.*

Stroth.—19 Vulg. *Gracchum Cluilium.*—20 *Præda* Gronov. Doujat. Crevier. Cleric.—1 Vulg. *ex eo fœdere.*—2 'Præpositio *sub*, quam supplendam putabat Glareanus, ante *cujus* excidisse videtur, quia usus loquendi eam omnino postulat.' *Doering.*—3 '*In Algidum educere*, omissa voce *exercitum*, Ms. Veith. paulo ante in eodem deest *ut*, quod et in Edd. ante Rhenan. desideratur.' *Idem.*

NOTÆ

[d] *Ad Gracchum Clœlium*] Alias *Cluilium.* Sed idem nomen est, ut Claudius, et Clodius. V. lib. I. c. 22. Hic autem Gracchus delatum ad se Æquorum imperium proxime regiam potestatem evexerat ex Dionys. Sed hoc ille præter Veterum fidem profert. Quod cum ita sit, non video unde habeat Godel. Dionysium in ea fuisse sententia, ut existimaret Cæsonem Quintium, non Gracchum Cluilium, ab Æquis et Volscis ducem belli electum: nisi id quod a Virginio tribuno plebis in Cæsonis invidiam confictum erat, is contra mentem Auctoris pro vero acceperit. Sex. quidem Aurelius Victor, sive auctor de Viris illustrib. ait Cæsonem ob petulantiam a patre abdicatum, atque a censoribus notatum, ad Volscos et Sabinos confugisse, qui duce Clœlio Graccho bellum adversus Romanos gerebant.

[e] *Ad quercum jubet dicere*] Clœlius diu simulans occupationes, legatos Romanorum audire distulit. Dein mandatis Senatus expositis, mirari se respondit, quod Romani, qui sola imperandi cupidine eos, a quibus læsi non essent, pro hostibus sæpe haberent, non patiantur ut Æqui ab inimicis suis Tusculanis, quibus cautum fœdere non sit, pœnas exigant: adjecitque, si res Tusculanorum reposcerent, eas a vicina fago repetendas. Romani tamen legatos iterum miserunt cum fecialibus, priusquam bellum inferrent.

alteri populationem finium Æquorum provinciam dedit. Tribuni suo more impedire delectum. Et forsitan ad ultimum impedissent; sed novus subito additus terror est.

26. Vis Sabinorum ingens prope ad mœnia Urbis infesta populatione venit. Fœdati agri,[k] terror injectus Urbi est. Tum plebs benigne arma cepit.[l] Reclamantibus frustra tribunis, magni duo exercitus scripti. Alterum Nautius contra Sabinos duxit: castrisque ad Eretum[f] positis, per expeditiones parvas, plerumque nocturnis incursionibus,[4] tantam vastitatem in Sabino agro reddidit, ut, comparati ad eam,[5] prope intacti bello fines Romani viderentur. Minucio neque fortuna nec vis animi eadem in gerendo negotio fuit. Nam, cum haud procul ab hoste castra posuisset, nulla magnopere clade accepta, castris se pavidus tenebat. Quod ubi senserant[6] hostes, crevit ex metu alieno, ut fit, audacia: et, nocte adorti castra, postquam parum vis aperta profecerat, munitiones postero die circumdant.[g] Quæ prius quam, undique vallo objecto,[7] clauderent exitus, quinque equites, inter stationes hostium emissi, Romam pertulere, consulem exercitumque obsideri. Nihil nec tam[8] inopinatum, nec tam insperatum accidere potuit. Itaque tantus

[k] *Campi fœde vastati sunt.* [l] *Cepit arma non repugnanter.*

4 Plures scripti, *incursibus.*—5 Conj. Rupert. *ad eum*, sc. *agrum Sabinum.*—6 *Senserunt* Edd. ante Drak. et Ms. Veith.—7 Vulg. *objectæ.*—8 *Tam nec* Gronov. Doujat. Crevier. ' *Tam* posterius del. Edd. ante Rhenan. et plerique inter Sigon. et Drak. ac præterea Ms. Veith. in quo est, *nihil tam*

NOTÆ

[f] *Ad Eretum*] Oppidum, seu vicus fuit Sabinorum ultra Fidenas, haud procul Tiberi inter ejus ripam et confluentem Alliam in edito colle via Salaria, ut ex Strabone et Itinerariis constat: XL. ab Urbe stadio dissitum, ait Dionysius, id est, millibus passuum V. sed necessario error in numerum irrepsit. Hodie *Monte Ritondo* ex sententia Cluverii, quam non improbat Holstenius, qui ab Urbe XV. milliaribus per rectam lineam, XVIII. vulgari via abesse notat. Ducatus titulo Barberinos habet dominos.

[g] *Munitiones postero die circumdant*] Cœlius, ubi convallis, in quam Minucium pertraxerat, exitus omnes occupaverat, et Romanos perrumpere conantes in castra compulerat, fossa et vallo eos circumdedit, sperans fame ad deditionem cogendos.

pavor, tanta trepidatio[9] fuit, quanta, si urbem, non castra, hostes obsiderent. Nautium consulem arcessunt.[h] In quo cum parum præsidii videretur, dictatoremque dici placeret, qui rem perculsam restitueret, L. Quintius Cincinnatus consensu omnium dicitur. Operæ pretium est audire, qui omnia præ divitiis humana spernunt, neque honori magno locum, neque virtuti putant esse, nisi ubi effuse affluant opes. Spes unica imperii populi Romani L. Quintius trans Tiberim, contra eum ipsum locum, ubi nunc navalia sunt,[i] quatuor jugerum colebat agrum, quæ prata Quintia vocantur. Ibi ab legatis, seu fossam fodiens palæ innisus,[10k] seu cum araret; operi certe, id quod constat, agresti intentus; salute data in vicem redditaque, rogatus, 'ut quod bene verteret ipsi reique publicæ, togatus mandata senatus audiret,'[l] admiratus, rogitansque, 'satin' salva essent omnia,' togam propere e tugurio[m] proferre uxorem Raciliam jubet.

nec inopinatum nec insp.' Stroth.—9 Vet. lib. ap Sigon. *tantaque trepidatio.*—

NOTÆ

[h] *Nautium consulem arcessunt*] Nuntiato Minucii periculo, Q. Fabius, præfectus Urbis, copiarum, quas circa se tuendæ Urbi habebat, robur in subsidium misit: deinde alterum consulem per literas e Sabinis excivit. Hic, commissa legatis castrorum cura, de Fabii aliorumque Senatorum sententia, tanquam rebus in discrimine positis, dictatorem dixit L. Quintium Cincinnatum, inde ad exercitum suum propere reversus est.

[i] *Ubi nunc navalia sunt*] In Vaticano, extra portam quæ olim navalis dicta a navalibus.

[k] *Palæ innisus*] Alias *palo*. Quintius describitur fossam fodiens, quod opus non fit inclinatis ad palum, sed incumbentibus palæ, eaque strenue terram moventibus. Numeratur quoque bipalium inter instrumenta rustica quibus terra foditur. Verum vox *bipalio* longius quam vox *palæ* distat a *palo*, quod vocabulum in arche typis extabat. 'Innixum aratro' Florus tradit.

[l] *Togatus mandata senatus audiret*] Nudus enim operi rustico vacabat, id est, non solum sine toga, cujus in ejusmodi opere nullus poterat esse usus, sed ne tunica quidem indutus, solisque tectus femoralibus; quo habitu accipi mandata Senatus indecorum.

[m] *Togam propere e tugurio*] Togam puram intellige, non prætextam: quæ dignitatis erat insigne. Eam enim si tunc L. Quintius sudore deterso accepit, quemadmodum Eutropius refert; certe, non sponte, sed a legatis, post exposita mandata, accepisse, colligitur ex Dionysio. Porro apud Romanos primis temporibus viros sine tunicis fuisse, solaque amictos toga, disces vel ex A. Gell. lib. VII. Noct. Att. c. 12.

Qua simul, absterso pulvere ac sudore, velatus processit, dictatorem eum[n] legati gratulantes[11] consalutant: in Urbem vocant: qui terror sit in exercitu, exponunt. Navis Quintio publice parata fuit, transvectumque tres obviam egressi filii excipiunt; inde alii propinqui atque amici; tum Patrum major pars. Ea frequentia stipatus, antecedentibus lictoribus, deductus est domum: et plebis concursus ingens fuit. Sed ea nequaquam tam læta Quintium vidit; et imperii nimium,[o] et virum in ipso imperio vehementiorem[12] rata. Et illa quidem nocte nihil præterquam vigilatum est in Urbe.

27. Postero die dictator, cum ante lucem in forum venisset, magistrum equitum dicit L. Tarquitium[13] patriciæ gentis,[p] sed qui, cum stipendia pedibus[q] propter paupertatem fecisset, bello tamen primus longe Romanæ juventutis habitus esset. Cum magistro equitum in concionem venit, justitium edicit, claudi tabernas tota urbe jubet, vetat

10 Vulg. *bipalio innixus.* Vett. libb. *palo innixus.*—11 Vulg. *dictatorem eum gratulantes.*—12 'Forte cum Christio leg. *virum ipso imperio vehementiorem.*' Drak.

NOTÆ

[n] *Dictatorem eum*] Quæ hic in deferenda Cincinnato dictatura contigisse Livius narrat, eadem fere Dionysius memorat, cum eidem consulatus anno superiore mandaretur. Et sane facile potuit frugi paterf. in opere habituque rustico non semel deprehendi.

[o] *Et imperii nimium*] Videri posset *imperii nimium* intelligi nimis imperiosum, nimisque severum in imperando: sed hic sensus mox aliis verbis exprimitur, 'et in ipso imperio vehementiorem:' ideoque, ne eadem sententia statim repetatur, videtur alio sensu accipi debere *imperii nimium*, pro eo nempe qui nimis sæpe summos gesserit magistratus. Imperium enim pro potestate dicitur. Porro nimium imperii dicitur, quemadmodum apud eundem 'nimius animi,' apud Tacitum 'sermonis nimius.' Quid si legamus *et imperio nimium, et ipso imperio vehementiorem:* ut velit Livius, plebi dolnisse Cincinnatum videre ad dictaturam evectum, maximum nempe magistratum, et cui nimia inesset potentia; et qui ipse natura sua esset violentior quam ipsa dictatura ferret, quantumvis per se violenta.

[p] *L. Tarquitium patriciæ gentis*] Alias *Tarquinium:* sed ex Sigonio in tabulis Capitolinis est *L. Tarquitius*, quibus danda fides est; nam Tarquinii omnes exacti ab Urbe fuerant cum Collatino supra lib. II. c. 2. Et de Tarquinio non dixisset Noster *patriciæ gentis*, cum id satis constaret.

[q] *Cum stipendia pedibus*] Sine munere inter pedites militare, seu gregarium esse, minus honorificum, quam equo stipendia mereri.

quenquam privatæ quicquam rei agere. Tum, quicumque ætate militari essent, armati, cum cibariis in dies quinque coctis, vallisque duodenis, ante solis occasum Martio in campo adessent: quibus ætas ad militandum gravior esset, vicino militi, dum is arma pararet, vallumque peteret, cibaria coquere jussit. Sic juventus discurrit ad vallum petendum. Sumsere, unde cuique proximum fuit:[r] prohibitus nemo est: impigreque omnes ad edictum dictatoris præsto fuere. Inde composito agmine, non itineri magis apti,[14] quam prælio, si res ita tulisset, legiones ipse dictator, magister equitum suos equites ducit. In utroque agmine, quas tempus ipsum poscebat, adhortationes erant: 'adderent gradum, maturato opus esse, ut nocte ad hostem pervenire possent.[15] Consulem exercitumque Romanum obsideri. Tertium diem jam clausos esse: quid quæque nox aut dies ferat, incertum esse: puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta verti.' 'Accelera signifer,' 'sequere miles,' inter se quoque, gratificantes ducibus, clamabant.[m] Media nocte in Algidum perveniunt:[s] et, ut sensere, se jam prope hostes esse, signa constituunt.[n]

28. Ibi dictator, quantum nocte prospici poterat, equo circumvectus, contemplatusque, qui tractus castrorum,

[m] *Ipsi quoque milites, ut gratum facerent ducibus, clamabant; milites quidem, propera o signifer; signiferi, aliique, sequimini o milites.*
[n] *Collocant vexilla.*

13 Al. *Tarquinium.*—14 '*Apto* Edd. ante Drak.' *Stroth.* '*Non itineri magis apti,* sc. fuere; et tum post *tulisset* major distinctio ponenda. Malim certe lectionem vulg. *apto* revocare, quam voc. *apti* vel ad *dictatorem* et *mogistrum equitum,* vel ad *agmine* referre, quod nomen quidem collectivum est, sed non ejusdem casus.' *Rupert.* Mox pro *ducit* scribendum monet J. F. Gronov. *ducunt.*—15 'In optimis plerisque reperio *posset,* indicio scribendum *perveniri posset,* quod ex suo v. l. notavit Muretus.' *J. F. Gronov.*

NOTÆ

[r] *Sumsere, unde cuique proximum fuit*] Cum res urgeret, concessum militibus est ut quisque duodecim sudes, seu vallos, quos ad castra munienda ferre jussus erat, undecumque maxime commodum videretur, sumeret, nemine ex suis arboribus excidi vetante.

[s] *In Algidum perveniunt*] Ad Algidum montem, ubi ejusdem nominis oppidum, de quo supra.

quæque forma esset, tribunis militum imperavit, ut sarcinas in unum conjici jubeant, militem cum armis valloque redire in ordines suos. Facta, quæ imperavit.[t] Tum, quo fuerant[16] ordine in via,[u] exercitum omnem longo agmine circumdat hostium castris, et, ubi signum datum sit, clamorem omnes tollere jubet. Clamore sublato, ante se quemque ducere fossam, et jacere vallum. Edito imperio, signum secutum est.[o] Jussa miles exequitur, clamor hostes circumsonat. Superat inde castra hostium,[p] et in castra consulis venit; alibi pavorem, alibi gaudium[x] ingens facit. Romani, 'civilem esse clamorem,[q] atque auxilium adesse,' inter se gratulantes, ultro ex stationibus ac vigiliis territant hostem. Consul differendum negat: 'Illo clamore non adventum modo significari, sed rem ab suis cœptam; mirumque esse, ni jam exteriore parte castra hostium oppugnentur. Itaque arma suos capere, et se subsequi' jubet. Nocte initum prælium est a legionibus: dictatori clamore[17] significant,[y] ab ea quoque parte rem in discrimine esse. Jam

[o] *Ubi jussum est a dictatore, signum datum est.*
[p] *Fertur deinde clamor Romanorum ultra hostium castra.*
[q] *Esse clamorem civium suorum opem ferentium.*

16 '*Fuerat* Edd. a Basil. 1539. ad Gronov.' *Stroth.*—17 *Est: legionibus dictatoris* Edd. plerique ante Gronov. *est a legionibus dictatoris. clamore* Ms.

NOTÆ

[t] *Facta, quæ imperavit*] Solennia militiæ verba, 'factum quod imperasti:' uti ex Tacito lib. I. apertum, ac Sueton. in Tib. et Claud.

[u] *Quo fuerant* [*fuerat*] *ordine in via*] Eodem quidem ordine ante dictatorem stetit exercitus, quo in via fuerat: sed accepto imperio agmina in longum exporrecta, non a fronte ad tergum, (quæ incessus vera est longitudo,) sed dextra lævaque in latera. Sic enim intelligere oportet: eosque in opere circum castra hostilia faciendo hactenus ordines tantum servasse, ut sub suis quisque ducibus cum iisdem contubernalibus foderent.

[x] *Alibi pavorem, alibi gaudium*] Pavorem in castris Æquorum, gaudium in castris consulis ab illis inclusi.

[y] *Initum prælium est a legionibus: dictatori clamore significant*] Hunc locum varie legunt atque interpretantur Rhenanus, Glareanus, Gronovius. Verum omnia opinor expeditiora fuerint, si legerimus *nocte initum prælium est:* (nempe a consulis legionibus, de quibus hoc loco:) *legionibus dictatoris clamore significant,* (subaudi legiones Minucii, seu Romani milites

se ad prohibenda[18] circumdari opera[r z] Æqui parabant, cum, ab interiore hoste prælio cœpto, ne per media sua castra fieret eruptio, a munientibus ad pugnantes introrsum versi, vacuam noctem operi dedere. Pugnatumque cum consule ad lucem est.[s] Luce prima jam circumvallati ab dictatore erant, et vix adversus unum exercitum pugnam sustinebant. Tum a Quintiano exercitu, qui confestim a perfecto opere ad arma rediit, invaditur vallum. Hic instabat nova pugna: illa[19] nihil remiserat prior. Tum, ancipiti malo urgente, a prælio ad preces versi, hinc dictatorem, hinc consulem orare, ne in occidione victoriam ponerent, ut inermes se inde abire sinerent. Ab consule ad dictatorem ire jussis ignominiam infensus addidit.[20] Gracchum Clœlium ducem principesque alios vinctos ad se adduci jubet, oppido Corbione decedi:[a] 'Sanguinis se Æquorum non egere: licere abire: sed, ut exprimatur tandem confessio, subactam domitamque esse gentem, sub jugum abituros.'[b] Tribus

[r] *In eo erant Æqui, ut jam sese pararent ad prohibendum ne munitiones castrorum suorum a dictatore circumdarentur.*

[s] *Æqui ab iis, qui extrinsecus adversus se fossam et vallum exstruebant, versi sunt ad obsessos, qui interiori a parte pugnam inierunt, ne hi per ipsorum castra erumperent: et sic liberum tempus noctis dictatori reliquere ad perficienda exteriori ex parte opera.*

Veith. Vid. Not. inf. et Not. Var.—18 Conj. Rupert. *prohibendum.* Vid. inf. —19 *Illa* del. Gronov. Doujat. Crevier. et Ms. Veith. *Illic* conj. Rupert.—

NOTÆ

obsessi,) *ab ea quoque parte,* (a sua scilicet parte,) *rem* (hostium) *in discrimine esse.*

[z] *Jam se ad prohibenda circumdari opera*] Indicat Glar. pro verbo *circumdari* alias legi *circumdati:* quæ lectio admitti potest, modo participium illud de præsenti, non de futuro tempore accipiatur: ut significetur Æquos, qui circumdabantur, se parasse ad prohibenda hostium circumsidentium opera.

[a] *Oppido Corbione decedi*] Illud præterea velut mulctæ nomine Æquis imperatum, ut cum Tusculanos populi Romani socios, direpto oppido, in servitutem abegissent, ipsi vicissim e suis oppidis Corbionem eodem modo diripiendum Romanis traderent. Dimissis tamen sine pretio Tusculanis captivis, impetraverunt ut ingenuis liceret Corbione excedere antequam diriperetur. De Corbione lib. II. c. 39.

[b] *Sub jugum abituros*] Eleganter hac de re Florus, 'ne quid a rustici operis imitatione cessaret (Quintius), victos more pecudum sub jugum misit.'

hastis jugum fit, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata. Sub hoc jugo[1] dictator Æquos misit.

29. Castris hostium receptis, plenis omnium rerum, (nudos enim emiserat,) prædam omnem suo tantum militi dedit: consularem exercitum ipsumque consulem increpans, 'Carebis,' inquit, 'prædæ parte, miles, ex eo hoste, cui prope prædæ fuisti. Et tu, L. Minuci, donec consularem animum incipias habere, legatus his legionibus præeris.' Ita se Minucius abdicat consulatu, jussusque ad exercitum manet. Sed adeo tum imperio meliori animus mansuete obediens erat, ut[f] beneficii magis, quam ignominiæ, hic exercitus memor, et coronam auream[c] dictatori libram pondo[d] decreverit, et proficiscentem eum patronum salutaverit. Romæ a Q. Fabio præfecto urbis senatus habitus triumphantem Quintium, quo veniebat agmine, urbem ingredi jussit. Ducti ante currum[e] hostium duces: militaria

[f] *Sed eo tempore ita promte animi hominum melius imperanti parebant, ut.*

20 Idem conj. *Ab c. a. d. ire jussi: is i. i. a.*—1 'Duk. τὸ *jugo* ex ant. scriptura *jugom* pro *jugum* ortum putabat.' *Idem.*

NOTÆ

[c] *Coronam auream*] Obsidionali corona donatum Cincinnatum a Minucio, ejusque exercitu, tradit Aurel. Victor, observantque ab eo cepisse hujus coronæ usum. At corona obsidionalis longe ceteris præcellere credita: eamque non imperator singulis militibus, ut plerasque alias, sed exercitus universus servatori suo dabat. Fiebat autem ex gramine decerpto eo loci ubi cives obsidione liberati essent. Verum Cincinnatus, præter hanc coronam obsidionalem, etiam auream accepit. Coronæ militares septem ferme generum fuere, triumphalis laurea, obsidionalis graminea, ovalis myrtea, quæ imperatorum propriæ; civica querna, seu iligua, qua servatus civis civem donabat; muralis pinnis, castrensis vallis, navalis rostris insignes, atque aureæ: quales sine his insignibus ob egregia facta, non modo imperatoribus, (unde posterioribus temporibus auri coronarii nomen,) sed privatis quoque assignatæ. His addi possunt argenteæ et oleagineæ, quarum causæ non semper eædem. Addidit Caligula coronas exploratorias, quæ solis, lunæ, siderumque specie distinguebantur.

[d] *Libram pondo*] Pondo modo pro libra æris, seu asse Romano sumitur: aliquando pro pondere, ut hic.

[e] *Ducti ante currum*] Is triumphantium mos fuit, ut reges ducesque hostium bello capti vehiculis, ceteri captivi catervatim, vincti omnes catenis, currum præcederent. Pompeius tamen post bellum Mithridati-

signa prælata: secutus exercitus præda onustus. Epulæ instructæ[f] dicuntur fuisse ante omnium domos: epulantesque cum carmine triumphali et solennibus jocis,[g] comissantium modo,[h] currum secuti sunt. Eo die L. Mamilio Tusculano, approbantibus cunctis, civitas data est. Confestim se dictator magistratu abdicasset, ni comitia M. Volscii falsi testis tenuissent:[u] ea ne impedirent tribuni, dictatoris obstitit metus. Volscius damnatus Lanuvium in exilium abiit. Quintius sexto decimo die dictatura,[i] in

[u] *Nisi eum retinuissent comitia adversus M. Volscium falsum testem habenda.*

NOTÆ

cum captivos belli jure vinctos duci noluit, sed patrio more succinctos ire jussit: eosque exacta pompa liberos donatosque remisit, ut est apud Appianum: cum triumphantes ceteri, ubi de foro in Capitolium flectebant, captivos, præsertim insignes, quique discordiarum et belli auctores fuissent, in custodiam detrudi juberent, statim necandos, ut ex Strab. lib. XII. Josepho lib. VII. c. 24. discimus; qui testatur non ante a victore immolatas de more fuisse hostias, quam hostium ducem neci datum esse constaret.

[f] *Epulæ instructæ*] In triumphis solenne epulum publice dabatur: qua in re celebratur Cæsaris magnificentia, qui Africano triumpho uno die in viginti ac duobus millibus triclinio-rum mensas instruxit ea de causa. Ad hoc epulum invitari consules solebant, ac mox rogari ne venirent, ne si quis major triumphante interveniret, debitus ipsi eo die honor præriperetur, auctore Plut. Problem. 80. Interdum, ut nunc factitatum, victricibus legionibus epulæ exstructæque mensæ ante domos exhibebantur a civibus.

[g] *Et solennibus jocis*] Milites victoris exercitus, qui armati et spoliis ornati currum triumphalem sequebantur, jocos et inconditos versus in triumphantem jactabant per lasciviam militarem.

[h] *Comissantium* [*comessantium*] *modo*] *Comessari* a comedendo cum Læv. Torrentio in Suet. Vitell. dixeris, an *comissari* cum Aldo Manutio juniore in Orthogr. ratione, et aliis, ant *comassari* cum Fulvio Urs. a Græco verbo κωμάζειν, quam etymologiam probat Lambinus in Horat. haud equidem in magno discrimine posuero; dum sciamus hoc verbo significari eos qui intempestive ac præsertim noctu post cœnam convivantur: quod cum fere cum lascivia et petulantia quadam fiat, merito jocos ac liberiores sales militum per vicos epulantium comparat Livius cum scurrilibus comessantium ludis.

[i] *Sextodecimo die dictatura*] L. Quintius iterum honoris delati fastidio gloriam auget: qua de re Florus egregie: 'Sic expeditione finita rediit ad boves rursus triumphalis agricola. Fidem numinum! qua velocitate! Intra quindecim dies cœptum peractumque bellum: prorsus ut festinasse dictator ad relictum opus videretur.' Ceterum Quintius optimum adversus paupertatem remedium habuit divitiarum contemtum: adeo ut nec ex agro prædave hostili

sex menses accepta, se abdicavit. Per eos dies consul Nautius ad Eretum cum Sabinis egregie pugnat. Ad vastatos agros ea quoque clades accessit Sabinis. Minucio Fabius Quintus successor[3] in Algidum missus. Extremo anno agitatum de lege ab tribunis est. Sed, quia duo exercitus aberant, ne quid ferretur ad populum, Patres tenuere.[x] Plebes vicit, ut quintum eosdem tribunos crearent. Lupos visos in Capitolio[k] ferunt a canibus fugatos; ob id prodigium lustratum Capitolium esse. Hæc eo anno gesta.

30. Sequuntur consules Q. Minucius, C. Horatius[4] Pulvillus.* Cujus initio anni cum foris otium esset, domi seditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat. Ulteriusque ventum foret, (adeo exarserant animis,)[5] ni, velut dedita opera, nocturno impetu Æquorum Corbione amissum præsidium nuntiatum esset. Senatum consules vocant. Jubentur subitarium scribere exercitum, atque in Algidum ducere. Inde, posito legis certamine, nova de delectu contentio orta.[6] Vincebaturque consulare imperium tribunicio auxilio, cum alius additur terror: Sabinum exercitum prædatum descendisse in agros Romanos, inde ad Urbem venire. Is metus perpulit,[7][1] ut scribi militem tribuni sinerent; non sine pactione tamen, ut, quoniam ipsi quinquennium elusi essent, parvumque id plebi præsidium foret,

[x] *Senatus obtinuit ne lex ulla apud populum ferretur.*

2 In Ms. Veith. est *libræ pondo*, et mox *salutavit*.—3 Vulg. *Fabius successor*. Vet. lib. ap. Sigon. *Q. Fabius successor*.
4 Vulg. *M. Horatius*.—5 *Animi* Gronov. Doujat. Crevier.—6 *Exorta* iid.

NOTÆ

quicquam, hortante quamvis Senatu, sibi sumere voluerit, auctore Dionysio.

[k] *Lupos visos in Capitolio*] Inauspicatus habebatur conspectus luporum intra Urbem, aut castra, et frequentia hominibus loca; semperque solenni lustratione expiabatur.

* A. U. C. 296.

[1] *Is metus perpulit*] Sic legit Gronov. non *perculit*, et melius, ut infra c. 38. 'Is pavor perpulit decemviros ut Senatum consulerent.' *Percello* est, perturbo, affligo: *perpello* est, adigo; quod hoc loco magis convenit.

decem deinde tribuni plebis crearentur. Expressit hoc necessitas Patribus. Id modo excepere, ne postea eosdem[8] tribunos juberent.[y] Tribunicia comitia (ne id quoque post bellum, ut cetera, vanum esset) extemplo habita. Tricesimo sexto anno[m] a primis tribunis plebis, decem creati sunt, bini ex singulis classibus.[n] Itaque cautum est, ut postea crearentur.[z] Delectu deinde habito, Minucius, contra Sabinos profectus, non invenit hostem. Horatius, cum jam Æqui, Corbione interfecto præsidio, Ortonam[9] etiam cepissent, in Algido pugnat. Multos mortales occidit: fugat hostem non ex Algido modo, sed a Corbione Ortonaque. Corbionem etiam diruit propter proditum præsidium.

31. Deinde M. Valerius, Sp. Virginius consules facti.* Domi forisque otium fuit. Annona propter aquarum intemperiem[o] laboratum est. De Aventino publican-

[y] *Id necessitas a Senatu extorsit: qui tamen hanc exceptionem pactis addidit, ne plebs eosdem tribunos comitiis suis ultra crearet.*

[z] *Et constitutum est ut in posterum ita crearentur, nempe decem, &c.*

—7 *Perculit* Edd. ante Drak. *pertulit* Ms. Veith. Vid. Not. Var.—8 Periz.

NOTÆ

[m] *Tricesimo sexto anno*] Notat Glar. Dionysii supputatione hanc Livii rationem bene habere. Nam anno 17. ab exactis regibus creati sunt primi tribuni: at hic annus ab urbe Tarquiniorum imperio liberata est quinquagesimus tertius; e quo numero si subtraxeris septemdecim, reliquentur anni sex et triginta. Verum in Livio tres desunt anni, quod supra indicatum, 248. 264. et 265.

[n] *Bini ex singulis classibus*] Atqui sex civium Romanorum classes a Servio institutas certissimum est ex Dionysio ipsoque Livio. Sed quoniam sextæ classis nunquam in suffragiis ratio habebatur, ut lib. I. c. 43. observatum est, idcirco plerumque ne inter classes quidem numerari solebat. Itaque nonnisi ex quinque primis classibus tribuni eligebantur. Duplicatus autem est eorum numerus solo fere Ap. Claudio repugnante, ceteris primoribus cum L. Quintio haud ægre concedentibus, quod sperarent plures minus inter se consensuros, ipsorumque vim dissensu labefactandam.

* A. U. C. 297.

[o] *Propter aquarum intemperiem*] Intemperies in homine immodestiam sive procacitatem significat; in cœlo sive aëre insuetam et vitiosam temperaturam, ardorem puta immoderatum, frigus, humorem, siccitatem nimiam. At aquarum intemperies, frugibus noxia, an ad magnos assiduosque imbres, an ad fluminum rivorumque insolitas exundationes, an forte ad pestilentes ex stagnis aut lacubus vapores referenda sit, non explicat Livius.

do [p] lata ex est. Tribuni plebis iidem refecti [q] sequente anno,* T. Romilio, C. Veturio [r] consulibus, legem omnibus concionibus suis celebrabant.[10 s] 'Pudere se numeri

legit *hos eosdem.*—9 Vulg. *Hortanam.*—10 *Refecti. Hi sequente .... celebrant*

NOTÆ

[p] *De Aventino publicando*] Rem explicat Dionysius, ex cujus longiori narratione duo sufficiet observare. Alterum, tribunos auctore Icilio Senatum convocare hoc primum anno ausos, atque adeo consules ipsos ad collegium tribunicium per apparitorem vocare. Alterum, eodem suadente extortum Senatusconsultum, atque inde legem, qua cautum est ut collis Aventinus, qui tum non totus habitabatur, plebi assignaretur; quod optimum remedium videri volebat ad coërcendas seditiones agrarias. Igitur perlata lex est centuriatis comitiis, quæ eodem in monte extabat excisa in ærea columna, ut quod in Aventino privati jure partum possideant, penes dominos maneret; quæ per vim aut fraudem ædificiis occupata essent, ea restituto ædificationis pretio addicerentur populo; quæ publica mansissent, plebi sine pretio dividerentur. Sic plebeii areas ejus soli divisas inter se certatim ædificiis occuparunt.

[q] *Tribuni plebis iidem refecti*] Ita quod in augendo tribunorum numero Patres exceperant cap. proximo, plebs quamprimum data occasione flocci fecit.

* A. U. C. 298.

[r] *T. Romilio, C. Veturio*] Hi consules ambo postea decemviri creati, sed in eo magistratu Veturium Livius *Lucium* prænomine vocat c. 33. hujus lib. Diodor. et Capitolinæ tabulæ *Spurium*, ut et *Romilium* pro *Romulio.*

[s] *Legem omnibus concionibus suis celebrabant* [*celebrant*] Merito conqueritur Glar. omitti hoc loco a Livio tum acerrimas ac prope cruentas tribunorum adversus consules ob nimis asperum delectum contentiones, tum etiam vehementem Sicinii sive Siccii Dentati orationem ad plebem, qua commemoratis militaribus suis laboribus per annos 40. adhortatus est ad vindicandam præmiorum bellicorum partem, agrorumque suo sudore partorum, quos sibi soli patricii, non pretio, non dono populi, sed per vim arrogabant. Hic est ille Sicinius a Valer. Max. lib. III. c. 2. Plinio lib. VII. Nat. Hist. c. 28. Gell. lib. II. c. 11. aliisque, fortitudinis nomine celebratus, qui centies et vicies in acie dimicaverat, vulnera 45. adversa omnia, acceperat, exque iis duodecim una die adversus Herdonium pugnans: præmia vero ex diversis certaminibus 211. (quorum novem singularibus, ex provocatione dimicans, hostem prostraverat,) civicas quatuordecim, tres murales, octo aureas coronas, torques aureos tres supra octoginta, armillas aureas sexaginta, hastas puras octodecim, phaleras quinque et viginti. His cum permota plebs legem agrariam calculis suis pararet sancire, obstitere per vim patricii cum clientibus. Qua de causa trium familiarum patricii, cedentibus ea in re ceteris furori populi, absentes damnati sunt, eorumque bona Cereri sacrata: sed a reliquis Senatoribus pretio redemta, et prioribus dominis sunt restituta.

sui nequicquam aucti, si ea res æque suo biennio jaceret, ac toto superiore lustro jacuisset.'[a] Cum maxime hæc agerent, trepidi nuntii ab Tusculo veniunt, Æquos in agro Tusculano esse. Fecit pudorem recens ejus populi meritum morandi auxilii:[b] ambo consules, cum exercitu missi,[t] hostem in sua sede in Algido inveniunt. Ibi pugnatum. Supra septem millia hostium cæsa: alii fugati: præda parta ingens.[u] Eam propter inopiam ærarii consules vendiderunt. Invidiæ tamen res ad exercitum fuit. Ea denique tribunis[11] materiam criminandi ad plebem consules præbuit.[c] Itaque ergo,[12] ut magistratu abiere, Sp. Tarpeio, A. Aterio[x] consulibus,* dies dicta est Romilio ab

[a] *Si per biennium, quo ipsi tribuni essent, non minus quam antea per quinquennium, langueret legis promulgatio.*

[b] *Recens populi illius beneficium pudorem injecit differendi auxilii.*

[c] *Verum ea res apud milites odio fuit, ac tribunis occasionem dedit incusandi consules apud plebem.*

Edd. ante Drak. et Ms. Veith. Vid. Not. Var.—11 Ex quibusdam Mss. Crevier. et Stroth. legunt *fuit: eademque t.*—12 Conj. J. F. Gronov. *Utrique*

NOTÆ

[t] *Ambo consules, cum exercitu missi*] Cum tribuni delectum impedirent, factum est Senatusconsultum, ut patricii cum Clientibus suis id bellum sustinerent, reliquis civibus qui sponte pro patriæ salute arma sumserint Deos fore propitios, iratos contra desertoribus consulum. Hoc Senatusconsulto in concione recitato, multi plebeiorum, partim in gratiam Senatorum, alii spe prædæ, non pauci ingenno pudore, nomina dederunt. In his Siccius, seu Sicinius, de quo superiore nota, cum octingentis amicis, iisque fere veteranis. Eum Romilius ad se accitum castra hostium in prærupto saxo sita, ad quæ unica via ferre videbatur, aggredi jubet, non sine verborum contumelia. Cum Sicinius se in certam mortem mitti videret, obtestatus proximos, ut suam sibi virtutem, ac loquendi pro plebe audaciam, exitio fuisse civibus renuntiarent, profectus quidem cum suis est: verum alio itinere, per latus montis, et saltum sibi non ignotum, ad tumulum castris imminentem pervenit; unde in hostes hactenus æquo marte dimicantes devolavit, victoriamque Romanis haud dubiam peperit. Castrorum potitus prædam omnem odio imperantium flammis corrupit: Romamque noctu reversus, rei gestæ narratione publicum in consules odium accendit.

[u] *Præda parta ingens*] Ex captivis agrisque hostium.

[x] *A. Aterio*] In hujus consulis nomine mire variare codices observant Glar. et Sigon. Pleræque Livii editiones *Æternium*, ut est apud Plinium, aut *Aternium* nominant, ut et Cassiodorus: A. Gell. *Thermum:* alii aliter. Sigonius *Aterium* conjicit esse legen-

C. Claudio Cicerone,[y] tribuno plebis; Veturio ab L. Alieno, ædile plebis. Uterque magna Patrum indignatione damnatus, Romilius decem millibus æris, Veturius quindecim.[13 z] Nec hæc priorum calamitas consulum segniores[a] novos fecerat consules. 'Et se damnari posse' aiebant: 'et plebem, et tribunos legem ferre non posse.' Tum, abjecta lege, quæ promulgata consenuerat, tribuni lenius agere cum Patribus. 'Finem tandem certaminum facerent. Si plebeiæ leges displicerent, at illi communiter legum latores,[b] et ex plebe, et ex Patribus, qui utrisque utilia ferrent, quæque æquandæ libertatis essent, sinerent creari.'

NOTÆ

dum, quod reliqua nomina quæ proferuntur, ignotarum sint gentium.

* A. U. C. 299.

[y] *Ab C. Claudio Cicerone*] Dionysius Siccium, sive Sicinium, de quo supra, tribunum plebis creatum statim Romilio diem dixisse ait: sed eundem a pluribus reum agi potuisse non est incompertum, præsertim si diversa publica crimina proponerentur.

[z] *Romilius decem millibus æris, Veturius quindecim* [*millibus*] Ex Budæi computatione assium decem millia libras nostras 170. haud multum superarent. Quindecim millia libris nostris 255. fere responderent. At si Peireskii et Gassendii assis Romani æstimationem Budæanam ad sesquialteram argentium rationem sequamur, decem millia æris 450. lib. conficerent quindecim millia 675. lib. Si æris gravis, quale tunc in usu, millia intelligantur, æstimata ex pondere, millia decem conficient 6750. libras nostrates: millia vero quindecim non minus 10125. libris respondebunt.

Decem millibus æris] Ἀσσαρία μυρία, ut habet Dionysius, hoc est, decem millia librarum Romanarum æris. Sequens mulcta fuit quindecim millium librarum. *J. Clericus.*

[a] *Nec hæc priorum calamitas consulum segniores, &c.*] Novi tamen consules, priorum exemplis territi, tum aliis in rebus plebi gratificati esse dicuntur a Dionysio, tum in eo inprimis quod Senatusconsultum de lege per tribunos ferenda fecerunt; cum viderent patres eam vitando nihil præter odium atque invidiam consequi. Lata præterea lex est comitiis centuriatis, licere omnibus magistratibus suæ potestatis læsæ reos mulctare, quod antea solis consulibus datum: sed ea in re præfinitus est mulctæ modus, ne duos boves, triginta oves excederet.

[b] *At illi communiter legum latores*] Cum tribuni ad Senatum retulissent de legibus scribendis, quibus in perpetuum civitas uteretur, censuit Romilius mittendos esse legatos ad Græcas urbes quæ sunt in Italia, et alios Athenas, qui peterent a Græcis optimas et convenientissimas Romanis leges: quibus reversis referendum ad Senatum de legislatoribus eligendis; quam ob causam Siccius ac ceteri tribuni mulctam ei remittendam sentiebant. At Romilius ea gratia uti noluit, quod diceret jam sacratam eam esse pecuniam, seque quicquid deberet soluturum, ne Deos legitimo lucro fraudaret. Senatusconsultum secundum ejus sententiam factum, ac lege confirmatum.

Rem non aspernabantur Patres: 'daturum leges neminem, nisi ex Patribus,' aiebant. Cum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet; missi legati Athenas [c] Sp. Postumius Albus, A. Manlius, P. Sulpicius [14] Camerinus; jussique inclytas leges Solonis [d] describere, et aliarum Græciæ civitatium instituta, mores, juraque noscere.

32. Ab externis bellis quietus annus fuit; quietior insequens, P. Curiatio [15] [e] et Sex. Quintilio consulibus,* perpetuo silentio tribunorum: [d] quod primo legatorum, qui Athenas ierant, legumque peregrinarum expectatio præbuit; dein [16] duo simul mala ingentia exorta, fames pestilentiaque, fœda homini, [f] fœda pecori. Vastati agri [g] sunt:

[d] *Tribunis quiescentibus atque a tumultu cessantibus.*

ergo.—13 *Quindecim millibus* Edd. ante Drak. et Ms. Veith.—14 Alii legunt *Ser. Sulpicius.*

15 *Curatio* Gronov. Doujat. all. Ms. Veith.—16 *Deinde* Gronov. Doujat.

NOTÆ

[c] *Missi legati Athenas*] Legati tres electi sunt qui ab Atheniensibus præsertim leges peterent. Neque aliud voluit Pomponius Jurisconsultus, cum scripsit decemviros constitutos, ut leges a Græcis peterentur: addit enim, in id constitui placuisse, ut civitas legibus fundaretur: quam in rem constituti revera decemviri; inque his illi tres qui Athenas hic missi dicuntur. Conjunctis ergo duobus temporibus, duabusque actionibus, tam petendarum a Græcis, quam condendarum deinde Romanis legum, verum erit decemvirorum opera usos esse Romanos.

[d] *Inclytas leges Solonis*] Is, septem Græciæ sapientium unus, æquissimas Atheniensibus leges tulit, abrogatis tacito populi consensu, maxima saltem ex parte, Draconis legibus, Olymp. 47. Urbis conditæ anno circiter 162. regnante Prisco Tarquinio. Draconis leges θεσμοὶ, quasi positiones, Solonis ἄξονες dicebantur, quod in ligneis tabulis sive asseribus describerentur. De his lib. II. c. 12.

[e] *P. Curiatio*] Dionysius *P. Horatium*, tum hic, tum postea, inter decemviros ponit. Ante hos consules idem Dionysius ait trecentos annos ab Urbe condita expletos esse, quod in ratione temporum Glareanus aliique secuti. Nos cum Sigonio ex Fastis hunc annum 300. numeramus.

P. Curatio] Dionysius hunc vocat *Horatium;* quod præfert St. Pighius, ad hunc annum. *J. Clericus.*

* A. U. C. 300.

[f] *Pestilentiaque, fœda homini*] Fœdum non solum dicitur de turpi ac deformi, sed etiam de crudeli, quod, quæ crudelia, eadem et turpia sint, ut notat Donatus in illud Terentii Eun. 'O Facinus fœdum.'

[g] *Vastati agri*] Ut *vastus*, ita *vastatus* pro deserto non raro sumitur: sic apud Tull. pro Sext. 'Lex erat lata vastato atque relicto foro.'

urbs assiduis exhausta funeribus; multæ et claræ lugubres domus. Flamen Quirinalis Ser. Cornelius mortuus; augur C. Horatius Pulvillus: in cujus locum C. Veturium [17] eo cupidius, quia damnatus a plebe erat, augures legere.[h] Mortuus consul Quintilius, quatuor tribuni plebis. Multiplici clade fœdatus annus. Ab hoste otium fuit. Inde consules C. Menenius, P. Sestius [18] [i] Capitolinus. Neque eo anno quicquam belli externi fuit. Domi motus orti. Jam redierant legati cum Atticis legibus.[k] Eo intentius instabant tribuni,[l] ut tandem scribendarum legum initium fieret. Placet creari decemviros [m] sine provocatione, et ne quis eo anno alius magistratus esset. Admiscerenturne plebeii, controversia aliquamdiu fuit. Postremo concessum Patribus, modo ne lex Icilia [19] [n] de Aventino, aliæque sacratæ leges abrogarentur.

Crevier.—17 Legendum monet Sigon. *Sp. Veturium.*—18 Al. *Sextius.*—19 Vulg. *lex Acilia.*

NOTÆ

[h] *Augures legere*] Augurum creatio penes eorundem collegium fuit ad annum usque 661. quo tempore L. Domitius Ahenobarbus tribunus plebis jus sacerdotum surrogandorum a collegiis ad populum transtulit. Erant autem augures duntaxat quatuor ad an. 454. patricii omnes.

[i] *P. Sestius*] Ita legendum (non *Sextius*) cum Dionysio, Diodoro, marmoribus Capitolinis: nam Sestii patricii, (ut cap. proximo Livius testabitur,) Sextii plebeii fuere; ex quibus is extitit, qui postea primus e plebe consulatum cepit.

[k] *Cum Atticis legibus*] Athenis præsertim, sed præterea ab Italicis Græcorum urbibus leges attulere legati, ex Dionysio.

[l] *Instabant tribuni*] Hinc novi motus. Aditi consules a tribunis plebis, instare comitiorum tempus causati sunt; ut ad novos consules rem senatui odiosam rejicerent. Solito maturius designati sunt consules App. Claudius et T. Genucius: qui, nondum inito magistratu, sibi nullam esse potestatem creandi legislatores, sed cum Sestio et Menenio libenter operam in id daturos, ostenderunt. Qua eorum voluntate collaudata, cum multitudo in curiam irrumperet, necesse habuit Sestius, absente ob ægritudinem Menenio, de legibus ferendis referre in Senatu.

[m] *Placet creari decemviros*] Ea sententia fuit Appii Claudii, qui primo loco sententiam rogatus fuerat, eligi ea de causa e Senatus primoribus decemviros, quorum annuum esset imperium, cum ea potestate quam modo consules, olim reges habuissent; interim cessare ceteros magistratus.

[n] *Modo ne lex Icilia*] Legum constituendarum potestatem patriciis concesserunt tribuni, salva lege Icilia

33. Anno trecentesimo altero,[o] quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab consulibus ad decemviros,[p] quemadmodum ab regibus ante ad consules venerat,[20] translato imperio. Minus insignis, quia non diuturna, mutatio fuit. Læta enim principia magistratus ejus nimis luxuriavere. Eo citius lapsa res est, repetitumque, duobus uti mandaretur consulum nomen imperiumque.[1] [q] Decemviri creati[r] Ap. Claudius, T. Genucius, P. Sestius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, P. Curiatius, T. Romilius, Sp. Postumius.[2] Claudio et Genucio, quia designati consules in eum annum fuerant, pro honore honos redditus: et Sestio, alteri consulum prioris anni, quod eam rem collega invito ad Patres retulerat. His proximi habiti legati tres,[3] qui Athenas ierant. Simul ut pro legatione tam longinqua præmio esset honos; simul peritos legum peregrinarum ad condenda nova jura usui fore credebant. Supplevere ceteri numerum. Graves quoque ætate electos novissimis suffragiis ferunt, quo minus

20 Hanc vocem ut assutum centonem imperiti cujusdam delendam putat Crevier.'—1 Mallet J. F. Gronov. *consulum nomine imperium.*—2 Vet. lib. ap. Sigon. *Postumius Albus.*—3 Gronov. Doujat. Crevier. *legati tres*

NOTÆ

de Aventino dividendo, de qua et supra c. 31. et sacratis legibus de tribunorum plebis potestate, de quibus lib. II. c. 33.

[o] *Anno trecentesimo altero*] Intellige secundum supra ter centesimum: ut annum 13. in illo Virgil. 'Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus.' Illud ambigitur, utrum annum desinentem intelligat Livius, an ineuntem, quod magis Sigonii (quem sequimur) calculo congruit, ut anno 302. imperarint priores decemviri.

Anno trecentesimo altero] De hoc loco vide Henr. Dodwellum, Diss. 10. de Cyclis, sect. 96. et seqq. *J. Clericus.*

[p] *Ad decemviros*] Decemviratui viam aperuit lex tribunicia. De qua hujus lib. c. 9.

[q] *Consulum nomen imperiumque*] Mallet Gronovius *duobus ut mandaretur, consulum nomine imperium.* At nec volunt veteres libri, ut ipse agnoscit, nec idem omnino sensus esset; nam sub consulum nomine imperium mandari potuisset sine provocatione, quale ab initio fuerat, quale decemviri nunc habuerant. Vult autem Livius reditum ad consulare imperium, quale triennio ante fuerat cum provocatione.

[r] *Decemviri creati*] Causas cur singuli delecti easdem fere profert cum Nostro Dionysius, nec in eorum nominibus multum discrepant, etsi in ordine aliquod sit discrimen.

ferociter aliorum scitis adversarentur. Regimen totius magistratus[4] penes Appium erat favore plebis.[e] Adeoque novum sibi ingenium induerat, ut plebicola repente[s] omnisque auræ popularis captator evaderet, pro truci sævoque insectatore plebis. Decimo die jus populo singuli reddebant.[t] Eo die penes præfectum juris fasces duodecim erant: collegis novem singuli accensi apparebant. Et in unica concordia inter ipsos (qui consensus privatis[u] interdum inutilis esset[5]) summa adversus alios æquitas erat.[f] Moderationis eorum argumentum exemplo unius rei notasse, satis erit. Cum sine provocatione creati essent, defosso cadavere, domi apud P. Sestium, patriciæ gentis[x]

[e] *Inter omnes Decemviros princeps et maximæ auctoritatis habebatur Appius Claudius.*

[f] *Cum inter seipsos miram concordiam tenerent, erga alios summam servabant æquitatem.*

habiti.—4 '*Regimen totius magistratus:* num decemviratus? an collegii decemvirorum? Sed illi notioni non conveniunt verba *regimen* (quod ad plures spectat) et *totius:* hanc respuit sermo Latinus, quo *magistratus* dicitur non nisi munus aliquod publicum, aut qui eo fungitur, non collegium, quale nunc vulgo *Magistrat* vocatur. Itaque vel delenda videntur verba *totius magistratus*, tanquam glossa hominis indocti, veterem loquendi usum ignorantis, vel leg. *Regimen et vis magistratus*, aut *et tota vis mag.*' Rupert.—5 '*Esset*, futurus esset, esse posset; nisi forte *est*, h. e. esse

NOTÆ

[s] *Ut plebicola repente*] Artes, quibus Appius auram popularem primo anno captavit, egregie describit Dionysius sub fin. lib. x.

[t] *Decimo die jus populo singuli reddebant*] Exemplo primorum interregum, quorum singuli per vices diebus quinque imperabant, atque insignia imperii et lictores habebant supra lib. I. c. 17. ubi de accensis et lictoribus.

[u] *Qui consensus privatis*] Legit Sigon. *qui consensus in privatis interdum consiliis utilis esset:* atque interpretatur, ut si privati in consiliis capiendis sæpe consentiant, quemadmodum tunc decemviri, utile id futurum sit reip. Robortellus mavult, *qui consensus in privatis inutilis esset:* id est, si inter se privati homines consentiant, interdum id magno aliorum malo fieri. Mihi verior vulgata lectio videtur, ut Livius volnerit, collegarum concordiam, quæ rara est, non semper optandam; ut quæ inutilis, id est, damnosa, non raro privatis sit: magistratuum quippe inter se nimia consensio peccandi licentiam ipsis plerumque præbet in perniciem privatorum, quemadmodum in posterioris anni decemviris contigisse mox apparebit.

[x] *Apud P. Sestium patriciæ gentis*] Apparet hunc Sestium alium fuisse a decemviro, etiamsi ejusdem procul dubio gentis.

virum, invento, prolatoque in concionem, in re juxta manifesta atque atroci, C. Julius decemvir diem Sestio dixit, et accusator ad populum extitit, cujus rei judex legitimus erat: decessitque [6] jure suo,[y] ut demtum de vi magistratus populi libertati adjiceret.[g]

34. Cum promtum hoc jus velut ex oraculo incorruptum pariter ab his summi infimique ferrent, tum legibus condendis opera dabatur:[h] ingentique hominum expectatione propositis decem tabulis,[z] populum ad concionem advocaverunt: et, 'quod bonum, faustum, felixque rei publicæ, ipsis, liberisque eorum esset, ire, et legere leges propositas'[a] jussere. 'Se, quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus summis infimisque jura æquasse. Plus pollere multorum ingenia consiliaque. Versarent in animis secum unamquamque rem, agitarent deinde sermonibus; atque in medium, quid in quaque re plus minusve esset, conferrent.[i] Eas leges habiturum populum Romanum, quas consensus omnium non jussisse latas [b] magis,

[g] *Ut in libertatem populi conferret quod detrahebat de auctoritate magistratus.*

[h] *Cum hanc juris dicundi formam, quasi ab oraculo prolatam, et ab ipsis decemviris religiose servatam acciperent (aut prædicarent) primores pariter ac plebeii, eodem tempore incumbebant decemviri iisdem legibus conscribendis.*

[i] *Primum apud se quisque privatim perpenderet singula legum capita; tum plures collatis inter se capitibus de iis inter se colloquerentur; denique publice proferrent quid in unoquoque articulo excedere videretur, aut deesse.*

solet, ob particulam *interdum* pro *esset* rescribendum sit.' *Doering.*—6 Al. *discessitque.*

NOTÆ

[y] *Decessitque jure suo*] Ita Veteres, et melius quam *discessitque*. Et vero sermonis proprietatem sequentibus aliud est a jure discedere, aliud decedere de jure, ut patet ex Cicerone duobus locis inter se collatis. Alterum extat lib. IX. Ep. 16. 'Omnia sunt incerta cum a jure disceditur.' Alterum pro Sex. Rosc. 'tametsi vicisse debeo, tamen de meo jure decedam.' Itaque *discedere*, est omnino abire ac deserere, *decedere* autem aliqua ex parte remittere, sive ad tempus cedere.

[z] *Propositis decem tabulis*] Hic numerus duntaxat priori anno prolatus, singulis decemviris tabulam suam conferentibus, quarum tunc leges prolatæ centuriatis comitiis.

[a] *Ire, et legere leges propositas*] Vides morem magistratuum Romanorum qui legis alicujus ad populum auctores.

[b] *Quas consensus omnium, non jus-*

quam tulisse, videri posset.'[7] Cum ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito[8] satis correctæ viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatæ sunt: qui nunc quoque, in hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici privatique est juris.[c] Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas;[d] quibus adjectis, absolvi posse velut corpus omnis Romani juris. Ea expectatio, cum dies comitiorum appropinquaret, desiderium decemviros iterum creandi fecit. Jam plebs, præterquam quod consulum nomen, haud secus quam regum, perosa erat, ne tribunicium quidem auxilium, cedentibus in vicem appellationi[9] decemviris,[e] quærebat.

35. Postquam vero comitia decemviris creandis[f] in tri-

7 '*Quas consensus omnium invasisse, nec jussisse .... videri posset.* Nusquam alias legi hoc genus dicendi, *invadere,* pro inferre et invehere. Itaque pro certo habeo, legendum esse, *invexisse.*' Sigon.—8 *Editos* conj. Gronov. Duk. et Bauer.—9 'Vulgo omnes Mss. et Edd. *appellatione.* Ms. Veith. *appellationem,* perperam.' *Stroth.*

NOTÆ

sisse latas] Jubere leges latas, est, propositas a magistratu comprobare suffragiis: ferre autem leges dicuntur earum ad populum auctores.

[c] *Fons omnis publici privatique est juris*] Tacitus III. Annal. Duodecim tabulas 'finem æqui juris' appellat, quia scilicet, non in personas, sed absolute scriptæ erant. Cic. lib. I. de Orat. § 193. scribere non est veritus videri sibi 'unum XII. tabularum libellum bibliothecas omnium philosophorum et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare.' Earum ferendarum auctorem præcipuum decemviris fuisse ferunt Hermodorum Ephesium, exulantem in Italia, cujus statua Romæ fuit in comitio, teste Plinio lib. XXXIV. c. 5.

[d] *Duas deesse tabulas*] Cum, latis legibus quibus jus commune fundabatur, decemviri magistratu in id creato se abdicare deberent, aliquid juri jam constituto deesse vel compererunt, vel prorogandi magistratus causa credi voluerunt. Itaque prioribus legibus alias communi opera addiderunt, quas in duas tabulas congesserunt: unde extitit XII. tabularum opus.

[e] *Cedentibus invicem appellatione decemviris*] Quamvis sine provocatione creati essent, tamen si cujus decretum durius videretur, qui pronuntiaverat æquo animo patiebatur rem a collegis denuo cognosci; ut ab altero in alterum posset læsus, quemadmodum a tribuno plebis antea in consulem, præsidium sperare. Hæc tamen moribus nostris non appellatio diceretur, quæ ab inferiori judice ad superius tribunal interponitur; sed revisio ac retractatio.

[f] *Comitia decemviris creandis*] Hunc magistratum prorogari, et plebeii, partim decemvirorum æquitate et

num nundinum [10] indicta [g] sunt; tanta exarsit ambitio, ut primores quoque civitatis (metu credo, ne tanti possessio imperii, vacuo ab se relicto loco, haud satis dignis pateret) prensarent [11] homines; honorem, summa ope a [12] se impugnatum, ab ea plebe, cum qua contenderant, suppliciter petentes. Demissa [13] jam in discrimen dignitas,[h] ea ætate, iisque honoribus [14] actis, stimulabat Ap. Claudium. Nescires, utrum inter decemviros, an inter candidatos, numerares. Propior interdum petendo, quam gerendo, magistratui erat. Criminari optimates, extollere candidatorum levissimum quemque humillimumque. Ipse medius inter tribunicios Duilios [15] Iciliosque in foro volitare, per illos se plebi venditare: donec collegæ quoque, qui unice illi dediti fuerant ad id tempus, conjecere in eum oculos, mirantes quid sibi vellet. Apparere, nihil sinceri esse: 'Profecto haud gratuitam in tanta superbia comitatem fore. Nimium in ordinem se ipsum cogere, et vulgari cum privatis, non tam properantis abire magistratu, quam viam ad continuandum magistratum quærentis, esse.'[k] Propalam

[k] *Sese nimis abjicere ac summittere, et misceri cum privatis, indicium esse non tam hominis parati ad abdicandum magistratum, quam ejus qui rationem investigaret honoris adhuc retinendi.*

10 Plerique libri habent *trinundinum*.—11 Vulg. *prehensarent*.—12 *Ab* Gronov. Doujat. Crevier. cum Drak.—13 Vulg. *Dimissa*.—14 Vulg. *hisque*

NOTÆ

moderatione, ac præsertim Appii comitate deliniti, partim odio consularis imperii, et patricii, tribuniciarum turbarum tædio, facile consenserunt.

[g] *In trinum nundinum indicta*] Trinum nundinum, seu ut plerumque dicitur, trinundinum, est trium continuarum nundinarum tempus: quod nomen Quintilianus quoque divisit, 'sive non trino forte nundino promulgata:' et 'in trinundinum,' 'in tertias nundinas,' Græce εἰς τρίτην ἀγορὰν, id est, post 27. dies. Nundinæ enim nono quoque die habebantur, ut rustici octo diebus in agris essent, nono feriantes in Urbem commeare possent, tum comparandis rebus quibus cuique opus esset, tum inspiciendis legibus ac plebiscitis quæ ferenda proponebantur, quo quisque de iis ante comitia deliberandi tempus haberet. Idcirco lex jure lata non putabatur, nisi quæ trinundino ante esset promulgata. Candidati quoque magistratuum trinundino circuibant plebem, singulos prensantes, ut suam ipsis dignitatem commendarent. Quod hic videmus in decemviratu factum.

[h] *Demissa jam in discrimen dignitas*]

obviam ire cupiditati parum ausi obsecundando mollire impetum aggrediuntur. Comitiorum illi habendorum, quando minimus natu sit, munus consensu injungunt. Ars hæc erat, ne semet ipse creare posset; quod præter tribunos plebis (et id ipsum pessimo exemplo) nemo unquam fecisset. Ille enimvero, quod bene vertat, habiturum se comitia professus, impedimentum pro occasione arripuit.[i] Dejectisque honore per coitionem[16] [k] duobus Quintiis, Capitolino et Cincinnato, et patruo suo C. Claudio, constantissimo viro in optimatium causa, et aliis ejusdem fastigii civibus, nequaquam splendore vitæ pares decemviros creat:[l] se in primis, quod haud secus factum improbabant boni, quam nemo facere ausurum crediderat.[m] Creati cum eo M. Cornelius Maluginensis,[1] M. Sergius, L. Minucius, Q. Fabius Vibulanus, Q. Pœtelius,[17] T. Antonius Merenda, K. Duilius, Sp. Oppius Cornicen, M'. Rabuleius.*

[l] *Eligi curat decemviros, rejectis longe impares claritate anteactæ vitæ.*

[m] *Quod boni ab Appio factum damnabant, tanquam quod nemo existimasset eum esse facturum.*

honoribus.—15 Vulg. *Duellios.*—16 Vulg. *per concionem.*—17 Vett. lib. *Pœtilius.*

NOTÆ

Sic emendat Gronov. pro *dimissa*, idque ut sensus sit, dignitatem Appii decemviralem in discrimen venisse, quemadmodum dicimus 'descendere in certamen.' Et Cic. VII. ad Att. ep. 12. 'Demittamne me penitus in causam.'

[i] *Impedimentum pro occasione arripuit*] Delatum ei a collegis fuerat ut præesset comitiis decemvirorum creandorum; idque ea de causa ipsi concessum, ut pudor eum impediret quominus ipse eam sibi dignitatem assumeret: eam rem ille contra mentem collegarum in occasionem vertit ejus magistratus usurpandi.

[k] *Dejectisque honore per coitionem*] Ex Cælii Rodigini lect. antiq. lib. XIV. c. 16. est correctio illa *per coitionem*, cum prius esset *per concionem*. Quod secutus Godelevæus, et sibi quoque vindicat Sigonius, probatque ex Nostro lib. IX. 'Coitiones honorum adipiscendorum causa factas adversus rempublicam esse:' et lib. XXXIX. 'coierantque candidati omnes ad dejiciendum honore eum.' Et honore dejici intelliguntur, qui magistratu quem petunt excluduntur.

[l] *Creati cum eo M. Cornelius Maluginensis*] Decemviri posteriores prioribus admodum dissimiles fuere: patricii septem: tres e plebe, *Q. Pœtilius*, (sic enim scribendum ex veteribus quibusdam libris monet Sigonius,) *Cæso Duilius*, (aliis *Duellius*,) et *Sp. Oppius Cornicen:* plerique Appii favore electi; qui, postremis tribus ad eum gradum provectis plebi gratificari, ex his, ceterisque (præter

36. Ille finis Appio alienæ personæ ferendæ[m] fuit. Suo jam inde vivere ingenio cœpit, novosque collegas jam prius, quam inirent magistratum, in suos mores formare. Quotidie coibant remotis arbitris: inde impotentibus instructi consiliis, quæ secreto[18] ab aliis[n] coquebant, jam haud dissimulando superbiam, rari aditus,[19] [o] colloquentibus difficiles, ad Idus Maias rem perduxere. Idus tum Maiæ[p] solennes ineundis magistratibus erant. Initio igitur magistratus primum honoris diem denuntiatione ingentis terroris insignem fecere. Nam cum ita priores decemviri servassent,[n] ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium[q] in orbem, suam cujusque vicem, per omnes iret, subito omnes cum duodenis fascibus prodiere. Centum viginti lictores forum impleverant, et fascibus secures illigatas præferebant. Nec attinuisse demi securim,[r] cum

[n] *Cum decemviri anno superiore id in usu habuissent.*

18 Conj. Rupert. *secreti.*—19 Vid. Not. inf.—20 Præferendum putabat

NOTÆ

Fabium) pæne ignotis in consortium ascitis, totam decemviralis fastigii potestatem ad se unum trahere studebat.

* A. U. C. 303. Decemvir. an. 2.

[m] *Alienæ personæ ferendæ*] Alludit ad histriones, qui sub persona, et facie ascititia, exhibent regum sermones factaque, cum revera sint homines nihili.

[n] *Secreto ab aliis*] A quibus *aliis?* Vult, opinor, Appium multa, seorsim a collegis, prioris nempe anni decemviris, qui tamen adhuc in magistratu cum eo erant, molitum esse cum novis collegis, quos in annum sequentem sibi asciverat.

[o] *Rari aditus*] Vide num scripserit potius Auctor, *rari aditu,* ut cohæreat cum eo quod sequitur, 'colloquentibus difficiles,' &c. Nisi malis absolute *raro aditu,* vel *raris aditibus.*

[p] *Idus tum Maiæ*] In magistratibus, etiam ordinariis, ineundis non semper idem apud Romanos observatum est tempus. Vide cap. hujus libri 6.

[q] *Hoc insigne regium*] In rep. Romana duodecim fasces virgarum, intra quas ligatæ secures essent, nulli magistratui præferri solebant toto magistratus tempore, præterquam dictatori. V. l. II. c. 55.

[r] *Nec attinuisse demi* [*domi*] *securim*] Videri volebant novi decemviri domi secures lictorum non retinuisse, dictatorum imitatione, ut ejusmodi insignibus ostenderent se creatos sine provocatione: revera ut terrori civibus essent. Nam satis magnum inter eos dictatoremque discrimen apparebat, quod dictator sine collega esset.

sine provocatione creati essent, interpretabantur. Decem regum species erat, multiplicatusque terror non infimis solum, sed primoribus Patrum, ratis cædis causam ac principium quæri; ut, si quis memorem libertatis vocem aut in senatu aut in populo misisset, statim virgæ securesque etiam ad ceterorum metum expedirentur. Nam, præterquam quod in populo nihil erat præsidii, sublata provocatione, intercessionem quoque consensu sustulerant;[20 s] cum priores decemviri appellatione collegæ corrigi reddita ab se jura tulissent; et quædam, quæ sui judicii videri possent, ad populum rejecissent. Aliquamdiu æquatus inter omnes terror fuit: paulatim totus vertere in plebem cœpit. Abstinebatur a Patribus:[o] in humiliores libidinose crudeliterque consulebatur: hominum, non causarum, toti erant:[t] ut apud quos gratia vim æqui haberet. Judicia domi conflabant, pronuntiabant in foro. Si quis collegam appellasset, ab eo, ad quem venerat, ita discedebat,[1] ut pœniteret, non prioris decreto stetisse. Opinio etiam sine auctore exierat, non in præsentis modo temporis eos injuriam conspirasse, sed fœdus clandestinum inter ipsos jure jurando ictum, ne comitia haberent, perpetuoque decemviratu possessum semel obtinerent[2] imperium.[u]

[o] *Non vexabantur a decemviris patricii.*

Crevier. *consensus sustulerat.*—1 '*Discedebat* recte omnes Mss. et edd. præter Gronov. in qua *decedebat* legitur, culpa forte typothetarum.' *Rupert.*—2 Vulg. *retinerent.*

NOTÆ

[s] *Intercessionem quoque consensu sustulerant*] Intercessionem hic vocat, quam cap. 33. et hic quoque postea appellationem dixit: jus scilicet collegis concessum collegæ alterius decreta retractandi, atque corrigendi; si ab iis, qui causa ceciderant, eorum auxilium imploratum esset.

[t] *Hominum, non causarum toti erant*] Maximum judicantium vitium προσωποληψία est, si personis addicti sint: cum causæ cujusque merita duntaxat spectare oporteat. Idcirco Thebis Ægyptiis sculptas fuisse aiunt effigies, judicum quidem sine manibus, (ne munera acciperent,) prætoris autem sine oculis, aut iis certe clausis, (ne litigantes aspiceret,) suspensa e collo Veritate.

[u] *Possessum semel obtinerent imperium*] *Obtinere* hic est conservare, obstinate retinere, ut in illo, 'antiquum obtines;' et apud Liv. lib. XXVII. 'Pœnis ad obtinendum hesternum decus annitentibus.'

37. Circumspectare tum patriciorum vultus plebeii, et inde libertatis captare auram, unde servitutem timendo in eum statum rem publicam adduxerant.[p] Primores Patrum odisse decemviros, odisse plebem: nec probare, quæ fierent; et credere, haud indignis accidere. Avide ruendo ad libertatem in servitutem elapsos [3] juvare nolle: cumulare quoque injurias, ut tædio præsentium consules duo tandem et status pristinus rerum in desiderium veniant.[q] Jam et processerat pars major anni, et duæ tabulæ [x] legum ad prioris anni decem tabulas erant adjectæ: nec quicquam jam supererat, si hæ quoque leges centuriatis comitiis perlatæ essent, cur eo magistratu rei publicæ opus esset. Expectabant, quam mox consulibus creandis comitia edicerentur. Id modo plebes agitabat, quonam modo tribuniciam potestatem, munimentum libertati, rem intermissam, repararent. Cum interim mentio comitiorum nulla fieri; et decemviri,[4] qui primo tribunicios homines, quia id populare habebatur, circum se ostentaverant plebei,[5] patriciis juvenibus sepserant latera. Eorum catervæ tribunalia obsederant. Hi ferre, agere plebem plebisque res,[r] cum for-

[p] *Tunc plebeii accurate considerabant vultus patriciorum, quasi venantes spem libertatis recuperandæ per eosdem, a quibus cum sibi servitutem imminere suspicati essent, effecerant ut civitas in hunc pessimum statum redigeretur.*

[q] *Existimabant plebeios dignos esse iis malis, quæ ipsis per decemviros contingebant; eisque opem ferre nolebant, quod in eam servitutem cecidissent, dum ardentius quam par erat libertatem appeterent.*

[r] *Hi juvenes patricii diripiebant, vexabantque plebem et ejus bona.*

3 'Rectius, puto, alii vel *lapsos*, vel *delapsos*, vel *relapsos*.' Doering. *Delapsos* aut *lapsos* legendum notat et Doujat.—4 In Ms. Veith. legitur *nulla*

NOTÆ

[x] *Duæ tabulæ*] His adjectis, Duodecim Tabularum Leges extiterunt, quæ et absolute Duodecim, et Græce Δωδεκάδελτον, et Leges Decemvirales dictæ: utpote a decemviris, partim prioris partim posterioris anni, tam ex Solonis, aliisque Græcorum legibus, quam ex patriis institutis, legibusve, omnes compositæ: licet duæ postremæ ab iisdem perlatæ non sint, sed a consulibus, cap. 57. infra, et apud Dionysium lib. XI. Inter leges harum duarum tabularum unam fuisse scribit Dionysius extremo lib. X. quæ connubium vetabat inter patricios et plebeios: non ob aliam causam, ut ipse interpretatur, quam ne, consociatis familiis, concordia inter ordines fieret.

tuna, qua, quicquid[y] cupitum foret, potentioris esset.[6] Et jam ne tergo quidem abstinebatur: virgis cædi, alii[17] securi subjici; et, ne gratuita crudelitas esset, bonorum donatio sequi domini supplicium. Hac mercede juventus nobilis corrupta non modo non ire obviam injuriæ, sed propalam licentiam suam malle, quam omnium libertatem.

38. Idus Maiæ venere.[z] Nullis surrogatis magistratibus, privati pro decemviris,[a] neque animis ad imperium inhibendum imminutis,[8 b] neque ad speciem honoris insignibus,

fieret; decemviri.—5 *Plebi* Gronov. Donjat. Crevier.—6 'Ita pro vulg. *quum fortuna* edidi auctore Strothio, qui etiam conjecit, *quum fortuna*, (res ipsæ,) *quam quisquis cupitum iret, potentioris esset*, ut alii, *plebem plebisque res et fortunas, quum, quicquid cupitum foret, p. e.* vel, *quum fortuna, qua, quicquid cupitum, fieret, p. e.* vel, *quum, fortunæ quicquid cupitum foret, p. e.* vel, *quum fortuna, quicquid cupitum foret, p. fecisset.*' Rupert. In Ms. Veith. est *cupitum fuerat.* Vid. Not. inf. et Not. Var.—7 'Quidam legunt *virgis cædi alii, alii, &c.* sed Veteres passim sic brevius loqui, docent Gronov. et Drak.' *Rupert.*

8 In Ms. Veith. legitur *adhibendum.* Ed. Gronov. 1665. *inh. immunitis:*

NOTÆ

[y] *Cum fortuna, qua, quicquid*] Locum depravatum esse constat. Fortasse legendum cum Gronov. *plebem, plebisque res, et fortunas, cum quicquid cupitum foret, potentioris esset.* Glareanus affirmat in quibusdam codicibus scriptum haberi *esse* in infinitivo. Quo posito sic forte posset emendari, *ferre, agere plebem plebisque res, fortunasque; quicquid cupitum foret, potentioris esse.* Hoc modo respondebit membrum hoc prioribus et posterioribus per infinitivum modum prolatis.

[z] *Idus Maiæ venere*] Hic novus est annus (U. C. 304.) et tertius decemvirorum, ut recte observat Glareanus.

[a] *Privati pro decemviris*] Se gerebant pro decemviris, cum tamen privati essent. Creati quippe fuerant in annum, qui jam elapsus erat.

Privati, &c.] Privati erant, quia in annum tantum creati fuerant. 'Imperium inhiberi' est, exerceri, ut liquet ex posterioribus. Post *honoris insignibus* repetendum *imminutis:* habebant enim totidem lictores ac antea. *J. Clericus.*

[b] *Neque animis ad imperium inhibendum imminutis, &c.*] Verbum *inhibendi*, quod plerumque accipitur pro eo quod est prohibere, seu cohibere, hoc loco dicitur pro adhibere, exercere, ut mox hoc eodem cap. 'Imperioque inhibendo acriter in paucos.' Ita cap. 59. 'Inhibitio salubriter modo nimiæ potestati:' lib. etiam IV. cap. 53. 'Consuli damnum, aliamve coërcitionem, detrectantibus militiam inhibenti.' Vult enim Livius in publicum processisse decemviros, ita ut nihil detractum remissumve ostenderent, nec de voluntate exercendi imperii, nec de insignibus prioris dignitatis, fascibus nempe, &c. Gronovii editio habet: *neque animis ad imperium inhibendum immunitis, &c.* Cujus lectionis sensus hic esse posset, ut decemviri muniti essent ani-

prodeunt. Id vero regnum haud dubie videri. Deploratur in perpetuum libertas; nec vindex quisquam existit, aut futurus videtur. Nec ipsi solum desponderant animos, sed contemni cœpti erant a finitimis populis: imperiumque ibi esse, ubi non esset libertas, indignabantur.[9 s] Sabini magna manu incursionem in agrum Romanum fecere.* Lateque populati, cum hominum atque pecudum inulti prædas egissent, recepto ad Eretum, quod passim vagatum erat, agmine, castra locant,[t] spem in discordia Romana ponentes, eam impedimentum delectui fore. Non nuntii solum, sed per urbem agrestium fuga[e] trepidationem injecit. Decemviri consultant, quid opus facto sit. Destitutis inter Patrum et plebis odia[d] addidit[10] terrorem insuper alium fortuna. Æqui alia ex parte castra in Algido locant: depopulatumque inde excursionibus Tusculanum agrum legati ab Tusculo, præsidium orantes, nuntiant. Is pavor perpulit[11] decemviros, ut senatum,[e] simul duobus circumstantibus urbem bellis, consulerent. Citari jubent in curiam Patres, haud ignari, quanta invidiæ immineret tempestas: omnes vastati agri periculorumque imminentium

[s] *Nec tantum ipsi Romani animis ceciderant, verum contemtui quoque esse cœperant populis vicinis, qui ægre ferebant sibi Romanos imperare, qui domi liberi non essent.*

[t] *Cum homines, ac pecudes in prædam abduxissent nemine ulciscente, castra locarunt apud Eretum, recepto in ea agmine, quod populandi causa vagatum fuerat.*

1679. *imminutis.*—9 Conj. Rupert. *imperium qui ibi esse .... indignabantur.* Legit J. F. Gronov. *imperium ibi esse .... indignantibus.*—10 *Addit* Gronov.

NOTÆ

mis, sive ad exercendum prius imperium, sive ad prohibendum ne alii, finito ipsorum magistratu, imperium consulare caperent, et insignia quoque honoris pristini, armatis hominibus munivissent.

* A. U. C. 304.

[e] *Sed per urbem agrestium fuga*] Hi agrestes non per Urbem, sed in Urbem fugiebant. Itaque præpositio *per* referenda est ad trepidationem seu terrorem per Urbem sparsum a rusticis fugientibus ex agris.

[d] *Destitutis inter Patrum et plebis odia*] Ab utroque ordine derelictis; et cum inter odia tam plebeiorum quam Senatorum positi præsidio carerent.

[e] *Is pavor perpulit* [*perculit*] *decemviros, ut senatum*] Legendum potius videri *perpulit decemviros*, jam monui ad caput 30.

causas in se congesturos, tentationemque eam fore[12] [f] abolendi sibi magistratus, ni consensu resisterent, imperioque inhibendo acriter in paucos præferocis animi conatus aliorum comprimerent. Postquam audita vox in foro est præconis, Patres in curiam ad decemviros vocantis; velut nova res, quia intermiserant jamdiu morem consulendi senatus,[g] mirabundam plebem convertit,[u] 'quidnam incidisset, cur ex tanto intervallo rem desuetam usurparent. Hostibus belloque gratiam habendam, quod solitum quicquam liberæ civitatis[13] fieret.' Circumspectare omnibus fori partibus senatorem, raroque usquam noscitare:[x] curiam inde ac solitudinem circa decemviros intueri; cum et ipsi invisum consensu[14] imperium, et plebs, quia privatis jus non esset vocandi senatum, non convenire Patres interpretarentur; jam caput fieri libertatem repetentium,[y] [15] [h] si se plebs comitem senatui det, et, quemadmodum Patres vocati non coëant in senatum, sic plebs abnuat delectum. Hæc fremunt[16] plebes. Patrum haud fere quisquam in

[u] *Ad se vertit vulgi mentes attonitas ea novitate.*

[x] *Nec nisi raro ullibi agnoscebant, notare poterant.*

[y] *Cum, quod Senatores non convenirent, id decemviri quidem ipsi conjicerent ex eo fieri, quod omnium communi consensu odiosum eorum imperium esset; plebs autem ex eo fieri existimaret, quod putarent Senatores, decemviris, utpote jam ad privatum statum redactis, Senatum vocare non licere: jam itaque initium fieri repetendæ libertatis.*

Doujat. Crevier.—11 *Perculit* Edd. ante Drak. et Ms. Veith.—12 In Ms. Veith. est *conjecturos templationem eam fore.*—13 Al. *civitati.*—14 *Consensu invisum* Gronov. Doujat. Crevier.—15 Vet. lib. apud Sigon. *libertatis repetendæ.*—16 *Fremebat* Edd. a Frob. ad Drak. *fremit* Edd. ante Aldum, qui

NOTÆ

[f] *Tentationemque eam fore*] Et futurum ut ea occasione tentarent patres magistratum ipsis abrogare. Sed num *abolendi sui magistratus* potius, quam *abolendi sibi magistratus?*

[g] *Intermiserant jamdiu morem consulendi senatus* [*senatum*] Non hoc modo: sed præstantissimos quosque partim Urbe expulerant, partim occiderant falsis accusationibus; præterquam quod, sua suorumque libidine, sævitia, avaritia, honestissimis civibus necessitatem imposuerant in Latinorum aut Hernicorum sociorum oppida migrandi, odio ac metu dominationis tyrannicæ.

[h] *Jam caput fieri libertatem repetentium*] Siquidem veteres codices habent *libertatis repetendæ*, quod Sigonius affirmat, nihil erit difficultatis, modo *caput* pro initio sive principio accipiamus.

foro, in urbe rari erant. Indignitate rerum [17] cesserant in agros ;[i] suarumque rerum erant, amissa publica :[z] [18] [k] tantum ab injuria se abesse rati, quantum a cœtu [19] congressuque impotentium dominorum se amovissent. Postquam citati non conveniebant, dimissi circa domos apparitores, simul ad pignera capienda,[l] sciscitandumque, num consulto detrectarent, referunt, senatum in agris esse. Lætius id decemviris accidit, quam si præsentes detrectare imperium referrent. Jubent acciri omnes, senatumque in diem posterum edicunt ;[20] [m] qui aliquanto spe ipsorum frequentior convenit. Quo facto proditam a Patribus plebs libertatem rata, quod iis, qui jam magistratu abissent, privatisque, si vis abesset,[1] [n] tanquam jure cogentibus, senatus paruisset.

[z] *In rura quisque sua abscesserant ; et, eversa re publica, privatis tantum rebus suis vacabant.*

jam *fremunt* dedit.—17 Vox *rerum* forte del. notat J. F. Gronov.—18 ‘*Suarum, quæ rerum erant, soliciti, amissa publica.* Vetus lectio *suarumque rerum erant, amissa publica*, id est, suis rebus operam dabant : quam formam dicendi qui non agnoverunt, mutarunt addendo de suo, *soliciti.*’ Sigon. In Ms. Veith. est *omissa publica.* Vid. Not. inf.—19 *E cœtu* Gronov. Doujat. Crevier.—20 Vulg. *senatumque in posterum diem indicunt.*—1 Legebatur antea *privatisque jus abesset.* Vid. Not. Var.

NOTÆ

[i] *Indignitate rerum cesserant in agros*] Illud *rerum* si abesset, non desiderares, ait Gronovius. Nihil tamen frequentius, quam ut *rei*, aut *rerum indignitas* dicatur : nisi quod hoc loco statim sequitur ejusdem nominis *rerum* repetitio.

[k] *Suarumque rerum erant, amissa publica*] Profitetur Glareanus plerisque codicibus se scriptum legisse, *suarumque soliciti erant rerum.* Contra Sigonius veterem lectionem defendit, demto illo nomine *soliciti :* est enim sensus idoneus quem habet interpretatio supra.

[l] *Ad pignera capienda*] Qui non parebant imperio magistratuum, pignoribus captis coërcebantur, *par saisie de leurs biens.* Ita Senatoribus, qui vocati, nullaque justa de causa excusati, in Senatum non veniebant, mulcta dicebatur ; quam donec solvissent, pignora capiebantur ; et si mulcta soluta non esset, pignora vendebantur.

[m] *Senatumque in diem posterum edicunt*] Ita legendum : est enim *edicere* proprium magistratuum publice quid jubentium seu proscribentium edicto ; quo exemplo in pari casu Suetonius in Julio cap. 80. ‘ Postquam Senatus Idibus Martiis in Pompeii Curiam edictus est.’

[n] *Privatisque, si res abesset*] Legebatur antea, *privatisque, jus abesset,* quod ita intelligi potest : et quibus, utpote jam non amplius magistratibus, sed privatis, deesset jus vocandi

39. Sed magis obedienter[o] ventum in curiam est,[2] quam obnoxie[3] dictas sententias accepimus. L. Valerium Potitum, proditum memoriæ est, post relationem Ap. Claudii, priusquam ordine sententiæ rogarentur, postulando ut de re publica liceret dicere, prohibentibus minaciter decemviris, proditurum se ad plebem denuntiantem, tumultum excivisse. Nec minus ferociter M. Horatium Barbatum isse in certamen,[p] 'Decem Tarquinios' appellantem, admonentemque, 'Valeriis et Horatiis ducibus pulsos reges. Nec nominis homines tum pertæsum esse;[4 q] quippe quo Jovem appellari fas sit, quo Romulum conditorem urbis, deincepsque reges appellatos, quod sacris etiam, ut solenne, retentum sit. Superbiam violentiamque tum perosos regis. Quæ si in rege tum eodem, aut in filio regis, ferenda non fuerint, quem laturum in tot privatis? Viderent, ne, vetando

2 Τὸ *est* del. Gronov. Doujat. Crevier.—3 In Ms. Veith. est *obnoxius.*—4 '*Nec nominis homines tam pertæsum esse.* Ut Rhenan. ex Borbet. sic duo Pall. *nomen.* Voss. ambiguus, *nomen is homines.* Lege, *nec nomen homines tum*

NOTÆ

Senatum. Sed meliores codices habent, ut in textu, ut sit, qui privati essent, nisi vi uterentur. Hæc sane duo vocabula, *jus* et *vis*, ut cuique notum, facile convertuntur in scribendo: utinam non ipsæ res in agendo.

[o] *Sed magis obedienter*] Aliud est *obedienter* quippiam facere, aliud obnoxie: obedit enim, quisquis dicto audiens obsequitur ultro, atque obtemperat alteri: obnoxius autem est qui alteri sic addictus est, et quasi mancipatus, ut ab ejus nutu totus pendeat; quemadmodum qui ob noxam dediti sunt, aut certe pœnæ obligati ob delictum: quæ illius nominis est origo apud Festum.

[p] *M. Horatium Barbatum isse in certamen*] Certamen verborum intellige, quod post brevem L. Valerii Potiti orationem excepit Horatius acri in decemviros oratione. Cui non multum absimilem Dionysius recitat, ut et Appii altercationes.

[q] *Nec nominis homines tum pertæsum esse*] Vult Horatius, tunc cum reges pulsi sunt a Romanis, id non nominis regii odio fecisse, quod ex se præclarum, dignumque Jove ipso, et in eo appellando, inque rege sacrificulo retentum sit; sed odio superbiæ et violentiæ Tarquiniorum. Ceterum nihil hic opus est correctione, ut vel cum Rhenano scribamus, *nec nomen homines tum pertæsum esse*, vel cum Gronovio, *nec nomen homines tum pertæsos esse.* Verbum enim *pertædet* et genitivum recipit, et aliquando accusativum: diciturque etiam personaliter, præsertim cum præteritum per participium quasi passivum effertur.

in curia libere homines loqui, extra curiam etiam moverent vocem. Neque se videre, qui sibi minus[5] privato ad concionem populum vocare, quam illis senatum cogere, liceat. Ubi vellent, experirentur, quanto ferocior[6] dolor libertate sua vindicanda,[r] quam cupiditas injusta dominatione, esset.[7] De bello Sabino eos referre; tanquam majus ullum populo Romano bellum sit, quam cum iis, qui, legum ferendarum causa creati, nihil juris in civitate reliquerint; qui comitia, qui annuos magistratus, qui vicissitudinem imperitandi (quod unum exæquandæ[8] sit libertatis) sustulerint; qui privati fasces et regium imperium habeant. Fuisse, regibus exactis, patricios magistratus creatos;[9] postea, post secessionem plebis, plebeios. Cujus illi partis essent,' rogitare.[s] 'Populares? quid enim eos per populum egisse? Optimates? qui anno jam prope senatum non habuerint; tunc ita habeant,[10][t] ut de re publica loqui prohibeant? Ne nimium in metu alieno spei ponerent. Graviora, quæ patiantur, videri jam hominibus, quam quæ metuant.'

pertæsos esse.' J. F. Gronov.—5 'Ms. *cur sibi minus*, quod est interpretatio, cum *qui* pro quomodo ponatur. Ms. Veith. *quin sibi minus.'* Stroth.—6 Multi libri exhibent *fortior*.—7 '*Dolor in libertate sua vindicanda, quam cupiditas in injusta dominatione retinenda esset* Sigon. Grut. Gronov. Crevier. utique τὸ *in*, quod omnes Edd. servant, perinde ac Ms. Veith. utrobique intelligendum est.' *Stroth.* Vid. Not. inf. et Not. Var.—8 Vulg. *exequendæ*.—9 Gronov. *magistratus, creatos.* Doujat. *magistratus; creatos.* Crevier. *magistratus: creatos.*—10 Legendum notat Rupert. *nunc ita habeant.*

NOTÆ

[r] *Quanto ferocior* [*fortior*] *dolor* [*in*] *libertate sua vindicanda*] Sic vetusti: posteriores editiones *quanto ferocior*, exiguo discrimine. Nec vero admodum refert, præpositionem, *in*, bis, aut semel interponas, an tollas; itemque vocem *retinenda* inseras, an omittas. Variant quippe exemplaria. Sed utcumque legeris, sensus constat: potest enim, sublata omnino particula *in*, dici *fortior dolor libertate sua vindicanda*, pro vindicando seu asserendo libertatem suam: et si ex posteriori commate dematur vox *retinenda*, poterit τὸ *vindicanda* non minus referri ad sequens nomen *dominatione*, quam ad præcedens *libertate*.

[s] *Cujus illi partis essent, rogitare*] Interrogabat identidem Horatius decemviros, utrius ordinis sese magistratus dicerent, Senatorii, an plebeii; qui neutro ordini se probarent, omnium commodis et publicæ utilitati per omnia adversarentur.

[t] *Tunc habeant*] Repete ex superiori, *senatum*.

40. Hæc vociferante Horatio, cum decemviri nec iræ nec ignoscendi modum reperirent, nec, quo evasura res esset, cernerent; [a] C. Claudii, qui patruus Appii decemviri erat, oratio fuit precibus, quam jurgio, similis,[t] orantis per sui fratris [u] parentisque ejus manes; 'Ut civilis potius societatis, in qua natus esset, quam fœderis, nefarie icti cum collegis, meminisset. Multo id magis se illius causa orare, quam rei publicæ. Quippe rem publicam, si a volentibus nequeat, ab invitis jus expetituram.[b] Sed ex magno certamine magnas excitari ferme iras; earum eventum se horrere.' Cum aliud, præterquam de quo retulissent,[11] decemviri dicere prohiberent, Claudium interpellandi verecundia fuit. Sententiam igitur peregit, nullum placere senatus consultum fieri.[x] Omnesque ita accipiebant,[y] privatos eos a Claudio judicatos: multique ex consularibus verbo assensi sunt. Alia sententia, asperior in speciem, vim minorem aliquanto habuit, quæ patricios coire ad prodendum interregem jubebat. Censendo [12] enim, quoscum-

[a] *Non invenirent rationem, qua sive iram exercere, sive etiam veniam dare tuto possent.*

[b] *Fore ut resp. jus suum pristinum a decemviris etiam nolentibus exposcat, atque extorqueat.*

11 *Retulisset* Ms. Veith.—12 'Schotti interpretationem [vid. Not. Var.] probant Duk. et Drak. sed ille *ita* vel *hoc* ante *censendo* excidisse putabat.'

NOTÆ

[t] *Precibus, quam jurgio, similis*] Antiqua est lectio, ubi subaudiendum, ex loquendi forma Sallustio quoque et Tacito familiari, *magis*, vel *potius*. In veteri tamen codice Rhenani est *precibus quam jurgio similior;* quæ lectio et vitio et difficultate caret.

[u] *Orantis per sui fratris*] Non paulo diversam hujus C. Claudii orationem habes apud Dionysium, de tuenda Urbe adversus hostes communi consilio, deque deponendo a decemviris tyrannico imperio. Cui cum responsum ab Appio datum non esset, contestatus dicitur se Urbe discessurum, itnrumque Regillum, quæ patris patria erat.

[x] *Nullum placere senatus consultum fieri*] Hanc C. Claudii sententiam Dionysius non refert: sed contra Senatusconsultum fieri eum voluisse, quo reddatur populo jus, vel alios magistratus creandi, vel decemviros continuandi: quod si ita fuit, hæc sententia parum differt a sequenti.

[y] *Omnesque ita accipiebant*] Caii Claudii sententiam hic e Livio allatam cuncti sic interpretabantur, quasi vellet decemviros non pro magistratibus, qui Senatum habere possent, sed pro privatis hominibus habendos; nam, Senatu illegitime coac-

que magistratus esse,[z] qui senatum haberent, judicabat; quos privatos fecerat auctor nullius senatus consulti faciendi. Ita labante jam causa decemvirorum, L. Cornelius Maluginensis, M. Cornelii decemviri frater, cum ex consularibus ad ultimum dicendi locum consulto servatus esset, simulando curam belli, fratrem collegasque ejus tuebatur: 'quonam fato incidisset,[a] mirari se' dictitans, 'ut decemviros, qui decemviratum petissent, aut socii, aut hi maxime [13] oppugnarent: aut quid ita, cum per tot menses vacua civitate nemo, justine magistratus summæ rerum præessent, controversiam fecerit; nunc demum, cum hostes prope ad portas sint, civiles discordias serant: nisi quod in turbido

Rupert.—13 'Pro *aut hi maxime* legendum videri *et* vel *atque hi*, vel *atque*

NOTÆ

to, non poterat rite fieri Senatusconsultum.

[z] *Censendo enim, quoscumque magistratus esse*] Hoc ipso, quod secundæ hujus sententiæ auctores censebant aliquid, et sententiam dicebant, agnoscere videbantur decemviros, a quibus haberetur Senatus, esse revera magistratus, si non legitimos, si non consulares, certe qualescumque. Alioqui hæc sententia durior erat, quod vellet interregem dici; quod tunc fiebat cum nulli erant summi magistratus; unde sequebatur creandos per interregem consules; quibus creatis in nullo numero futuri essent hi decemviratus usurpatores. Ita mentem Livii perspicue aperit Schottus 3. observat. cap. 38. Horum tamen sententia ex verbis Auctoris videtur alio trahi potuisse: siquidem qui hujus erant sententiæ jubebant Senatum interregis prodendi causa coire: atque ita convocationem Senatus a decemviris imperatam minime probare videbantur.

Censendo enim, &c.] Clarus erit locus, si ordinem ejus sic constituas. *Censendo* (hoc est, sententias in senatu dicendo, quæ est nota verbi significatio) *judicabat quoscumque, qui Senatum haberent, magistratus esse; quos privatos fecerat, &c.* J. Clericus.

[a] *Quonam fato incidisset*] Aiebat L. Cornelius Maluginensis, mirari se qua ratione accideret ut ii, qui aut primo anno socii decemvirorum fuissent, quique secundo anno magna contentione petiissent decemviratum, ii nunc, vel soli, vel præ ceteris, oppugnarent decemviros: deinde mirari adhuc se cur iidem, nunc tandem hostibus ad portas consistentibus, semina discordiarum civilium spargant; postquam civitate a curis bellicis vacua et libera, neque illi, neque alius quisquam, per aliquot menses ab Idibus Maiis, in controversiam vocaverat, an justi essent ac legitimi magistratus, qui summam rerum administrabant: nisi forte qui hæc moliuntur putant rebus turbidis minus perspici posse quid agant, et quo tendant, ad res scilicet novandas, imperiumque sibi ipsis arrogandum.

minus perspicuum fore putent, quid agatur. Ceterum neminem, majore cura [b] occupatis animis, verum esse, præjudicium rei tantæ afferre. Sibi placere, de eo, quod Valerius Horatiusque ante Idus Maias decemviros abisse magistratu insimulent, bellis, quæ immineant, perfectis, re publica in tranquillum redacta, senatu disceptante, agi: et jam nunc ita se parare Ap. Claudium, ut comitiorum, quæ decemviris creandis decemvir ipse habuerit, sciat sibi rationem reddendam esse, utrum in unum annum creati sint, an donec leges, quæ deessent, perferrentur. In præsentia omnia præter bellum omitti placere: cujus si falso famam vulgatam, vanaque non nuntios solum, sed Tusculanorum etiam legatos, attulisse putent, speculatores mittendos censere, qui certius explorata referant. Sin fides et nuntiis et legatis habeatur, delectum primo quoque tempore haberi; decemviros, quo cuique eorum videatur, exercitus ducere; nec rem aliam præverti.

41. In hanc sententiam ut discederetur, juniores Patrum evincebant.[c] Ferociores [14] iterum coorti Valerius Horatiusque vociferari, 'ut de re publica liceret dicere. Dicturos ad populum, si in senatu per factionem non liceat. Neque

[c] *Juniores Senatores suffragiorum numero vincentes, obtinebant, ut secundum eam sententiam Senatusconsultum fieret per discessionem.*

nunc maxime, jam alii monuere.' *Idem.*—14 'Sic primus Curio. Ante illum omnes et scripti *Ferocioresque.* Muretus, ut videtur, de conjectura, *cum*

NOTÆ

[b] *Ceterum neminem, majore cura, &c.*] Varie hic contextum refingunt atque explicant Rhenanus, Glareanus, et Sigonius; nec se satis expediunt. Eorum opiniones expendere longum et supervacaneum esset. Plana res erit si quo sensu *verum,* quo *præjudicium* hoc loco accipiatur adverterimus. *Verum* hic dicitur quod æquum ac justum est, ut cum 'verum rei pretium' dicunt jurisconsulti. Qua de re lib. II. c. 48. *Præjudicia* vero, et causæ præjudiciales, dicuntur ea quorum cognitio præcedere debet, quæque prius judicata maximum momentum afferunt ad futurum principale judicium. Cum igitur decemviris quædam quasi status controversia fieret, agereturque an magistratus, an privati essent, non ineleganter *præjudicium* causæ afferre dicitur, qui vult de eo statim agi; quod non nisi pacatis rebus tractandum contendit L. Cornelius, nec rem ullam bello anteponendam.

enim sibi privatos, aut in curia, aut in concione, posse obstare; neque se imaginariis fascibus eorum cessuros esse.' Tum Appius, jam prope esse ratus, ut, ni violentiæ eorum pari resisteretur audacia,[15] victum imperium esset, 'Non[16] erit melius,' inquit,[c] 'nisi de quo consulimus, vocem misisse.' Et ad Valerium, negantem se privato reticere,[d] lictorem accedere jussit. Jam Quiritium fidem implorante Valerio a curiæ limine, L. Cornelius complexus Appium, non, quod simulabat, consulendo,[e] diremit certamen.[17] Factaque per Cornelium Valerio dicendi gratia, quæ vellet,[f]

ferociores. Eleganter certe.' *J. F. Gronov.*—15 'Mallem transpositis vocibus, *ni audaciæ eorum pari resisteretur violentia.*' Stroth. Improbat Doering. —16 Distinctionem post *Non* posuit Doering. monente J. F. Gronov. Vid. Not. Var.—17 '*Non, quod simulabat, consulendo* ex 9. Mss. et edd. ante Rhenanum restitui cum Stroth. qui ita h. l. interpretatur: 'Cornelius complexus Appium, eo diremit certamen, ut Appius, ejus precibus motus, non consuleret Senatum ulterius de delectu habendo, quod consulere simulabat, sed cuique copiam dicendi de alia quavis re concederet.' Mihi tamen et hæc explicatio admodum dura videtur, et ipsa lectio inepta; sed non minus inepte in 9. Mss. *non quid s. c.* in uno *non qui s. c.* in alio *non inquit s. c.* et in edd. post Rhenan. *non cui s. c.* legitur. Forte Livius scripsit, *L. Cornelius complexus Appium*, adeoque precibus, *non, quod stimulabat*, vel potius *stimularet*, s. *stimulasset*, sc. Appium ad iram, ei *consulendo, diremit certamen.*'

NOTÆ

[c] *Non erit melius, inquit*] Monentis ex indignatione, et per iram interrogantis vox est minax: quasi dicat Appius, tibi, Horati, utilius fuerit verba non fecisse, nisi de bello quod instat, qua de re nos Senatum nunc consulimus. Sic idem Appius infra: 'proinde quiesse erit melius.'

[d] *Et ad Valerium, negantem se privato reticere*] *Se* ad Appium refer, qui lictorem ad Valerium comprehendendum mittebat, non ad Valerium: quasi dicat Valerius, ipso Appio privato, non debere silentium ejus nutu servari.

[e] *Non, quod* [*cui*] *simulabat, consulendo*] Videri volebat Cornelius Valerio prospicere, in quem ruiturus erat Appius cum lictoribus: re tamen ipsa consultum ipsi Appio ibat, quia Valerius, qui prior surrexerat, jam cœperat a limine curiæ Quiritium fidem opemque invocare.

[f] *Factaque per Cornelium Valerio dicendi gratia, quæ vellet*] Cum de L. Cornelio fratre decemviri, non de M. Cornelio decemviro loquatur, apparet non ipsum Cornelium veniam loquendi fecisse, sed ejus opera eam copiam ab Appio, aliisque decemviris, datam Valerio: qui cum multos oratione sua permotos videret, paratosque ad retractandas sententias quas prius dixissent, eas iterum rogari postulavit: sed repugnante Cornelio, quasi re jam decreta, non obtinuit. Itaque, dominationis decemvirorum tædio, cives non pauci alio migrarunt, quorum prædia, velut desertorum, publicata verbo, revera decemvirorum asseclis donabantur.

cum libertas non ultra [18] vocem excessisset, decemviri propositum tenuere.[d] Consulares quoque ac seniores, ab residuo tribuniciæ potestatis odio, cujus desiderium plebi multo acrius, quam consularis imperii, rebantur esse, prope malebant, postmodo [19] ipsos decemviros voluntate abire magistratu, quam invidia eorum exsurgere rursus plebem. Si leniter ducta res sine populari strepitu ad consules redisset, aut bellis interpositis, aut moderatione consulum in imperiis exercendis, posse in oblivionem tribunorum plebem adduci.[20] Silentio Patrum edicitur delectus.[e] Juniores, cum sine provocatione imperium esset,[g] ad nomina respondent. Legionibus scriptis, inter se decemviri comparabant,[h] quos ire ad bellum, quos præesse exercitibus [1] oporteret. Principes inter decemviros erant Q. Fabius et Ap. Claudius. Bellum domi majus, quam foris, apparebat. Appii violentiam aptiorem rati ad comprimendos urbanos motus: in Fabio minus in bono constans, quam navum in malitia, ingenium [i] esse.[2] Hunc enim virum, egregium

[d] *Obtinuerunt decemviri quod sibi ab initio proposuerant.*
[e] *Imperatur delectus, Senatu non contra dicente.*

Rupert. Vulg. *non cui simulabant.*—18 '*Ultra* redundat.' *Rupert.*—19 *Postmodum* Gronov. Doujat. Crevier.—20 Vulg. *tribunorum adduci.*—1 'Pro *exercitibus* legendum puto *rebus civilibus.*' Stroth. Nihil mutandum monet Doering.—2 'In Ms. ant. non male legi *quam ignavum in militia ingenium esse* bene monet Schott. Obss. III. 38. Vetus et rectior forte scriptura est *gnavus* (unde *ignavus*) ut 'gnotus' et 'gnarus,' a Gr. γινώσκω, s. γνόω, et γνωρίζω, etsi Cic. Or. 47. 'ignavum,' 'ignotum,' et 'ignarum' ob euphoniam pro 'innavum,' 'innotum,' et 'innarum,' dici monet.' *Rupert. Gna-*

NOTÆ

[g] *Cum sine provocatione imperium esset*] Decemvirorum scilicet.

[h] *Inter se decemviri comparabant*] 'Comparare inter se' magistratus dicebantur, cum consensu mutuo ac sine sorte constituebant quam muneris partem quisque administraturus esset: quia scilicet facta rerum gerendarum et personarum comparatione quid publice privatimque expediret dijudicabant.

[i] *In Fabio minus in bono constans, quam navum in malitia,* [*gnavum in militia*] *ingenium*] Non placet quod vulgo legitur, *in malitia.* Melius quod insinuat Schottus, ex cod. perantiquo, *in militia.* Sic enim evidentius apparebit ratio cur huic Fabio Vibulano commissæ sint belli gerendi partes. Sed quod in eo codice legitur *ignavum* pro *gnavum,* atque a Schotto probatur, quasi dicat Livius Fabium in militia minus ignavum; id sensus pati non videtur. Etenim il-

olim domi militiæque, decemviratus collegæque ita mutaverant, ut Appii, quam sui, similis mallet esse. Huic bellum in Sabinis, M'. Rabuleio et Q. Pœtelio[3] additis collegis, mandatum. M. Cornelius in Algidum missus cum L. Minucio et T. Antonio et K. Duilio et M. Sergio: Sp. Oppium Ap. Claudio adjutorem ad urbem tuendam, æquo omnium decemvirorum imperio, decernunt.

42. Nihilo militiæ, quam domi, melius res publica administrata est. Illa modo in ducibus culpa, quod, ut odio essent civibus, fecerant. Alia omnis penes milites noxa erat: qui, ne quid ductu atque auspicio decemvirorum prospere usquam gereretur, vinci se per suum atque illorum dedecus patiebantur. Fusi et ab Sabinis ad Eretum, et in Algido ab Æquis, exercitus erant. Ab Ereto per silentium noctis profugi, propius urbem, inter Fidenas Crustumeriamque, loco edito castra communierant. Persecutis hostibus nusquam se æquo certamine committentes, natura loci ac vallo, non virtute aut armis, tutabantur. Majus flagitium in Algido, major etiam clades accepta: castra quoque amissa erant; exutusque omnibus utensilibus miles, Tusculum se, fide misericordiaque victurus hospitum, (quæ tamen[4] non fefellerunt) contulerat. Romam tanti erant[5] terrores allati, ut, posito jam decemvirali odio, Patres vigilias in urbe habendas censerent: omnes, qui per ætatem arma ferre possent, custodire mœnia, ac pro portis stationes agere juberent: arma Tusculum ad supplementum decernerent,[6 k] decemvirosque, ab arce Tusculi

vum dant Gronov. Doujat. Crevier. Vid. Not. Var.—3 Al. *Pœtilio.*
4 *Qui tum* Edd. a Sigon. ad Drak.—5 Τὸ *erant* del. Gronov. Doujat. Cre-

NOTÆ

lud *minus* non refertur ad posterius hoc vocabulum, sed ad nomen *constans.*

k *Arma Tusculum ad supplementum decernerent*] Recte, ni fallor, Gronovius emendat levi unius literæ mutatione. Quid enim est *arma decernere ad supplementum?* Legit itaque *arma Tusculum ac supplementum:* et intellige *arma illis,* qui ea in fuga amisissent, *supplementum* in locum cæsorum: *des recrues.* Ita se rem habuisse scribit Dionysius.

degressos,[7] [1] in castris militem habere: castra alia a Fidenis in Sabinum agrum transferri: belloque ultro inferendo deterreri hostes a consilio urbis oppugnandæ.

43. Ad clades ab hostibus acceptas duo nefanda facinora decemviri belli domique adjiciunt. L. Siccium [m] in Sabinis, per invidiam decemviralem tribunorum creandorum secessionisque mentiones ad vulgus militum sermonibus occultis serentem,[f] prospeculatum ad locum castris capiendum mittunt. Datur negotium militibus, quos miserant expeditionis ejus comites,[n] ut eum opportuno adorti loco interficerent. Haud inultum interfecere. Nam circa repugnantem aliquot insidiatores cecidere, cum ipse se prævalidus,[o]

f Qui ex odio in decemviros mentionem apud milites gregarios clandestinis colloquiis injiciebat creandi tribunos plebis, et secedendi a patriciis.

vier.—6 'Pro *ad* eleganter conjecit J. F. Gronov. *ac.*' Doering.—7 'Pro *digressos,* quod in omnibus et vett. codd. et edd. extat, primus edidit J. F. Gronov. *degressos.*' Idem.

NOTÆ

[1] *Decemvirosque, ab arce Tusculi degressos*] Intellige *degressos* de tempore præsenti, id est, digredientes. Jubebat enim Senatus ut decemviri, qui Tusculum velut in arcem cogente exercitu confugerant, inde digrederentur, neque intra oppida exercitum continerent, quod pavoris erat indicium, sed in castris agerent, ipsique oppidis præsidio potius essent, quam ab oppidis, locisque munitis præsidium peterent.

[m] *L. Siccium*] Alias *Sicinium*, de quo ad cap. 31. Hic cum in Urbe multos sermones adversus duces spargeret, accitus ab Appio, qui eum post alios complures clam de medio tollere per collegas in animo habebat, ejus hortatu ad castra Crustumerina profectus est cum nomine et potestate legati, quasi de rebus bellicis acturus cum ducibus, quarum longo experimento magnam peritiam esset consecutus. Ab illis perbenigne in speciem acceptus, in exercitu, eorundem rogatu, mansit: cumque auctor eis esset transferendi castra in alium locum, illi hac usi occasione, eum cum centum electis levis armaturæ, ut locum specularetur vallo opportunum, miserunt. Cum itaque ad asperum admodum locum pervenisset, ubi equus non nisi lento gradu incedere posset, in eum omnes prout mandatum fuerat irruerunt, eumque strenue pugnantem, nec inultum, cum famulo interfecerunt: uti Dionysius narrat.

[n] *Quos miserant expeditionis ejus comites*] Quos scilicet decemviri Siccio dederant, quasi futuros ipsi comites in ea expeditione: re ipsa ut sicarios agerent.

[o] *Cum ipse se prævalidus*] Cum Siccius, qui validus erat corpore, (quanquam vergente jam ætate,) circumventum se videns, se magno animo, et respondentibus animo viribus, defenderet.

pari viribus animo, circumventus tutaretur. Nuntiant in castra ceteri, præcipitatum in insidias esse Siccium egregie pugnantem, militesque quosdam cum eo amissos. Primo fides nuntiantibus fuit. Profecta deinde cohors ad sepeliendos, qui ceciderant, decemvirorum permissu, postquam nullum spoliatum ibi corpus, Sicciumque in medio jacentem armatumque, omnibus in eum versis corporibus, videre; hostium neque corpus ullum, nec vestigia abeuntium; profecto ab suis interfectum memorantes, retulere corpus. Invidiæque plena castra erant, et Romam ferri protinus Siccium placebat, ni decemviri funus militare ei publica impensa facere maturassent. Sepultus ingenti militum mœstitia, pessima decemvirorum in vulgus fama, est.

44. Sequitur aliud in urbe nefas, ab libidine ortum, haud minus fœdo[8] eventu, quam quod per stuprum cædemque Lucretiæ urbe regnoque Tarquinios expulerat: ut non finis solum idem decemviris, qui regibus, sed causa etiam eadem imperii amittendi esset. Ap. Claudium virginis plebeiæ stuprandæ libido cepit. Pater virginis L. Virginius honestum ordinem in Algido ducebat,[p] vir exempli recti domi militiæque. Perinde uxor instituta fuerat, liberique instituebantur.[9 q] Desponderat[10] filiam L. Icilio tribunicio,[r] viro acri, et pro causa plebis expertæ virtutis. Hanc virginem adultam, forma excellentem, Appius, amore ar-

8 Conj. Rupert. *fœdum.*—9 Vet. lib. ap. Sigon. *liberi quoque instituebantur.*

NOTÆ

p *Honestum ordinem in Algido ducebat*] Cave Rhenano credideris, qui quod L. Virginius plebeius esset, quodque pedibus Romam venisse atque in Algidum reversus esse dicatur, tentat num legendum sit, *pedes tum ordinem in Algido ducebat.* Quid enim ad rem pedibus, an equo uteretur? Hoc constat, pedites duxisse. Cur igitur honestum ei ordinem invideamus? Centurionem eum vocat auctor de Viris Illustribus, et Dionysius.

q *Perinde uxor instituta fuerat, liberique instituebantur*] Uxor Numitoria nomine, jam defuncta, mariti exemplo bonis moribus fuerat prædita; idemque vitæ institutum secuta. Nec aliter, mortua quantumvis matre, instituebantur communes liberi: illa scilicet filia Virginia. Nam liberorum appellatione unicus filius filiave intelliguntur, aut nepos neptisve.

r *L. Icilio tribunicio*] Sp. Icilii f. qui primus tribuniciam potestatem constituerat atque acceperat.

dens,[11] [s] pretio ac spe perlicere adortus, postquam omnia pudore septa animadverterat,[g] ad crudelem superbamque vim animum convertit. M. Claudio clienti negotium dedit, ut virginem in servitutem assereret, neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias: [t] quod pater puellæ abesset, locum injuriæ esse ratus.[h] Virgini, venienti in forum, (ibi namque in tabernis literarum ludi erant,) [u] minister decemviri libidinis [12] manum injecit; [x] serva sua na-

[g] *Pudicitia velut septo munita et clausa.*

[h] *Existimans Appius, injuriam facile inferri posse virgini, quia ejus pater aberat.*

—10 Vulg. *Desponderant.*—11 *Appius amore amens* al. prob. J. F. Gronov. Vid. Not. Var.—12 ' *Minister libidinis decemviri* (ita forte leg. transpositis vocibus, vel *decemviralis*, nisi verbum *decemviri* est glossa) M. Claudius, qui inf. cap. 57. pr. *minister cubiculi* Appii *cliens* dicitur. Mox in Mss. rotundius legi, *serva sua natam*, (sc. dicens,) *servamque appellans sequi se jubebat*, monet Gronov. [et ita dat Kreyssigius.] Bauerus mavult legi *servam quoque*, nisi verba ab ipso Livio sint transposita, aut *que* positum pro *quoque*, etiam, sicut et

NOTÆ

[s] *Appius, amore ardens*] Veteres melius forte, *amore amens.*

[t] *Secundum libertatem postulantibus vindicias*] Vindiciæ generaliter significant et controversiam de momentaria possessione, et ipsam possessionem temporariam rei controversæ, *la récréance.* In liberali autem causa, seu status controversia, qua quis a libertate in servitutem, aut contra a servitute in libertatem vindicabatur, recte petuntur vindiciæ secundum libertatem, id est, pro libertate, *en faveur de la liberté:* ut nempe, lite pendente, is, de cujus libertate quæritur, interim in possessione libertatis sit, et pro libero habeatur. Veteri porro jure, quod nuper in XII. Tabulas translatum fuerat, cavebatur, ut qui de statu suo litigaret, in possessione libertatis constitueretur, et interea liberi loco esset. Sic Appius adversus legem a se ipso nuper latam hunc M. Claudium instruebat.

[u] *Ibi namque in tabernis literarum ludi erant*] Progrediens itaque in forum Appius, puellam in ludo literario, qui in taberna erat, literas addiscentem viderat: eamque deperire cœperat. Neque, quod Rhenanus vult, pro *in tabernis* scribendum *in tabernaculis*, quasi vilius sit tabernæ nomen, quam ut Grammaticis conveniat; quos et illis temporibus Romæ nondum cognitos contendit. Sed et *tabernæ* librariorum, argentariorum, medicorum dicuntur: nec minus apertæ esse solent in foro, quam tabernacula, ut qui in iis sunt a prætergredientibus cerni ac notari possint; (nisi utraque clausa sint;) quo casu eo commeantes, aut inde exeuntes omnium oculis patent. Puellæ autem ludimagister sufficit, nec Grammaticis opus. Satis est si literas noverit: *qu'elle sache lire et écrire.*

[x] *Manum injecit*] Qui rem apud prætorem vindicabat, et suam esse asserebat, injecta manu apprehendebat: ex quo more est illud Paridis apud Ovidium: ' Ut dicam mea sunt,

tam (servamque appellans) esse: sequique se jubebat, cunctantem vi abstracturum.[y] Pavida puella stupente, ad clamorem nutricis, fidem Quiritium implorantis, fit concursus. Virginii patris sponsique Icilii populare nomen celebratur. Notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat.[i] Jam a vi tuta erat; cum assertor nihil opus esse multitudine[z] concitata ait, se jure grassari, non vi. Vocat puellam in jus; auctoribus, qui aderant, ut sequeretur. Ad tribunal[a] Appii perventum est. Notam judici fabulam petitor,[13] quippe apud ipsum auctorem argumenti,[b] peragit; puellam, domi suæ natam,[c] furtoque inde in domum Virginii translatam, suppositam ei [14] esse. Id se indicio compertum afferre, probaturumque vel ipso

[i] *Divulgatur et cum laude identidem repetitur a plebe nomen Virginii et Icilii, velut hominum popularium. Auctoritas et favor Virginii patris et Icilii sponsi eos qui ipsis noti erant propitios reddebant virgini: turbam autem eidem conciliabat ipsa indignitas rei.*

ipsam.' *Rupert.*—13 '*Ad tribunal Appii perventum est.* Aut particula excidit, scribendumque: *Ut ad tribunal Appii perventum est, notam judici fabulam, &c.* aut certe aliter distinguendum: *vocat puellam in jus. Auctoribus qui aderant, ut sequeretur, ad tribunal Appii perventum est. Notam judici fabulam petitor.* Quod videndum censet Sigonius, 'quid sit, quod quidam libri veteres habent, *Adjutoribus, qui aderant, assequentibus;*' ego idipsum non prius videndum quam conspuendum censeo, tanquam audaciæ et ignorantiæ subolem.' *J. F. Gronov.*—14 *Ei* del. Grut. Gronov. Doujat. Crevier. all.

NOTÆ

injiciamque manum.'

[y] *Cunctantem vi abstracturum*] Hic, ut in superioribus, intelligendum *dicens*, se per vim eam abducturum, si cunctaretur sequi.

[z] *Assertor, nihil opus esse multitudine*] Assertor hic vocatur M. Claudius qui asserebat et vindicabat Virginiam in servitutem: alias de eo dicitur qui vindicat in libertatem; et ante Justinianum non aliter ordinari poterat causa liberalis, quam per assertorem, id est, nisi homo liber periculo suo causam susciperet pro eo de cujus statu agebatur: idque ideo ne forte servus adversus dominum in judicio consisteret.

[a] *Auctoribus, qui aderant, ut sequeretur. Ad tribunal*] Cum ii, qui aderant puellæ suaderent, ut vocata in jus de more iret: perventum est ad tribunal Appii. Cetera, quæ conjicit congeritque Sigonius, ipseque Gronovius, nihil hic moror.

[b] *Quippe apud ipsum auctorem argumenti*] Totius sane fabulæ, sive comœdiæ, argumentum atque ordinem Appius concinnaverat. M. Claudius jussa tantum exequebatur.

[c] *Puellam domi suæ natam*] Fingebat ex ancilla paterna apud se natam hanc puellam, atque ab ea ex compacto Numitoriæ, quæ nullos pariebat liberos, furtim traditam, a Numi-

Virginio judice, ad quem major pars injuriæ ejus pertineat. Interim dominum sequi ancillam, æquum esse. Advocati puellæ,[d] cum Virginium rei publicæ causa dixissent abesse,[e] biduo affuturum, si nuntiatum ei sit; iniquum esse, absentem de liberis dimicare; postulant, ut rem integram in patris adventum differat; lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem; neu patiatur, virginem adultam famæ prius, quam libertatis, periculum adire.

45. Appius decreto præfatus, 'quam libertati faverit,[f] eam

NOTÆ

toria pro sua suppositam, et educatam. Ejus rei ad se paulo ante delatum indicium.

[d] *Advocati puellæ*] Propinqui vel amici qui puellam comitabantur. Hæc enim prima ejus nominis significatio est, quod reus necessarios suos advocaret, ut sibi periclitanti vel jus suggererent, vel certe gratia, præsentiaque sua, opis aut favoris aliquid ad judices afferrent. Alii ergo advocati ab oratoribus et causidicis; quanquam posterioribus temporibus ad hos quoque tractum est advocatorum nomen.

[e] *Cum Virginium rei p. causa dixissent abesse*] Certissima æqnissimaque excusationis causa per leges est absentia reip. causa, qualis proculdubio erat Virginii pro patria militantis. Quapropter cum jure Romano solus pater filiæfamilias idoneus esset defensor, non immerito advocati Virginiæ rem differri postulabant: præsertim cum non ultra biduum differri peterent.

[f] *Quam libertati faverit*] Explananda nobis hæc Appii oratio, qua iniquitatem decreti sui tueri nititur. Præfatus primo se libertati favisse, idque vel ex sua illa lege apparere quæ adducatur ab amicis Virginii, deinde subdit jus, ea lege constitutum, servari quidem in gratiam libertatis debere, utpote in universum æquitati consentaneum. Verum distinctione utendum, et causarum ac personarum varietate jus quoque variare. Legem, qua cavetur vindicias secundum libertatem dari, de iis accipiendam esse, qui quæve, cum in servitute sint, asseruntur in libertatem: hæc enim actio cuivis e populo patet, et is eave, de cujus statu agitur, interim dum lis peragitur, sui ipsius quasi possessor habetur. At in hac facti specie, cum in servitutem vindicetur puella, quæ in patris potestate esse dicitur, aliud obtinere. Hæc enim a solo patre defendi potest, qui si absit, ut nunc Virginius, nullus est alius idoneus defensor; nec æquum est ut dominus ejus corporis possessione alteri extraneo cedat. Post hanc præfationem pronuntiavit Virginium accersendum: interea vero actori præripiendum non esse jus suum, aut impediendum quominus puellam abducat, ea lege ut spondeat eam in jure sisti, atque exhiberi, ubi advenerit is qui pater dicitur. Sed præterquam quod generaliter scripta lex erat, favorabiliorque videtur causa ejus qui ex libertate rapitur in servitutem, quam ejus qui ex servitute in libertatem asseritur, certum est ex patris absentia nihil detrahi patriæ potestati; atque in persona virginis, ob periculum pudoris, longe erat æquius possessionem corporis,

ipsam legem declarare, quam Virginii amici[15] postulationi suæ prætendant. Ceterum ita in ea firmum libertati fore præsidium, si nec causis, nec personis variet. In his enim, quæ asserantur[16] in libertatem, quia quivis lege agere possit, id juris esse: in ea, quæ in patris manu sit, neminem esse alium, cui dominus possessione cedat. Placere itaque patrem arcessi, interea juris sui jacturam assertorem non facere, quin ducat puellam sistendamque in adventum ejus, qui pater dicatur, promittat.' Adversus injuriam decreti cum multi magis fremerent, quam quisquam unus reclamare[17] auderet;[g] P. Numitorius, puellæ avunculus,[18] et sponsus Icilius interveniunt. Dataque inter turbam via, cum multitudo Icilii maxime interventu resisti posse Appio crederet, lictor 'decresse' ait:[h] vociferantemque Icilium summovet. Placidum[19] quoque ingenium tam atrox injuria accendisset. 'Ferro hinc tibi summovendus sum, Appi,' inquit, 'ut tacitum feras, quod celari vis. Virginem ego hanc sum ducturus, nuptam pudicamque habiturus.[20] Proinde omnes collegarum quoque lictores convoca, expediri virgas et secures jube: non manebit extra domum

15 In Ms. Veith. est *virginis amici.*—16 Vet. lib. apud Sigon. *In iis enim qui asserantur. Qui asserantur* quoque Ms. Veith.—17 '*Reclamare* e Mss. quibusdam et edd. antt. revocavi pro vulg. *recusare:* nam illud multo elegantius et aptius est, dura vero dictio, 'adversus injuriam decreti magis fremere, quam recusare,' sc. id decretum; neque ab uno vel altero id recusari s. rejici vel repudiari potest.' *Rupert. Reclamare* dat et Kreyssigius. *Recusare* habent Gronov. Doujat. Crevier. Drak. et Stroth. Sed notat Doering. 'Eleganter pro *recusare* conjiciebat J. F. Gronov. *reclamare.*'—18 *Avus* Mss. et edd. antt.—19 In Ms. Veith. est, *lictor descende, ait, vociferantemque Icilium summove. Cum placidum, &c.* Vid. Not. Var.—20 Vulg.

NOTÆ

re dubia, apud eum esse qui hactenus pater habitus esset, quam apud eum qui dominum se nunc primum diceret, necdum probasset.

g *Quam quisquam unus recusare auderet*] Gronovius, *reclamare auderet.* Intelligi tamen posse agnoscit, *id recusare.* Potest et per Zeugma, optimis Græcis et Latinis scriptoribus usitatissimam figuram, ex præcedentibus *injuriam decreti* repeti vox *decretum,* ut sit *decretum recusare.*

h *Lictor decresse ait*] Id est, *decrevisse* ea de re decemvirum: atque ita post interpositum decretum frustra Numitorium Iciliumque advenire. Hos tamen ante decretum intervenisse Dionysius auctor est.

patris sponsa Icilii. Non, si tribunicium auxilium[1] et provocationem, plebi Romanæ duas arces libertatis tuendæ, ademistis, ideo in liberos quoque nostros conjugesque regnum vestræ libidini datum est. Sævite in tergum et in cervices nostras; pudicitia saltem in tuto sit. Huic si vis afferetur, ego præsentium Quiritium pro sponsa, Virginius militum pro unica filia, omnes Deorum hominumque implorabimus fidem. Neque tu istud unquam decretum sine cæde nostra referes. Postulo, Appi, etiam atque etiam consideres, quo progrediare. Virginius viderit, de filia, ubi venerit, quid agat. Hoc tantum sciat, sibi, si hujus vindiciis cesserit,[i] conditionem[2] filiæ quærendam esse.[k] Me, vindicantem sponsam in libertatem, vita citius deseret, quam fides.'

46. Concitata multitudo erat, certamenque instare videbatur. Lictores Icilium cirmumsteterant: nec ultra minas tamen processum est. Cum Appius, 'Non Virginiam[3] defendi ab Icilio, sed inquietum hominem, et tribunatum etiam nunc spirantem, locum seditionis[4] quærere,'[l] diceret; 'non præbiturum se illi eo die materiam: sed ut jam sciret, non id petulantiæ suæ, sed Virginio absenti et patrio nomini et li-

nuptamque pudicam habiturus.—1 *Non quia tribunicium aux.* Ms. Veith. mox in eodem est, *duasque arces l. t. ademisti.*—2 'Cic. Philipp. II. 38. 'filiam ejus, sororem tuam ejecisti, alia conditione quæsita.' Secundum hunc locum Ciceronianum possis suspicari, excidisse fortasse voculam *aliam* ante *conditionem* in nostro loco.' *Doering.*

3 *Virginem* Ms. Veith.—4 'Forte leg. *seditioni* h. l. et inf. c. 50. more

NOTÆ

[i] *Si hujus vindiciis cesserit*] Si prosecutus non fuerit has filiæ vindicias, vel potius si victus fuerit actione vindiciarum a M. Claudio mota. Vindiciæ enim pro ipsa actione aliquando accipiuntur.

[k] *Conditionem filiæ quærendam esse*] Id est, quærendum filiæ sponsum. Conditio quippe ad conjugium sæpe refertur; sumiturque quasi pro persona paris conditionis, et quæ, spectatis omnibus adjunctis, ad nuptias cum aliquo aut aliqua ineundas idonea sit: *un parti sortable.* Innuit itaque Icilius, si servilis conditionis pronuntietur Virginia, se ejus conditione non usurum, quæ solennia erant in renuntiandis sponsalibus verba, id est, eam non ducturum uxorem.

[l] *Locum seditionis quærere*] Gronovio videtur scripsisse Livius *seditioni*, qua forma dicitur 'locum insidiis quærere.'

bertati, datum, jus eo die se non dicturum, neque decretum interpositurum:[m] a M. Claudio petiturum, ut decederet jure suo, vindicarique puellam in posterum diem pateretur.[n] Quod nisi pater postero die affuisset, denuntiare se Icilio similibusque Icilii, neque legi suæ latorem, neque decemviro constantiam defore:[k] nec se utique collegarum lictores convocaturum ad coërcendos seditionis auctores. Contentum se suis lictoribus fore.' Cum dilatum tempus injuriæ esset, secessissentque advocati puellæ, placuit omnium primum, fratrem Icilii filiumque Numitorii, impigros juvenes, pergere inde recta ad portam,[5] et, quantum accelerari posset, Virginium acciri e castris. In eo verti puellæ salutem, si postero die vindex injuriæ ad tempus præsto esset. Jussi pergunt, citatisque equis nuntium ad patrem perferunt. Cum instaret assertor puellæ,[o] ut vindicaret, sponsoresque daret;[6] atque id ipsum agi diceret Icilius,[l] sedulo tempus terens, dum præciperent iter nuntii missi in castra; manus tollere undique multitudo,[p] et se quisque

[k] *Se legislatorem non deserturum legem a se latam: sed veram ejus sententiam tuiturum: sibique decemviro non defuturam animi firmitatem summo magistratu dignam.*

[l] *Icilius se hoc ipsum agere dixit; ut sponsores nempe quæreret.*

Livii, quem multis exemplis illustrant Gronov. et Drak.' *Rupert.*—5 Ms. Veith. *recta via ad portam.*—6 Idem cod. *vindicaret, vades, promissores sponso-*

NOTÆ

[m] *Neque decretum interpositurum*] Vide c. 47. verbo 'decresse.'

[n] *Vindicarique puellam in posterum diem pateretur*] Volebat Appius, ex interpretatione Budæi, atque aliorum, permitti a M. Claudio ut puellæ darentur vindiciæ secundum libertatem, eaque interim in libertatem assereretur, et in possessione libertatis esset usque in posterum diem, quo eam sisteret absque procrastinatione; quæ vera est, opinor, Auctoris sententia: quanquam ita posset intelligi, ut sineret actor actionem, qua ipse puellam in servitutem vindicabat, in diem posterum differri.

[o] *Cum instaret assertor puellæ*] Assertorem hic vocat, ut antea c. 44. M. Claudium, qui Virginiam asserebat in servitutem; non L. Icilium, ut Glareanus putabat, a Sigonio reprehensus. Sed cum eo die decretum se non interpositurum Appius dixisset, et consensu actoris permitteretur puella vindicantibus in libertatem, instabat M. Claudius, ut sibi ab Icilio seu quo alio interim vindicante darentur sponsores sive fidejussores de puella postridie sistenda.

[p] *Manus tollere undique multitudo*]

paratum ad spondendum Icilio ostendere. Atque ille lacrymabundus, 'Gratum est,' inquit; 'crastina die vestra opera utar. Sponsorum nunc satis est.' Ita vindicatur Virginia, spondentibus propinquis. Appius, paulisper moratus, ne ejus rei causa sedisse videretur, postquam, omissis rebus aliis præ cura unius,[q] nemo adibat, domum se recepit; collegisque in castra scribit, 'ne Virginio commeatum dent, atque etiam in custodia habeant.' Improbum consilium serum, ut debuit, fuit: et jam commeatu sumto[7] profectus Virginius prima vigilia erat, cum postero die mane de retinendo eo nequicquam literæ redduntur.

47. At in urbe prima luce, cum civitas in foro[r] expectatione erecta staret, Virginius sordidatus[s] filiam suam[8] obsoleta veste, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti advocatione[m] in forum deducit. Circumire ibi et prensare[9] homines cœpit; et non orare solum precariam opem, sed pro debita petere,[n] 'Se pro liberis eorum ac conjugibus quotidie in acie stare: nec alium virum esse, cujus strenue ac ferociter facta[t] in bello plura memorari possent. Quid

[m] *Magno comitatu advocatorum, sive amicorum.*

[n] *Non modo suppliciter rogare auxilium tanquam arbitrarium, et precanti sibi ex mera illorum liberalitate, aut misericordia præstandum; sed tanquam sibi ab ipsis debitum poscere.*

resque daret.—7 Legendum monet Sigon. ex vet. lib. *Jam enim c. s.*

8 'Pro *suam* in Mss. et edd. ante Curiouem *secum*, unde Gronov. conj.

NOTÆ

Multitudinis consensum elatis protensisve a tota concione, aut ejus majori parte, manibus indicari solitum nemo nescit. Atque hic mos in eligendis quoque Episcopis diu inter Christianos valuit: unde χειροθεσίας apud Græcos nomen.

[q] *Omissis rebus aliis præ cura unius*] Omnes causam Virginiæ pro sua ducebant, adeo ut huic uni intenti essent, et aliarum rerum suarum obliviscerentur.

[r] *Cum civitas in foro*] Vides aliud esse urbem, aliud civitatem. Urbis nomine proprie intelligimus ædificia mœnibus septa: civitas populum magis significat, et cives ipsos.

[s] *Virginius sordidatus*] Morem hunc mutandæ vestis, et lugubri ac squalido, cum amicis, habitu adeundi judices, usurpatum a reis jam notavimus.

[t] *Ferociter facta*] Mallem *fortiter facta*, si vetusti libri patiantur. Virginius enim, de se loquens, nescio an ferociam ipse suam honeste jactaret.

prodesse, si, incolumi Urbe, quæ, capta, ultima timeantur,' liberis suis sint patienda?' Hæc prope concionabundus [u] circumibat homines. Similia his ab Icilio jactabantur. Comitatus muliebris plus tacito fletu, quam ulla vox, movebat. Adversus quæ omnia obstinato animo Appius (tanta vis amentiæ verius, quam amoris, mentem turbaverat) in tribunal escendit: [10] et, ultro querente pauca petitore, [x] 'quod jus sibi pridie per ambitionem [p] dictum non esset,' priusquam aut ille postulatum perageret, aut Virginio respondendi daretur locus, Appius interfatur. Quem decreto sermonem prætenderit, forsan aliquem verum [y] auctores antiqui tradiderint. Quia nusquam ullum [11] in tanta fœditate decreti verisimilem invenio; id, quod consistat, nudum videtur proponendum, decresse [12] vindicias secundum servitutem. [z] Primo stupor omnes admiratione rei

[o] *Nihil hæc sibi prodesse, siquidem liberi sui, salva licet civitate, pati cogantur extrema, quæ timeri solent urbe capta.*

[p] *Ex studio gratificandi plebi.*

cum.' Dnk.—9 Vulg. *prehensare.*—10 *Ascendit* Edd. ante Drak. et Ms. Veith. —11 In Ms. Veith. est *tradiderunt. Quia nusquam nullum.*—12 'Vet. lib.

NOTÆ

[u] *Hæc prope concionabundus*] Concionari aliquid, pro eo quod est de re aliqua concionem habere, satis novum videri posset. Sed *hæc concionabundus* magis adhuc mirum. Et tamen eodem loquendi genere utitur lib. v. ac x. Dicit 'concionabundum,' pro eo qui concionantis more dicit, jactatve aliquid.

[x] *Et, ultro querente pauca petitore*] Appius moræ impatiens, priusquam actor ipse M. Claudius postulationis suæ formulam peregisset, nec spatio patri dato pro filia contradicendi, id est, lite non contestata, paratos loqui interrumpit. Vide an *interfatur* accipiendum sit pro, interdictum profert.

[y] *Forsan aliquem verum*] Glareanus simplicius putat *tradiderunt:* Gronovius mavult cum Veteribus *tradiderint.* Ego haud multum interesse puto utro modo legatur. Ceterum non ait absolute Livius verum sermonem se nusquam invenisse, sed verisimilem. Et Dionysius orationem refert, velut huic decreto ab Appio præmissam, qua, testem magis quam judicem agens, dicit se jam olim, cum M. Claudii tutor esset, compertum indicio habuisse hanc puellam ex pupilli ancilla natam, atque ab uxore Virginii suppositam pro sua.

[z] *Decresse vindicias secundum servitutem*] Sigonio non placet illud *decresse vindicias;* cum veteres libri scribant *dedisse,* et Noster hoc genere loquendi sæpe usus sit, dixeritque semper, 'dare vindicias,' nunquam 'decernere.' Ait præterea se legendum

tam atrocis defixit. Silentium inde aliquamdiu tenuit. Dein[13] cum M. Claudius, circumstantibus matronis, iret ad prehendendam virginem,[q] lamentabilisque eum mulierum comploratio excepisset; Virginius, intentans in Appium manus, 'Icilio,' inquit, 'Appi, non tibi, filiam despondi: et ad nuptias, non ad stuprum, educavi. Placet pecudum ferarumque ritu promiscue in concubitus ruere? Passurine hæc isti sint, nescio. Non spero esse passuros[r] illos, qui arma habent.' Cum repelleretur assertor virginis a globo mulierum circumstantiumque advocatorum, silentium factum per præconem.

48. Decemvir, alienatus ad libidinem[14] animo,[s] negat, 'hesterno tantum convicio Icilii violentiaque Virginii, cujus testem populum Romanum habeat, sed certis quoque indiciis compertum se habere, nocte tota cœtus in urbe factos esse ad movendam seditionem. Itaque se, haud inscium ejus dimicationis, cum armatis descendisse; non ut quenquam quietum violaret, sed ut turbantes civitatis otium pro majestate imperii coërceret. Proinde quiesse erit melius.

[q] *Cum M. Claudius accederet ad virginem abducendam inter circumstantes matronas.* [r] *Confido toleraturos non esse.*
[s] *Animo ab aliis omnibus rebus ad libidinem traducto.*

dedisse: ego *dare se* legendum puto.' *Sigon.*—13 *Deinde* Gronov. Doujat. Crevier.

14 *Alienato* Edd. omnes præter princ. et Drak. et ita legendum monet Bauer. *Alienatus* defendit Rupert. et pro *ad libidinem* conj. *ab libidine* vel *ob*

NOTÆ

putare *dare se;* nam tempus præsens, inquit, quæritur: quod mihi dubium fit ex superioribus; non enim juris adeo erat ignarus Appius, ipse juris conditor primarius, ut ignoraret consistere non posse decretum parte altera inaudita prolatum. Quare non videtur loqui de decreto quod nunc pronuntiet, sed de eo quod pridie, audito petitore, auditis Virginiæ advocatis, protulerat. Nec obstat quod primo die decretum a se non interponendum denuntiaverat. Etenim nec mirum esset si præ amoris impotentia sibi non constaret: et cum promiserat se decretum eo die non interpositurum, id de novo decreto post auditum Numitorium et Icilium non interponendo intellexisse potuit, non de revocando decreto quod ante horum adventum pronuntiaverat initio c. 45. Porro *vindicias dare secundum servitutem,* vel *ab libertate,* idem est ac pronuntiare interim pro servo habendum cum de cujus statu quæritur.

I,' inquit, 'lictor, summove turbam; et da viam domino ad prehendendum mancipium.'[a] Cum hæc intonuisset plenus iræ, multitudo ipsa se sua sponte dimovit, desertaque præda injuriæ puella stabat.[t] Tum Virginius, ubi nihil usquam auxilii vidit, 'Quæso,' inquit, 'Appi, primum ignosce patrio dolori, si quid inclementius in te [15] sum invectus: deinde sinas hic coram virgine nutricem percontari, quid hoc rei sit; ut, si falso pater dictus sum, æquiore hinc animo discedam.' Data venia, seducit filiam ac nutricem prope Cloacinæ [16] [b] ad tabernas, quibus nunc Novis [c] est nomen. Atque ibi ab lanio cultro arrepto, 'Hoc te uno, quo possum,' ait, 'modo, filia, in libertatem vindico.' Pectus deinde puellæ transfigit; respectansque ad tribunal, 'Te,' inquit, 'Appi, tuumque caput sanguine hoc consecro.' [d] Clamore ad tam atrox facinus orto excitus Appius, comprehendi Virginium jubet. Ille ferro, quacumque ibat, viam facere: donec, multitudine etiam prosequentium tuente,[17] ad portam perrexit. Icilius Numitoriusque exsangue corpus sublatum ostentant populo: [e] sce-

[t] *Stabatque puella derelicta, velut præda ad injuriam exposita.*

libidinem.—15 Vulg. *si inclementius in te.*—16 Alii legendum monent *Cluacinæ.* In Ms. Veith. est *prope Cloatineas tabernas.*—17 *Prosequentium juvenem* Edd. ante Ald. et Crevier. pro *tuente* al. *ruente.*

NOTÆ

[a] *Ad prehendendum mancipium*] 'Prehendere' domini est servum abducturi; 'comprehendere' lictorum reos vincire parantium.

[b] *Prope Cloacinæ*] Alia Romæ fuit Cloacina Dea, cujus effigies in Cloaca magna fuerat inventa: alia Venus Cluacina, a cluendo dicta, quod est purgare, quia purgato a pugna exercitu, post compositum cum Romulo fœdus, a Tatio Sabinorum rege dedicata esset. Nam et eadem 'Venus armata' dicebatur. Hujus templum in foro collocat Plinius lib. xv. idcirco de hac opinor accipiendus Livius, legendumque *Cluacinæ.* Nam Ædicula Cloacinæ in quinta Urbis regione erat, cum forum Romanum, in quo hæc gesta, fuerit in regione octava.

[c] *Ad tabernas, quibus nunc Novis*] Tabernæ Novæ, opinor, in vico Novo, ubi posterioribus quoque temporibus ludi literarii.

[d] *Tuumque caput sanguine hoc consecro*] Diis manibus devoveo. Tralatitia est consecratio, qua quis morti destinatur.

[e] *Exsangue corpus sublatum ostentant populo*] Vides in omnibus con-

lus Appii, puellæ infelicem formam, necessitatem patris deplorant. Sequentes clamitant matronæ, 'Eamne liberorum procreandorum conditionem? ea pudicitiæ præmia esse?' ceteraque, quæ in tali re muliebris dolor, quo est mœstior imbecillo animo, eo miserabilia magis querentibus subjicit. Virorum, et maxime Icilii, vox tota, tribuniciæ potestatis [u] ac provocationis ad populum ereptæ, publicarumque indignationum, erat.

49. Concitatur multitudo partim atrocitate sceleris, partim spe per occasionem repetendæ libertatis. Appius nunc vocari Icilium, nunc retractantem [18] arripi; postremo, cum locus adeundi apparitoribus non daretur, ipse, cum agmine patriciorum juvenum per turbam vadens, in vincula duci jubet. Jam circa Icilium non solum multitudo, sed duces quoque multitudinis erant L. Valerius et M. Horatius: qui, repulso lictore, si jure ageret, vindicare se a privato Icilium [f] aiebant; si vim afferre conaretur, ibi quoque se haud impares fore. Hinc atrox rixa oritur. Valerium Horatiumque lictor decemviri invadit. Franguntur a multitudine fasces. In concionem Appius ascendit. [g] Sequuntur Horatius Valeriusque. Eos concio audit: decemviro obstrepitur. Jam pro imperio Valerius [h] discedere a privato

[u] *Tota illorum oratio spectabat ad tribuniciam potestatem, &c.*

NOTÆ

gruere hanc reip. mutationem ex cæde Virginiæ cum ea quæ ex Lucretiæ cæde ante annos sexaginta contigerat: de qua c. 59. lib. I.

[f] *Si jure ageret, vindicare se a privato Icilium*] Privatum iterum hic vocant Appium Valerius et Horatius, quod eum pro magistratu non habeant, ut nec ceteros decemviros, qua de re cap. 40. et 41. Ceterum privatus sibi ipsi jus dicere non potest, aut quenquam auctoritate ac nutu proprio prehendere; ac ne rem quidem suam alteri per vim avellere: sed horum omnium causa eundum est ad magistratum; cujus ea jussu et auctoritate fiant.

[g] *In concionem Appius ascendit*] In ædem Vulcani, quo populum ad concionem evocavit: sed pauci secuti sunt: nam Valerius cum suis alteram fori partem occupavit, ostensoque Virginiæ corpore majorem concionem congregavit.

[h] *Pro imperio Valerius*] At Valerius privatus erat, quo ergo jure pro imperio aliquid jubebat? Nempe in pari causa, et ex consequenti inter duos privatos, potior est causa prohibentis. Et *pro imperio* jubere dici potest, ut, quasi imperium penes Valerium fuisset, ita ex rerum necessi-

lictores jubebat: cum, fractis animis, Appius, vitæ metuens, in domum se propinquam foro, insciis adversariis, capite obvoluto, recepit. Sp. Oppius, ut auxilio collegæ esset, in forum ex altera parte irrumpit. Videt imperium vi victum. Agitatus[19] deinde consiliis,[i] ad quæ ex omni parte assentiendo multis auctoribus trepidaverat,[20] senatum postremo vocari jussit. Ea res, quod magnæ parti Patrum displicere acta decemvirorum videbantur, spe per senatum finiendæ potestatis ejus multitudinem sedavit. Senatus nec plebem irritandam censuit; et multo magis providendum, ne quid Virginii adventus in exercitu motus faceret.

50. Itaque missi juniores Patrum in castra, quæ tum in monte Vecilio[1 k] erant, nuntiant decemviris, 'ut omni ope ab seditione milites contineant:' ubi Virginius majorem, quam reliquerat in urbe, motum excivit.[l] Nam, præterquam

18 *Detrectantem* Gronov.—19 *Agitatis* Edd. a Sigon. ad Drak.—20 'Corruptus vulgo in omnibus edd. est hic locus, quæ exhibent, *atque ex o. p. ass. m. a. trepidus:* at in Ms. Veith. immo in omnibus Mss. sine varietate est *trepidaverat.* Judicent lectores, cujus sit audacia minor, reliquorum editorum, qui *trepidaverat* in *trepidus,* an mea, qui *atque* (quod in uno cod. plane deest) in *ad quæ* mutaverim. Sæpius autem *ad* et *at* a librariis permutatur, de quo videatur Drak. ad cap. 17. hujus libri. Hic quidem vir acutissimus paulo majori mutatione legi jubebat: *Agitatus deinde consiliis, postquam .... trepidaverat.*' Stroth. 'Pro *ad quæ* etiam conjicere possis *per quæ.*' Rupert.

NOTÆ

tate se gereret.

[i] *Agitatus* [*Agitatis*] *deinde consiliis*] Ita reponit Glareanus ex veteri, ut ait, libro: sed quod editiones non paucæ habent, *agitatus consiliis,* id forte non omnino respuendum: significat enim varietate consiliorum, quæ omni ex parte, et in omnem partem ingerebantur, agitatum et fluctuantem Oppium initio assensum iis omnibus quæ proponerentur, tandem eo descendisse, quod plures auctores suadebant, ut Senatum vocari juberet.

[k] *In monte Vecilio*] Nullum eo nomine montem extra hunc locum legi fatetur Glareanus, nec indicant alii. Opinor *in monte Algido* legendum, quod omnes auctores tradunt. Eutropius inprimis post Nostrum sup. cap. 44. Irrepsit in id nomen non absimile mendum in vulgatis Dionysii exemplaribus: legitur enim ἐν Λαγαδίῳ, in Lagadio, nam emendatiores ἐν Ἀλγίδῳ exhibent.

[l] *Motum excivit*] Tanto magis quod noctu in castra pervenit, cum lucernæ jam primum accensæ essent, militesque corpus curarent. Tenebræ autem horrorem quendam seipsis injiciunt.

quod agmine prope quadringentorum hominum veniens, qui ab Urbe indignitate rei accensi comites ei se dederant, conspectus est;[m] strictum etiam telum,[2] respersusque ipse cruore,[n] tota in se castra convertit. Et togæ, multifariam in castris visæ,[o] majoris aliquanto, quam erat, speciem urbanæ multitudinis fecerant. Quærentibus, 'quid rei esset,' flens diu vocem non misit:[p] tandem, ut jam ex trepidatione concurrentium turba constitit, ac silentium fuit, ordine cuncta, ut gesta erant, exposuit. Supinas deinde tendens[q] manus, commilitones appellans, orabat, 'Ne, quod

1 Legendum opinatur Doujat. *in monte Algido.*—2 Sigonius vocem *tenens*

NOTÆ

[m] *Agmine prope quadringentorum hominum veniens . . . conspectus est*] Auctor de Viris Illustribus ait, Virginium corpus filiæ humeris gerentem ad exercitum profugisse: sed non facile intelligas qua ratione humeris deferri corpus per sedecim milliaria intra paucas horas potuerit. Tantundem enim Algidum Roma distabat, aut eo amplius. Verosimilius Noster et Dionysius, Virginiæ corpore inter propinquorum manus relicto, abiisse. Quod tamen Dionysius equo vectum Virginium in castra rediisse narrat, parum mihi videtur probabile, siquidem agmine prope 400. plebeiorum comitatus venit.

[n] *Strictum etiam telum, respersusque ipse cruore*] Evaginatum cultrum intellige, quem ex lanionis taberna Virginius rapuerat. Quamvis enim telum, inde dictum quod τήλοθεν, sive e longinquo, vibretur, inspecta origine ea tantum complectatur quæ mittuntur manu; latius tamen sumta, 'teli appellatione significatur et ferrum et fustis, et lapis, et denique omne quod nocendi causa habetur.' Ceterum Sigonius vocem *tenens* hic desiderat, ut sit, *strictum etiam telum tenens*, sine qua nullum aptum sensum esse posse putat. Repugnat Robortellus, ostenditque absque ea voce constare sententiam. Duo enim administrationem militibus injecerunt: primo telum strictum, deinde ipse Virginius sanguine conspersus. Mihi elegantior videtur vulgaris sententia, quam post Robortellum Gronovius probat. In ea latet forte figura quam zeugma vocant: cum scilicet uni tantum palam tribuitur, quod ad plura trahi vult Auctor. Hic ergo illud *respersus cruore*, quod dicitur de Virginio, nihil vetat de telo quoque intelligi, quasi Livius dixisset, 'strictum etiam telum respersum cruore, et ipse respersus cruore Virginius.'

[o] *Togæ, multifariam in castris visæ*] Urbanus Romanorum habitus toga, quæ primis reip. temporibus communis fuit vestis tam diurna quam nocturna, virorum, et mulierum, Nonio ac Servio testibus. Castrensis, sagum, quod brevius, atque ad pugnandum accommodatius.

[p] *Vocem non misit*] Sic antiquum exemplar apud Rhenanum, alii *non emisit*, quod eodem recidit.

[q] *Supinas deinde tendens*] Misericordiam opemque implorantis est.

scelus Ap. Claudii esset, sibi attribuerent: neu se, ut parricidam liberum, aversarentur. Sibi vitam filiæ sua cariorem fuisse, si liberæ ac pudicæ[3] vivere licitum fuisset.[r] Cum, velut servam, ad stuprum rapi videret, morte amitti melius ratum, quam contumelia,[4] liberos,[5] misericordia se in speciem crudelitatis lapsum. Nec se superstitem filiæ futurum fuisse, nisi spem ulciscendæ mortis ejus in auxilio commilitonum habuisset. Illis quoque enim filias, sorores, conjugesque esse.[5] Nec cum filia sua libidinem Ap. Claudii extinctam esse; sed, quo impunitior sit, eo effrænatiorem fore. Aliena calamitate documentum datum illis cavendæ similis injuriæ. Quod ad se attineat, uxorem sibi fato ereptam: filiam, quia non ultra pudica victura fuerit, miseram, sed honestam, mortem[6] occubuisse. Non esse jam Appii libidini locum in domo sua. Ab alia violentia ejus eodem se animo suum corpus vindicaturum, quo vindicaverit filiæ. Ceteri sibi ac liberis suis consulerent.' Hæc Virginio vociferanti succlamabat multitudo, 'nec illius do-

hic desiderat, ut sit, *strictum etiam telum tenens.*—3 'Mallem legi hoc loco *cariorem futuram fuisse.* Ceterum vett. libb. habent, *libere ac pudice,* sine diphthongo.' *Sigon.* Vid. Not. Var.—4 Deest verbum *vivere,* inquit Sigon.—5 '*Illis etiam filias, sorores, conjuges esse.* Ro. Andreæ, Bec. Mog. Asc. et ceteræ, *Illis quoque filias.* Gryphius, *Illis quoque etiam.* Mss. et Campanus et Juntas, *Illis quoque enim filias:* cui meum calculum appono. Vulgatum in primo reperio Curione.' *J. F. Gronov.*—6 *Misera, sed honesta morte* Ms. Veith. et Edd. plerique ante Ald. Sigon. Gronov. Doujat. Crevier. all.—

NOTÆ

Hinc apud Virgilium II. Æneid. 'tendensque supinas Ad cœlum cum voce manus.'

[r] *Si liberæ ac pudicæ vivere licitum fuisset*] Sic sane melius, quam quod Sigonius profert, *libere ac pudice,* ex libris manu quidem exaratis, sed, ut Gronovius affirmat, minus veteribus, qui diphthongos plerumque non exhibent.

[s] *Quam contumelia, liberos*] Negat summa cum ratione Gronovius hic deesse verbum *vivere,* quod Sigonius desiderabat: neque enim id volebat Virginius, præstare si morte amitterentur, quam si contumelia affecti viverent: sed præstare si avelleretur a parentibus morte, quam servitute, quæ in alterius potestatem eos non sine contumelia transferret. Immo tolerabilius esse si filiam morte præcipiti, quam si infamia stupri pollutam pater cerneret. Sic enim non potest in numero liberorum haberi ab honesto parente, cui honor familiæ vita carior.

lori, nec suæ libertati se defuturos.' Et immixti turbæ militum togati, cum eadem illa querendo, docendoque, quanto visa, quam audita, indigniora potuerint[7] videri, simul profligatam jam rem nuntiando Romæ esse; insecutique, qui[8] Appium[t] prope interemtum in exilium abisse dicerent; perpulerunt, ut ad arma conclamaretur, vellerentque signa,[u] et Romam proficiscerentur. Decemviri simul[x] his,[9] quæ videbant, simul his, quæ acta Romæ audierant, perturbati,

7 Conj. Doering. *debuerint.*—8 ' *Insecutosque* Edd. ante Clericum et præter unum omnes Mss. quibus accedit Ms. Veith.' *Stroth.* Pro *qui* conj. Rupert.

NOTÆ

[t] *Insecutique* [*insecutosque*], *qui Appium*] Non placet Gronovio eos, qui cum Virginio venerant, narrare secutos alios, qui referrent Appium isse exulatum, aliaque post discessum Virginii acta: unde non abs re conjicit scripsisse Livium in nominativo *insecutique qui Appium, &c.* ut hominum in castra ex Urbe profectorum genera duo rectius distinguantur; atque ad priores, qui cum Virginio advenerint, referatur pars longioris hujus periodi prior, hæc ad posteriores. Sed qua ratione fieri potuit ut Virginius et primi ejus comites actum de decemviris esse nuntiarent; cum illis discedentibus Appius pro tribunali sederet armatis septus, nemine adhuc seditionem aperte movente; nisi quod res et vota sua solent homines in majus etiam cum mendacio extollere? Tentabam num detracta conjunctione *que*, et posteriore periodi parte (a particula *simul*) relata ad eos qui ultimo loco advenerant, res sic explicari posset, ut *insecuti qui Appium prope interemtum in exilium abiisse dicebant*, iidem *simul profligatam jam rem nuntiando*, post alios qui superiora lamentabantur, *perpulerint milites ut ad arma conclamarent.* Quodsi cui retinenda videtur conjunctio illa, poterit adhuc levi mutatione sic non incommode scribi: *simul profligatam jam rem nuntiato Romæ esse, insecutisque qui Appium, &c. dicerent.* Tritum enim Nostro ut ea loquendi figura utatur, *nuntiato*, pro *cum nuntiatum esset.* Sed nec omnia quæ hic narrantur, iis ascribi posse negaverim, qui primi in castra pervenere. Quidni enim diversis temporibus digressi eo simul pervenire potuerint? Quidni pauci quidam ea ipsa de causa insecuti, ut Appii fugam nuntiarent, postquam citatis equis postremum agmen præcedentium assecuti erant, respiraturi ex fatigatione locum aliis dederint nuntiandi per castra quæ ab illis audiissent?

Insecutique] Sic edimus secuti certam emendationem J. F. Gronovii, cum lectio vulgaris *insecutosque* careat sensu. *J. Clericus.*

[u] *Vellerentque signa*] Manifestum seditionis indicium fixa in castris signa militaria injussu ducis evellere, quæ nec nisi captatis auguriis evelli mos erat.

[x] *Decemviri, simul, &c.*] M. Cornelius, aliique ejus collegæ quatuor, qui exercitui adversus Æquos præerant apud Algidum.

alius in aliam partem castrorum, ad sedandos motus discurrunt: et leniter agentibus responsum non redditur: imperium si quis inhiberet,[y] 'et viros et armatos se esse,' respondetur. Eunt agmine ad urbem, et Aventinum insidunt;[z] ut quisque occurrerat, plebem ad repetendam libertatem creandosque tribunos plebis adhortantes. Alia vox nulla violenta audita est. Senatum Sp. Oppius habet: nihil placet aspere agi: quippe ab ipsis datum locum seditionis[10] esse. Mittuntur tres legati consulares, Sp. Tarpeius, C. Julius, P. Sulpicius,[11] qui quærerent senatus verbis,[x] 'cujus jussu castra deseruissent; aut quid sibi vellent, qui armati Aventinum obsedissent, belloque averso ab hostibus patriam suam cepissent.' Non defuit, quid responderetur: deerat, qui daret responsum, nullo dum certo duce, nec satis audentibus singulis invidiæ se offerre.[y] Id modo a multitudine conclamatum est, 'ut L. Valerium et M. Horatium ad se mitterent. His se daturos responsum.'

51. Dimissis legatis, admonet milites Virginius, 'in re non maxima paulo ante trepidatum esse,[z] quia sine capite multitudo fuerit: responsumque, quanquam non inutiliter, fortuito tamen magis consensu, quam communi consilio esse. Placere decem creari, qui summæ rei præessent,

[x] *Nomine Senatus.* [y] *Objicere se odio patriciorum.*
[z] *Eos titubasse.*

quod vel *eo quod.*—9 *Iis* Gronov. Doujat. Crevier. Vid. Not. Var.—10 Mavult Duk. *seditioni.*—11 Alii legendum monent *Ser. Sulpicius.*

NOTÆ

[y] *Imperium si quis inhiberet*] Ecce iterum *inhiberet* sensu parum usitato. Est enim sensus: si decemvirorum aliquis vellet imperium adhibere, ac pro imperio agere.

[z] *Aventinum insidunt*] Hic mons nondum totus ædificiis occupatus erat: ibi arma posuere circa ædem Dianæ. Hæc autem in Aventinum secessio plebis secunda, annis sexaginta post fugatos reges, tribus et quadraginta post primam contigit: diciturque secessio in Aventinum, ab eo loco quem primum armata plebs insedit, et in quem post parta concordia rediit, quamvis postea inde in Sacrum montem extra Urbem transgressa fuerit, ut mox dicetur cap. 52.

militarique honore tribunos militum appellari.' Cum ad eum[12] ipsum primum is honos deferretur, 'Melioribus meis vestrisque rebus reservate,' inquit, 'ista de me judicia.[a] Nec mihi filia inulta[13] [a] honorem ullum jucundum esse patitur; nec in perturbata re publica eos utile est præesse vobis, qui proximi invidiæ sint. Si quis usus mei est, nihilo minor ex privato capietur.' Ita decem numero tribunos militares creant. Neque in Sabinis quievit exercitus. Ibi quoque, auctore Icilio Numitorioque, secessio ab decemviris facta est,[c] non minore motu animorum Siccii cædis memoria revocata,[14] [b] quam quem nova fama de virgine[15] adeo fœde ad libidinem petita accenderat. Icilius ubi audivit, tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum militarium prærogativam[c] urbana comitia iisdem tribunis plebis creandis sequerentur, peritus rerum popularium, imminensque ei potestati, et ipse prius, quam iretur ad Urbem, pari potestate[d] eundem numerum ab suis creandum curat. Porta Collina urbem intravere

[a] *Bonam hanc de me opinionem, qua me dignum tanto honore judicatis.*
[b] *Si usui vobis esse possum.*
[c] *Milites a decemviris (ducibus suis) secesserunt.*

12 'Τὸ *eum* redundat, et forte inducendum, quia ipse Virginius proxime nominatus et locutus est.' *Bauer.*—13 Vulg. *Nec mihi filia in vita.*—14 Al. *renovata.*—15 *Virginia* Edd. a Venet. 1495. ad Drak.

NOTÆ

[a] *Mihi filia inulta*] Alias, *filia, in vita honorem ullum, &c.* correxit feliciter Schottus ex veteri libro. Sic quippe Virginius honores non in perpetuum recusat: sed id exigi quodammodo a filiæ manibus ostendit, ut, donec vindictam de illius injuria ceperit, omni honore abstineat.

[b] *Siccii cædis memoria revocata*] *Revocata* idem est ac renovata, repetita. Sic lib. III. 'Nec præsens omnium modo effusa lætitia est, sed per multos dies gratis et cogitationibus et sermonibus revocata.'

[c] *Ne comitiorum militarium prærogativam*] *Prærogativa* hic præjudicium significat, sive judicium eorum qui primi rogantur sententiam: *un prejugé.* Itaque ne, cum creandi essent postea decem tribuni plebis, comitia urbana sequeretur judicium comitiorum per tumultum a militibus illis habitorum, et sic excluderentur a tribunatu plebis qui aberant, atque ipse inprimis Icilius, qui huic magistratui inhiabat; dedit operam ut ab hoc altero exercitu Fidenis adveniente totidem tribuni militares eligerentur; etsi hic posterior exercitus impar esset legionum numero.

[d] *Pari potestate*] Ut summæ rerum præessent quemadmodum alii decem, et res administrarent; atque adhibitis in consilium centurionibus com-

sub signis,[e] mediaque urbe agmine in Aventinum pergunt. Ibi, conjuncti alteri exercitui, viginti tribunis militum negotium dederunt, ut ex suo numero duos crearent, qui summæ rerum præessent. M. Oppium, Sex. Manilium creant.[f] Patres, soliciti de summa rerum, cum senatus quotidie esset,[d] jurgiis sæpius terunt tempus, quam consiliis. Siccii cædes decemviris, et Appiana libido, et dedecora militiæ objiciebantur. Placebat, Valerium Horatiumque ire in Aventinum. Illi negabant se aliter ituros, quam si decemviri deponerent insignia magistratus ejus, quo anno jam ante abissent.[g] Decemviri, querentes se in ordinem cogi, non ante, quam perlatis legibus, quarum causa creati essent, depositurus imperium se aiebant.

52. Per M. Duilium,[h] qui tribunus plebis fuerat, certior facta plebs, contentionibus assiduis nihil transigi,[e] in Sacrum montem ex Aventino transiit; affirmante Duilio, [16] non prius, quam deseri Urbem videant, curam in animos Patrum descensuram.[i] Admoniturum Sacrum montem constantiæ plebis. Scituros, quod sine [16] restituta potestate [k]

[d] *Cum haberetur quotidie Senatus.* [e] *Nihil perfici.*

16 [l] *Scituros, quod, &c.* Cum loquendi ratio, *scio, quod* a Livianæ ætatis

NOTÆ

munia negotia tractarent.

[e] *Urbem intravere sub signis*] Distincti in legiones et manipulos, signa quisque sua secuti. Nos hodie diceremus, *tambour battant, enseignes déployées.*

[f] *M. Oppium, Sex. Manilium creant*] Illum ex eo exercitu qui ab Algido, hunc ex eo qui Fidenis advenerat. Hic Oppius diversus a Sp. Oppio decemviro, qui a collegis cum Appio Claudio relictus fuerat ut Urbi invigilaret.

[g] *Quo anno jam ante abissent*] Aut abire debuerant, finito nimirum tempore. Alterum hunc esse locum notat Glareanus, quo convincitur recte ab ipso annum tertium decemvirorum in chronologia sua sejunctum fuisse ab eo anno, quo L. Valerius et M. Horatius consules fuere. Verum ut anni partem sub eorum imperio exactam certum mihi videtur, ita totum annum tertium eos implevisse non puto. Quod autem Tacitus, initio Annalium, ait, decemviralem potestatem non ultra biennium valuisse, et quod Rufus Festus, sub initium Breviarii, consules defuisse sub decemviris annis duobus affirmat, de solidis atque integris annis accipi debet.

[h] *Per M. Duilium*] Alius is fuit a Cæsone Duilio decemviro, licet uterque plebeius.

[i] *Descensuram*] Id est, penetratu-

redigi in concordiam res nequeant.' Via Nomentana,[l] cui tum Ficulensi [17] nomen fuit, profecti, castra in monte Sacro locavere; modestiam patrum suorum nihil violando imitati. Secuta exercitum plebs, nullo, qui per ætatem ire posset, retractante.[m] Prosequuntur conjuges liberique, 'cuinam se relinquerent in ea urbe, in qua nec pudicitia, nec libertas sancta esset,'[n] miserabiliter rogitantes. Cum vasta Romæ omnia insueta solitudo fecisset, in foro præter paucos seniorum nemo esset; vocatis utique in senatum Patribus, desertum apparuisset forum; plures jam, quam Horatius et Valerius, vociferabantur,[o] 'Quid expectabitis, Patres conscripti? Si decemviri finem pertinaciæ non faciunt, ruere ac deflagrare omnia passuri estis? Quod autem

scriptoribus abhorreat, et in nonnullis codd. reperiatur *sciturosque sine*, J. F. Gronov. tentabat, *scituros, quam sine*, vel, *sciturosque, quam sine*. At melioris quoque ætatis scriptores loquendi formam *scio, quod*, haud repudiasse, probatum ivit Perizonius ad Sanctii Minerv. III. 14.' *Doering*. Conj.

NOTÆ

ram: loquendi forma post Ciceronem, ni fallor, nata; qua res in animum descendere dicitur, pro eo quod est pervadere, imbibi, penitus infigi.

[k] *Scituros, quod* [*quam*] *sine restituta potestate*] Recte sic legendum conjecit Rhenanus, non, ut vulgo, *scituros quod sine restituta potestate*. Nam illud *scio quod* auctorum ejus ævi non esse, quis cum Fr. Sanctio non videt? Mss. habent *sciturosque sine restituta potestate, &c.* quod inspecto sensu stare posset: potest etiam librariorum incuria irrepsisse *scituros quam, &c.* pro *sciturosque*.

Restituta potestate] Cum de rebus plebis agitur, Potestatis nomine significatur Tribunicia: eamque hic intelligit Duilius qui jam antea eandem gesserat. Sic lib. IV. ad Tribunos dicitur, *præclarum ipsis potestatique fore*.

[l] *Via Nomentana*] Via, qua ad Sacrum montem ibatur, a porta Viminali Ficuleam primum, deinde Nomentum ducebat, unde et Nomentana, et Ficulensis dicta, seu Ficulnensis.

[m] *Retractante*] Dicitur *retractare* dro detrectare, recusare: ut ex Columella, ipsoque Cic. probat Gronov. ad c. 49. hujus libri.

[n] *Nec libertas sancta esset*] Sanctam dicit pro tuta et inviolata: quandoquidem sanctæ res dicuntur quæ sanctione aliqua, et pœna in violatores constituta, munitæ sunt.

[o] *Plures jam, quam Horatius et Valerius, vociferabantur*] Videamus num hic subintelligendum sit, *magis, aut gravius quam Horatius*. Alias *plures quam Horatius et Valerius* mihi frigidius dictum videtur: quid enim mirum si in rebus adeo turbatis, ne dicam deploratis, vociferentur plures quam duo? Immo non duo, tresve, sed quamplurimi, sed Senatores universi hos clamores edebant.

istud imperium est, decemviri, quod amplexi tenetis?[f] Tectis ac parietibus jura dicturi estis? Non pudet, lictorum vestrorum majorem prope numerum in foro conspici, quam togatorum aliorum?[18] Quid, si hostes ad Urbem veniant, facturi estis? quid, si plebs mox, ubi parum secessione moveamur, armata veniat? Occasune Urbis vultis finire imperium? Atqui aut plebs non est habenda, aut habendi sunt tribuni plebis. Nos citius caruerimus patriciis magistratibus, quam illi plebeiis. Novam inexpertamque eam potestatem eripuere patribus nostris, ne nunc,[19] dulcedine semel capti, ferant desiderium:[p] cum præsertim nec nos temperemus imperiis, quo minus illi auxilii egeant.'[g] Cum hæc ex omni parte jactarentur, victi consensu decemviri, futuros se,[h] quando ita videatur, in potestate Patrum affirmant. Id modo simul orant ac monent,[q] ut ipsis ab invidia caveatur: nec suo sanguine ad supplicia Patrum plebem assuefaciant.

53. Tum Valerius Horatiusque, missi ad plebem condi-

[f] *Cui retinendo obstinate inhæretis.*

[g] *Et nos patricii non ita nobis temperemus in administrandis publicis dignitatibus, ut plebeii non indigeant ope tribunorum.*

[h] *Senatus arbitrio se staturos, jussisve obtemperaturos.*

Baner. *secuturos.* Vid. Not. Var.—17 Alii legunt *Ficulnensi.*—18 '*Aliorumque* Edd. ante Froben. ac deinde post Sigon. omnes præter Crevier. item Ms. Veith.' *Stroth.*—19 Vid. Not. Var.

NOTÆ

[p] *Ne nunc, dulcedine semel capti, ferant desiderium*] Non vulgari sed Latina tamen forma *ne* dixit, pro *nedum.* Vult enim tantum abesse ut plebs tribuniciæ potestatis jam expertæ, et cujus dulcedine capitur, desiderium ferre possit imposterum, ut nec potuerit antea impediri quo minus nondum cognitam extorqueret Senatui. Quam sententiam Gronov. observat a Livio expressam esse ex Cicerone lib. III. de Legibus: 'Sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem: quippe quam tantopere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita?'

[q] *Simul orant ac monent*] Eodem tempore quo promittunt se abdicaturos, hanc legem adjiciunt, et orantes sua ipsorum, et monentes omnium patriciorum causa, ut in concordia ineunda cautio interponatur, qua et ipsi nunc, et ordo universus in futurum a plebeiorum odio atque injuria tuti sint: alioqui suum exitium exemplo adversus reliquos futurum.

tionibus, quibus videretur, revocandam componendasque res, decemviris quoque ab ira et impetu multitudinis præcavere jubentur. Profecti gaudio ingenti plebis in castra accipiuntur; quippe liberatores haud dubie et motus initio, et exitu rei. Ob hæc [20] advenientibus gratiæ actæ. Icilius pro multitudine verba facit.[r] Idem, cum de conditionibus ageretur, quærentibus legatis, quæ postulata plebis essent, composito jam ante adventum legatorum consilio, ea postulavit, ut appareret, in æquitate rerum plus, quam in armis, reponi spei. Potestatem enim tribuniciam, provocationemque repetebant, quæ ante decemviros creatos auxilia plebis fuerant, et ne cui fraudi esset, concisse milites aut plebem ad repetendam per secessionem libertatem. De decemvirorum modo supplicio atrox postulatum fuit. Dedi quippe eos æquum censebant, vivosque igni concrematuros minabantur. Legati ad ea: ‘ Quæ consilii fuerunt,[s] adeo æqua postulastis, ut ultro vobis deferenda fuerint. Libertati enim ea præsidia petitis, non licentiæ ad impugnandos alios. Iræ vestræ magis ignoscendum, quam indulgendum est;[t] quippe qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis, et prius pæne, quam ipsi liberi sitis, dominari jam in adversarios vultis. Nunquamne quiescet civitas nostra a suppliciis, aut Patrum in plebem Romanam, aut plebis in Patres? Scuto vobis magis, quam gladio, opus est.[u] Satis superque humilis est, qui jure æquo in civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo. Etiam, si quando [1] me-

20 Addunt *iis* Edd. ante Drak.—1 In edd. vett. post *etiam* interpungitur: *patiendo etiam. Si quando.*

NOTÆ

[r] *Icilius pro multitudine verba facit*] Quid ita Icilius, cum non ille, sed M. Oppius et Sex. Manilius summæ rei præessent? nimirum facundia pollens jussus est ab aliis loqui.

[s] *Quæ consilii fuerunt*] Legati patriciorum dividunt plebeiorum postulata in duo genera; alia quæ ad ipsorum securitatem pertineant, concedi æquum putant, veluti sano consilio et jure petita; alia ex ira in decemviros profecta rejiciunt.

[t] *Iræ vestræ magis ignoscendum, quam indulgendum est*] Nota discrimen inter hæc duo verba: *ignoscere* est veniam dare et remittere, non permittere: *indulgere* est concedere atque obsequi.

tuendos vos præbituri estis, cum, recuperatis magistratibus legibusque vestris, judicia penes vos erunt de capite nostro fortunisque; tunc, ut quæque causa erit, statuetis. Nunc libertatem repeti satis est.'

54. Facerent, ut vellent, permittentibus cunctis, mox redituros se legati rebus perfectis affirmant. Profecti cum mandata plebis Patribus exposuissent, alii decemviri, quandoquidem præter spem ipsorum supplicii sui nulla mentio fieret, haud quicquam abnuere. Appius, truci ingenio et invidia præcipua, odium in se aliorum suo in eos metiens odio, 'Haud ignaro,'[z] inquit, 'imminet fortuna.[x] Video, donec arma adversariis tradantur, differri adversus nos certamen. Dandus invidiæ est sanguis.[i] Nihil ne ego quidem moror, quo minus decemviratu abeam.' Factum senatus consultum, 'Ut decemviri se primo quoque tempore magistratu abdicarent. Q. Furius[y] pontifex maximus[z] tribunos plebis crearet. Et ne cui fraudi esset[k] secessio mili-

Deponenda mihi vita est, ut odio publico satisfiat.
[k] *Ne cuiquam noceret.*

NOTÆ

[u] *Scuto vobis magis, quam gladio, opus est*] Satis vobis plebeiis esse debet si habeatis pacis conditiones quibus velut clypeo quodam tuti ab impetu adversariorum esse possitis: nec necesse est ut ea obtineatis quibus velut ense alios queatis lædere atque offendere.

[x] *Haud ignaro, inquit, imminet fortuna*] Sic veteres editiones, et Mss. quomodo paulo ante, 'haud ignari quanta invidiæ immineret tempestas.' Frustra itaque recentiores habent, *haud ignavo:* quod jactabundi est: illud fortis et impavidi.

[y] *Q. Furius*] Asconius hunc pontificem nominat M. Papirium; idque Sigonio probatur, quod Q. Furii nulla per hos annos mentio, M. Papirii multa.

[z] *Pontifex maximus*] Post abdicationem decemvirorum, cum nulli essent magistratus quibus auctoribus tribuni plebis creari possent, ejus rei facultas extra ordinem Pontifici Maximo delata est, quem Dionysius non solum maximarum rerum quæ ad sacra et religionem pertinerent judicem, sed et vindicem contumaciæ privatorum, ac magistratuum a Numa constitutum: Festus judicem atque arbitrum rerum divinarum atque humanarum fuisse tradit. Et vero eum, qui summum gereret pontificatum, alios prius majores magistratus gessisse oportebat, uti Sigonius advertit. Porro auctoritatem Pontificum probat quod eorum collegium alloqueus Cicer. in Orat. pro domo sua, 'eosdem,' ait, 'et religionibus Deorum immortalium, et summæ reip. præfuisse,' in quibusdam scilicet.

tum plebisque.' His senatus consultis perfectis, dimisso senatu, decemviri prodeunt in concionem, abdicantque se magistratu, ingenti hominum lætitia. Nuntiantur hæc plebi. Legatos, quicquid in Urbe hominum supererat, prosequitur. Huic multitudini læta alia turba ex castris occurrit. Congratulantur libertatem concordiamque civitati restitutam. Legati pro concione: 'Quod bonum, faustum, felixque sit vobis, reique publicæ, redite in patriam ad penates, conjuges, liberosque vestros: sed, qua hic modestia fuistis, ubi nullius ager in tot rerum usu[3] necessario tantæ multitudini est violatus, eam modestiam ferte in Urbem. In Aventinum ite, unde profecti estis. Ibi felici loco, ubi prima initia inchoastis libertatis vestræ, tribunos plebi[4] creabitis. Præsto erit pontifex maximus, qui comitia habeat.' Ingens assensus alacritasque cuncta approbantium fuit. Convellunt[5] inde signa,[a] profectique Romam certant cum obviis gaudio. Armati per urbem silentio in Aventinum perveniunt. Ibi extemplo, pontifice maximo comitia habente, tribunos plebis creaverunt, omnium primum A. Virginium,[6] inde L. Icilium,[b] et P. Numitorium avunculum Virginiæ, auctores secessionis. Tum C. Sicinium, progeniem[7] ejus,[c] quem primum tribunum plebis creatum in

2 Quidam libb. *Haud ignavo.*—3 Gronov. Doujat. Crevier. *usu rerum.*—4 *Plebis* Crevier.—5 '*Convertunt* Edd. a Rhenano ad Clericum; *convertuntur* Ms. Veith.' *Stroth.*—6 *L. Virginium* legendum monet Rupert. quod et dat

NOTÆ

[a] *Convellunt inde signa*] Retinenda Gronovio videtur vetus hæc lectio, adversus Rhenanum, cui placebat, *convertunt inde signa. Convelli signa* proprie dicuntur, cum incipiunt moveri e stativis ubi fixa fuerant, ut nunc in monte Sacro: *converti* autem, cum jam sublata sunt, vel in via retrocedendum est, vel in acie ab una in aliam partem incumbendum in hostes; quod pluribus exemplis ab Gronov. firmatur.

Convellunt] Cum sic haberent antiquæ editiones, et libb. Mss. nulla fuit ratio relinquendæ correctionis B. Rhenani, ex qua legebatur *convertunt.* Vid. J. F. Gronovium. *J. Clericus.*

[b] *A. Virginium, inde L. Icilium*] Virginius hic idem procul dubio fuit de quo ante, nimirum pater Virginiæ, ut Icilius sponsus, Numitorius avunculus, qui tres auctores fuere secessionis. Erratum igitur hic in prænomine Virginii, quem et Livius supra cap. 44. et Dionysius *Lucium* vocant, non *Aulum.*

Sacro monte, proditum memoriæ est; et M. Duilium, qui tribunatum insignem ante decemviros creatos gesserat, nec in decemviralibus certaminibus plebi defuerat.[d] Spe deinde magis, quam meritis, electi, M. Titinius,[8] M. Pomponius, C. Apronius, P. Villius,[9 e] C. Oppius. Tribunatu inito, L. Icilius extemplo plebem rogavit, et plebs scivit, ne cui fraudi esset secessio ab decemviris facta. Confestim de consulibus creandis cum provocatione M. Duilius rogationem pertulit. Ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc circum Flaminium appellant.

55. Per interregem deinde consules creati,[f] L. Valerius, M. Horatius,[10 * g] qui extemplo magistratum occeperunt.

Crevier.—7 Rhenano placebat *progenie*.—8 *Titinnius* Gronov. Doujat. Crevier.—9 Vulg. *Ap. Julius*.

10 ' *L. Valerius et M. Horatius* Rott. Voss. uterque. Flor. Gud. ignorant

NOTÆ

[c] *C. Sicinium, progeniem ejus*] C. Sicinius Bellutus auctor primæ secessionis, et inter primos quinque tribunos electus fuerat sub an. Urbis conditæ 261. quemadmodum annotavimus ad lib. II. cap. 32. et 33. Ejus hic filius, aut nepos.

[d] *Nec in decemviralibus certaminibus plebi defuerat*] Nam et secedendi extra Urbem paulo ante auctor fuerat, supra initio cap. 52.

[e] *P. Villius*] Ex conjectura Sigonii est, cum vulgo legeretur *Ap. Julius*. Appii quippe nomen non probat nisi in Sabinis, qualis App. Herdonius, aut Romanis ex Sabinorum gente ortis, ut in Claudiis. Julia vero gens, et patricia est, et sic per hæc tempora tribuniciæ potestatis expers, et nunquam Appii prænomine usa. At gens *Villia* plebeia, eique Publii prænomen familiare. Et *Villium* nomen per librariorum inscitiam sæpius in *Julium*, ac vice versa, mutatum deprehenditur. Meminisse tamen oportet non raro patriciorum libertos et clientes in patronorum nomen asciscitos, et ita fieri potuisse ut aliqui jam tum Julii plebeii essent.

[f] *Per interregem deinde consules creati*] Cur non referente Pontifice Maximo, qui jam comitiis tribuniciis præfuerat? An quia interregem Senatus dicebat, Pontifex Maximus ex collegio Pontificum a populo tributis comitiis deligebatur? idcirco auctore quidem Pontifice plebeios magistratus paribus comitiis creari passi sunt Senatores; consules non sunt passi, aut non licebat, quod hi majoribus sive centuriatis comitiis crearentur.

* A. U. C. 305.

[g] *L. Valerius, M. Horatius*] Ille filius erat Valerii qui Herdonium oppugnans occubuerat, nepos P. Valerii Poplicolæ qui reges expulerat; hic M. Horatii qui cum Poplicola adversus reges bellaverat nepos. Sed quo tempore consulatum iuierint, et quamdiu gesserint, non satis liquet. Ego Sigonii et Onuphrii sententiæ facile accesserim, qui ejusdem anni, quarti nimirum a S. Quintilii et P. Horatii consulatu, partem majorem

Quorum consulatus popularis sine ulla Patrum injuria, nec sine offensione[h] fuit. Quicquid enim libertati plebis caveretur, id suis decedere opibus credebant. Omnium primum, cum veluti in controverso jure esset,[i] tenerenturne Patres plebiscitis, legem centuriatis comitiis tulere, 'Ut, quod tributim plebes jussisset,[11 k] populum teneret.'[l] Qua lege tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum est. Aliam deinde consularem legem de provocatione, unicum præsidium libertatis, decemvirali potestate eversam, non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt, sanciendo novam legem,[12 l] 'Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet.[m] Qui creasset, eum jus fasque esset occidi:

[l] *Ut quod plebs tributis comitiis sanxisset, eo populus astringeretur universus.*

copulativam.' *J. F. Gronov.*—11 Vet. lib. ap. Sigon. *ut quod tribunus plebis*

NOTÆ

decemviris, reliquam his consulibus assignant. Id maxime suadent tum adverbia *confestim* et *extemplo*, quibus significatur, ni fallor, hos consules magistratum extra ordinem, et ante diem inchoasse, tum etiam eorundem triumphi in eum annum conjecti ab auctoribus Capitolinis.

[h] *Sine ulla Patrum injuria, nec sine offensione*] Injuriam quidem hi consules Senatui non fecerunt, cum plebi pristinum tantum jus restituerint, nihil novi attribuerint: incurrerunt tamen odium Senatus, cui dolebat plebeiis reddi ereptam decemvirorum opera tribuniciam potestatem, ac provocationem a consulibus ad populum.

[i] *Cum veluti in controverso jure esset*] Negabant hactenus patricii servandis plebiscitis se obstrictos, quæ a tribunis ferrentur tributis comitiis; non enim se teneri nisi iis legibus quas, patricio magistratu rogante, universus populus constituisset. Contra plebeii contendebant, quandoquidem ipsi servabant leges latas centuriatis comitiis, in quibus validiores essent patricii, ita æquum esse ut patricii eas servarent quæ ferrentur comitiis tributis, in quibus ipsi plus possent.

[k] *Tributim plebes jussisset*] Constitutum itaque referente Horatio consule, ut imposterum plebiscitorum quoque jure patricii tenerentur. Quæ tamen lex observata non fuisse videtur, cum longo post tempore, id est, an. U. C. 415. ea lex a Publilio Philone dictatore renovata sit, Livio teste lib. VIII. c. 12. quod indicio est minus tunc in usu fuisse. Quin adhuc anno 468. sedandæ tertiæ, in Janiculum, secessioni, opus fuit ab Hortensio dictatore legem tertio ferri, qua caveretur ut plebiscita pro legibus ab omnibus observarentur, auctore Plinio lib. XVI. c. 10. aliisque.

[l] *Sanciendo novam legem*] Legi vult Sigonius *nova lege*, cujus eadem vis. Ei adversari nolim; quanquam nihil est, quod alterum illud reprehendamus.

[m] *Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet*] Magistratum in-

neve ea cædes capitalis noxæ[13] haberetur.'[m] Et cum plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur,[14] (cujus rei prope jam memoria aboleverat,) relatis quibusdam ex magno intervallo cærimoniis, renovarunt;[n] et cum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, 'Ut, qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris[15] [o]

[m] *Ut ne homicidium ejusmodi haberetur pro crimine capitali.*

jussisset.—12 Legendum monet Sigon. ex vet. lib. *nova lege*, non male, judicibus J. F. Gronov. et Rupert.—13 Conj. Rupert. *noxa.*—14 Idem conj. *ipsi quoque tribuni ut sacrosancti v.*—15 'Vocem *decemviris*, quam ignorant plures vett. libb. jam Sigonius delendam censuit.' *Doering.* Conj. Bauer. *du-*

NOTÆ

tellige novum, necdum antea institutum: neque enim video hac lege dictatoribus ademtum jus pristinum. Idque his opinor de causis, tum quod non nisi rebus afflictis, nec ultra semestre crearentur; tum quod certis legibus quasi ligata esset eorum potestas: neque enim dictatori equum, nisi ad bellum ituro, conscendere fas erat; ullosve ex ærario sumtus injussu patrum, vel populi, facere: tum denique quod eo magistratu vix quisquam ante L. Cornelium Syllam abusus ad licentiam fuerit.

[n] *Renovarunt*] Quid *renovarunt?* an ex superioribus repetemus *legem?* An jus pristinum? An potius ablativo in accusandi casum mutato verbum illud referemus ad *cærimonias?* Sic certe planus erit sensus. *Tribunis plebis, ut sacrosancti viderentur, &c. Relatas quasdam ex magno intervallo cærimonias renovarunt:* id est, in gratiam tribunorum pl.

[o] *Tribunis plebis, ædilibus, judicibus, decemviris*] Vox *decemviris* abest a veteribus libris, inquit Sigonius, cui non videtur necessaria: est enim ridiculum, inquit, plebem cavisse decemviris, quos perosa judicio est prosecuta. Sed neque hanc legem plebs tributis comitiis, sed populus omnis centuriatis tulit. Quod ad decemvirorum nomen attinet, ex mea sententia decemviri vocantur hoc loco ipsi tribuni plebis: qui cum initio quinque tantum fuissent, ante paucos annos decem creari cœperant, et nunc id agebatur ut eo numero semper crearentur. Idcirco necesse erat denarii numeri mentionem hac nova lege fieri, quod priores sacratæ leges non nisi ad receptum tunc numerum quinarium referrentur. Itaque ne quid ambiguitatis superesset in hac legis formula, quatuor diversis nominibus designantur iidem tribuni plebis, quod scilicet his diversis vocabulis aliquando appellati erant, aut appellabantur adhuc. Dicuntur igitur primum *tribuni*, usitato maxime titulo; deinde *ædiles*, quoniam ædium sacrarum cura, aliaque ædilitii officii ad tribunos primario spectabant: ædiles enim plebis eis hac in re adjuncti velut ministri eorum, auctore Dionysio lib. VI. Tertio tribuni *judices* nominantur, communi magistratuum appellatione: nam ut prætorum, ita et judicum nomine, quicumque potestatem aliquam habebant, intelligebantur: atque ipsi adeo consules,

nocuisset, ejus caput Jovi sacrum[p] esset:† familia ad ædem[16] Cereris,[q] Liberi, Liberæque[r] venum iret.' Hac lege juris interpretes negant quenquam sacrosanctum esse:[s] sed

NOTÆ

quos initio prætores dictos, Varro ac Festus observarunt. Sed et judicum nomen consulibus quoque tum Noster mox hoc ipso capite, tum Cic. tribuit lib. III. de Legib. ubi de illis creandis legem recitat: 'Regio imperio duo sunto, iique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules appellantor.' Ipsis etiam ædilibus, qui ministri, et ex parte quodammodo socii tribunorum erant, judicum nomen initio attributum testatur Dionys. Denique decemvirorum nomine tribuni vocantur, ex numero: quo pacto decemviri legibus scribundis, decemviri stlitibus judicandis, decemviri epulonum. Synonimis porro seu pluribus vocabulis ejusdem rei significandæ causa velut coacervatis offendetur nemo, qui veterum legum, Senatusconsultorum, fœderum formulas noverit.

p *Ejus caput Jovi sacrum*] Significat imprecatione quadam fulmini destinatum: de sacrando seu devovendo flagitiosorum capite, dictum lib. II. cap. 8.

† *Caput Jovi sacrum esset*] Posset impune occidi. Vide ad l. II. c. 8. *J. Clericus.*

q *Familia ad ædem Cereris*] Familia pro bonis, ut in actione familiæ erciscundæ, id est, dividendæ hæreditatis. Dionysius Cereri dicata memorat ab initio eorum bona qui tribunum violassent; sed solius Cereris facit mentionem, ideo quia in eodem templo cum illa Liber et Libera colebantur.

r *Liberi, Liberæque*] Liberi cognomen Baccho impositum vult Scholiastes Juvenalis ad Sat. XIV. quod is Bœotiæ 'civitates liberas' fecisset, ideoque tanquam libertatis vindex coleretur. Alii eodem sensu Liberum patrem dictum putant, quo 'libera vina' apud Horat. quod bene poti liberius agant et loquantur. *Liberæ* nomen aliqui Cereri attribuunt: sed cum ante Livius Cererem nominaverit, *Liberæ* vocabulo intelligenda hic ejus filia Proserpina. Ut apud Ciceron. VI. Verr. 'Raptam esse,' inquit, 'Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore.' Ea soror fuit Bacchi sive Liberi quem Romani consecrarunt, non Semele natum, sed Cerere. Ceterum Cereri, Libero, Liberæque templum commune in extremo Circo maximo, supra ipsos carceres situm, quod A. Postumius Latino bello voverat, dicavit. Cassius iterum consul an. 261. auctoribus Dionys. lib. VI. et Tacito II. Annal. Sed Dionysius, τῆς Δήμητρος, καὶ Διονύσου, καὶ Κόρης vocabulis usus est: unde apparet Proserpinam, sive Liberam, Coram quoque appellatam, id est, puellam.

s *Hac lege juris interpretes negant quenquam sacrosanctum esse*] Nam ut ait Cicero pro Corn. 'Sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebsve sanxisset,' palam nempe jussisset sanctione sua ut sacrum esset. 'Sanctiones autem sacrandæ,' adjicit Tull. (ego *sacrandi* legerim, id est, sanctiones quibus res sacrantur) 'sunt aut genere ipso, aut consecratione legis, aut pœnæ, cum caput ejus, qui contra facit, sacratur.' Primus modus ad honorem cultumque rei quæ in sacrarum numero jure communi haberi soleat; secundus ad dignitatem ejus, quod speciatim atque extra ordinem consecratur, et sacrum de-

eum,[17] qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri.[t] Itaque ædilem prehendi ducique a majoribus magistratibus:[u] quod etsi non jure fiat, (noceri enim ei, cui hac lege non liceat,) tamen argumentum[18] esse, non haberi pro sacrosancto ædilem: tribunos vetere jure jurando plebis,[x] cum

umviris.—16 'Vide ne quis *ædem* de suo addiderit.' *Sigon.*—17 Pro *sed eum* rescribendum suspicatur Brendelius, *et eum.* Vid. Not. inf. et Not. Var.—

NOTÆ

claratur; tertius ad execrationem seu detestationem hominis malefici pertinet. Ut igitur tribuni sancti essent, id est, legis sanctione muniti, sacri proprie non fuere, cum nec in genere rerum sacrarum essent, nec lege ipsa nominatim consecrati: longe minus pœnæ causa devoti.

[t] *Sed eum, qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri*] Rhenani correctio est: antea, *sed eum qui Deorum cuiquam nocuerit id ad sacrum sanciri.* Sigonius: *sed caput ejus qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum esse, id sanciri.* Gronovius testatur in melioribus codicibus scribi: *sed eum qui eorum cui nocuerit, id ad sacrum sanciri.* Legi ipse vult mitiore conjectura: *sed ejus qui eorum cui nocuerit, caput sacrum sanciri.* Ita lib. II. 'Sacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia inisset.' Itemque lib. x. cap. 38. Leviori adhuc mutatione legi sic posset, *sed cum quis cui nocuerit, id sacrum sanciri,* id est, juberi ut id pro nefario scelere habeatur.

[u] *Ædilem prehendi ducique a majoribus magistratibus*] Minores hi magistratus ædiles et quæstores a privato in jus vocari posse docet Varro apud Gellium lib. XIII. c. 13. Et ædiles illi plebeii (neque enim adhuc curules in usu) ministri potius erant tribunorum, ut paulo ante demonstravi, quam magistratus. Et si quid dignitatis in ædium, locorum publicorum, aut annonæ cura, id in tribunis plebis, velut in capite ac radice, residebat, quorum jussu ædiles judicasse docet Dionysius. Eaque de causa ædilium nomine ipsos tantum tribunos in renovanda sacrata lege intelligi censebam; falsumque auctorem suspicabar, cum hic ædiles minores ad partes vocat. Nam jus prehensionis in hos ædiles ab eodem memoratum, eos nequaquam sacrata lege comprehensos fuisse satis probat: et id actum apparet ut securitati tribunorum plebis duntaxat caveretur. Itaque ut alibi non raro, ita hoc loco in juris morisque antiqui minutiis labi facile potuit Livius. Prudentis peritique lectoris esto judicium. Id tantum moneo, non esse quod in hoc Catonis auctoritati multum deferamus, qui apud Festum, in voce 'sacrosanctum,' dicitur affirmare tribunos plebis, ædilesque ejusdem ordinis (plebeios nempe) sacrosanctos dici. Etenim id cum juris controversi esset, oratione pro ædilibus eam in rem nominatim habita, probare contendebat, non tam ex vero, quam ut causæ serviret. Neque id valere potest ad confirmandam Livii sententiam, qui sacrosanctos negat.

[x] *Tribunos vetere jure jurando plebis*] Non solo jurejurando, quod nonnisi plebem jurantem potuisset obstringere: sed lata palam sacrata lege priore. Didicimus enim ex Cic. in Orat. pro Corn. sacrosanctum nihil esse posse, nisi quod per populum

primum eam potestatem creavit, sacrosanctos esse. Fuere, qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege consulibus quoque et prætoribus,[y] quia iisdem auspiciis,[z] quibus consules, crearentur, cautum esse; judicem enim consulem appellari. Quæ refellitur interpretatio, quod his temporibus nondum consulem judicem, sed prætorem,[a] appellari mos fuerit. Hæ consulares leges fuere. Institutum etiam ab iisdem consulibus, ut senatus consulta in ædem Cereris[b] ad ædiles plebis deferrentur; quæ antea[19] arbitrio consu-

18 Conj. Rupert. *argumento*.—19 *Ante* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

plebemve sancitum est. De cujus tamen vi variatum inter juris auctores innuit antea Livius, plerisque negantibus sacrosanctos ex ea esse tribunos, aliis cum vulgo sacrosanctos censentibus. Qui forte in concordiam adduci poterunt, si dixerimus, ex eo quidem legis capite, quo qui eis nocuisset sacer esse jubebatur, ipsos sacrosanctos haud fuisse: hoc enim caput pœnam adversus eorum violatores continebat: sed sacrosanctos fuisse ex alio capite, quod a Dionysio refertur, quo scilicet vetabatur ne quis eos violare auderet, sive ne quis tribunum invitum cogeret, verberaret, occideret, aut cogi, verberari, occidive juberet.

[y] *Consulibus quoque et prætoribus*] Id quidem ratio, ducto a minori ad majus argumento, postulabat: sed factum non legitur: et consules, utpote patricios magistratus, penes quos, sive sub communi judicum, sive sub prætorum nomine, summa rerum esset, majestate sua satis tutos, atque inviolatos fore crediderunt. Prætores qui jus redderent in Urbe nondum ulli erant: unde ad eos nulla ratione referri lex poterat.

[z] *Iisdem auspiciis*] Non eodem die, sed paribus auspiciis, paribusque comitiis centuriatis, quæ semper auspicato fieri debebant, prætores creari mos fuit, postquam hic magistratus a consulum officio avulsus est. Tribuni autem et ædiles comitiis tributis creabantur.

[a] *Judicem, sed prætorem*] Unde hoc Livius hauserit libenter discerem. Eosdem dictos fuisse consules et prætores ostendi jam ex Cicerone; potestque ex Varrone confirmari apud Nonnium Marcellum c. 1. num. 61. Judices quoque appellatos docet hic post Ciceronem Livius. Sed prætorum prius quam judicum titulo cognitos dubito.

[b] *Senatus consulta in ædem Cereris*] Cœperunt hoc tempore Senatusconsulta ad ædem Cereris, de qua paulo ante diximus, deferri, ut ibi cura ædilium plebis servarentur: posterioribus temporibus, ut in æs incisa erant, in ærarium illata, quod erat in æde Saturni; et modo per quæstores ærarii, modo per alios præfectos custodiri solita cum aliis publicis tabulis, uti colligitur ex Cicer. præsertim Philipp. v. ex Suet. in Aug. et ex Tacito lib. III. Annal. Dio id muneris inter ædiles et tribunos communicat, quod scilicet ædiles tribunorum quasi ministri essent. Ab his imperante Augusto translatum ad quæstores ait, penes quos deinde magna ex parte mansit; videndus Tacit. lib. XIII. Annal.

lum supprimebantur vitiabanturque. M. Duilius deinde tribunus plebis plebem rogavit, plebesque scivit: 'qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur.'[n] Hæc omnia ut invitis, ita non adversantibus, patriciis transacta; quia nondum in quenquam unum sæviebatur.

56. Fundata deinde et potestate tribunicia, et plebis libertate, tum tribuni aggredi singulos tutum maturumque jam rati, accusatorem primum Virginium et Appium reum deligunt. Cum diem Appio Virginius dixisset, et Appius, stipatus patriciis juvenibus, in forum descendisset; redintegrata extemplo est omnibus memoria fœdissimæ potestatis, cum ipsum satellitesque ejus vidissent. Tum Virginius, 'Oratio,' inquit, 'rebus dubiis inventa est. Itaque neque ego accusando apud vos eum tempus teram, a cujus crudelitate vosmet ipsi[20] armis vindicastis; nec istum ad cetera scelera impudentiam in defendendo se adjicere patiar. Omnium igitur tibi, Ap. Claudi, quæ impie nefarieque per biennium[c] alia super alia es ausus, gratiam facio. Unius tantum criminis, ni judicem dices,[1 d] te ab libertate in servitutem contra leges vindicias non dedisse, in vincula te duci jubeo.'[2] Nec in tribunicio auxilio Ap-

[n] *Virgis cæsus, securi percuteretur.*

20 Vet. lect. *vosmetipsos.*—1 Vid. Not. inf. et Not. Var.—2 Conj. Rupert.

NOTÆ

[c] *Quæ impie nefarieque per biennium*] Hunc tertium locum Glareanus notat, quo planum fieri ait Valerii Horatiique consulum annum sejunctum a tertio decemvirorum, quo per tyrannidem privati regnarunt. Id tamen hinc necessario non sequitur: 1. quidem quod biennium primum hic intelligi videtur, quo Appius cum primis decemviris anno uno, cum secundis anno altero magistratum gesserat: præterea, etsi biennium a secundis decemviris creatis numeres, necesse non est secundum annum impletum esse; ut biennium oratorie dicatur.

[d] *Unius tantum criminis, ni judicem dices*] Alias legebatur apud Rhenanum: *Unius tantum criminis, nisi judicem vindices te:* quod sequitur etiam Sigonius: hoc sensu, nisi te a judicio unius criminis liberes; seu potius, ut Gronovius explicat, a crimine unius judicii, a te scilicet redditi. Sed meliores codices habent, *Unius tantum criminis ni judicem dices:* quod notavit probavitque Cl. Putean. quasi *judicem dicere* respondeat alteri formæ

pius, nec in judicio populi ullam spem habebat. Attamen et tribunos appellavit; et, nullo morante, arreptus a viatore, 'Provoco,' inquit. Audita vox una vindex libertatis, ex eo missa ore, quo vindiciæ nuper ab libertate dictæ erant,[o] silentium fecit. Et, dum pro se quisque, 'Deos tandem esse, et non negligere humana,' fremunt, 'et superbiæ crudelitatique, etsi seras, non leves tamen venire pœnas; provocare, qui provocationem sustulisset; et implorare præsidium populi, qui omnia jura populi obtrisset;[e] rapique in vincula egentem jure libertatis, qui liberum corpus in servitutem addixisset:' ipsius Appii, inter concionis murmur fidem populi Romani implorantis, vox audiebatur. Majorum merita in rem publicam domi militiæque commemorabat: 'suum infelix erga plebem Romanam studium, quod æquandarum legum causa cum maxima offensione Patrum consulatu abisset: suas leges, quibus manentibus lator earum in vincula ducatur. Ceterum sua propria bona malaque,[3] cum causæ dicendæ data facultas sit, tum se experturum.[p] In præsentia se communi jure civitatis civem Romanum die dicta postulare, ut dicere liceat, ut judicium populi Romani experiri. Non ita se invidiam pertinuisse, ut nihil in æquitate et misericordia civium suorum spei habeat. Quod si indicta causa in vincula ducatur, iterum se tribunos plebei appellare, et monere, ne imitentur, quos oderint. Quod si tribuni eodem fœdere obligatos se fateantur tollendæ appellationis causa, in quam[4] conspirasse decemviros criminati sint; ait se

[o] *Possessio temporaria paulo ante contra libertatem data fuerat, lite pendente.*
[p] *Se tunc in judicio expositurum.*

jubebo.—3 Idem conj. *malave.*—4 'Pro *in quam* forte leg. *in quod,* sc. fœdus,

NOTÆ

judicem ferre: hoc accusatoris sit, illud rei. Hanc nunc electionem Appio permittebat Virginius, ut apud dictum a se judicem conaretur probare, si posset, se vindicias secundum servitutem non dedisse, contra quam legibus cautum esset. Confirmatur hæc lectio et sententia ex eo quod cap. prox. idem Virginius ait, 'Judicem illi ferre.'

[e] *Obtrisset*] Pro *obtrivisset.*

provocare[f] ad populum: implorare leges de provocatione et consulares et tribunicias, eo ipso anno latas. Quem enim provocaturum, si hoc indemnato,[5] indicta causa, non liceat?[q] cui plebeio et humili præsidium in legibus fore, si Ap. Claudio non sit? se documento futurum, utrum novis legibus dominatio, an libertas firmata sit: et appellatio provocatioque adversus injuriam magistratuum ostentata tantum inanibus literis,[r] an vere data sit.'

57. Contra ea[6] Virginius, unum Ap. Claudium et legum expertem et civilis et humani fœderis[g] esse, aiebat. 'Respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum: ubi decemvir ille perpetuus, bonis, tergo, sanguini civium infestus, virgas securesque omnibus minitans, Deorum hominumque contemtor; carnificibus, non lictoribus, stipatus, jam ab rapinis et cædibus animo ad libidinem verso, virginem ingenuam in oculis populi Romani, velut bello captam, ab complexu patris arreptam, ministro cubiculi sui clienti dono dederit: ubi crudeli decreto nefandisque vindiciis dexteram patris in filiam armaverit: ubi, tollentes corpus semianime virginis, sponsum avunculumque[7] in carcerem duci jusserit; stupro interpellato magis, quam cæde, motus. Et illi carcerem ædificatum esse, quod domicilium plebis Romanæ vocare sit solitus.[h] Proinde, ut ille iterum ac sæpius provocet, sic se iterum ac sæpius ju-

[q] *Si id non permittatur ei qui nec damnatus est, nec causam dixit.*
[r] *Legibus frustra atque ad ostentationem scriptis, ac nuper instauratis.*

et deinde cum Gronoviis *ait* vel plane delendum, vel reponendum *at*. Voc. *causa* post *appellationis* bene abfuerit, judice Bauero, ut genitivus a *fœdere* pendeat.' *Rupert.* *In quod* malit quoque Doering.—5 Vet. lib. apud Sigon. *si huic indemnato.*

6 *Ea* del. Grut. Gronov. Doujat. Crevier. all.—7 *Tollentem corpus sem.*

NOTÆ

[f] *Ait se provocare*] Illud *ait* Gronovio suspectum, et sine dubio abundat, Appiique orationem interscindit.

[g] *Expertem et civilis et humani fœderis*] Societatis, quæ non modo inter cives ejusdem civitatis, sed inter omnes homines intercedit.

[h] *Domicilium plebis Romanæ vocare sit solitus*] Ita Cicero Lautumias sive carcerem Syracusanum in imperio Verris 'domicilium civium Romanorum' fuisse queritur Verr. v.

dicem illi ferre, ni vindicias[8 i] ab libertate in servitutem dederit. Si ad judicem non eat, pro damnato in vincula duci jubere.' Ut haud quoquam improbante, sic magno motu animorum, cum tanti viri supplicio suamet plebi jam nimia libertas videretur, in carcerem est conjectus.[k] Tribunus ei diem prodixit.[l] Inter hæc ab Latinis et Hernicis legati gratulatum de concordia Patrum ac plebis Romam venerunt; donumque ob eam Jovi optimo maximo coronam auream in Capitolium tulere parvi ponderis, prout res haud opulentæ erant, colebanturque religiones pie magis, quam magnifice. Iisdem auctoribus cognitum est, Æquos Volscosque summa vi bellum apparare. Itaque partiri provincias consules jussi. Horatio Sabini, Valerio Æqui Volscique evenere.[9] Cum ad ea bella delectum edixissent, favore plebis non juniores modo, sed emeritis etiam stipendiis,[10] pars magna voluntariorum, ad nomina danda præsto fuere. Eoque non copia modo, sed genere etiam militum, veteranis admixtis, firmior exercitus fuit. Prius quam Urbem egrederentur, leges decemvirales, quibus 'tabulis duodecim' est nomen,[m] in æs incisas[n] in publico proposue-

virg. sponsum avumque Ms. Veith.—8 Legendum mouet Sigon. *vindicias ne.*—9 Vulg. *Valerio Æqui evenere.*—10 In Ms. Veith. est, *sed emeriti stipendiis.*

NOTÆ

[i] *Ni vindicias*] Legendum pronuntiat Sigonius *vindiciasne*, hoc sensu: se ferre illi judicem qui videat, vindicias illa contra libertatem dederit necne. Negat merito Gulielmius, cui astipulabitur quivis jurisprudentiæ elementis tantisper imbutus. Certum quippe est veterem omnium fere sponsionum, omniumque exceptionum, formulam ab hac particula *ni* incipere. Supra cap. 24. 'ni ita esset multi ferebant Volscio judicem.'

[k] *In carcerem est conjectus*] In eundem, quem ipse antea ædificaverat. Creditur carcer ille eo loco fuisse ubi nunc templum Sancti Nicolai. Non igitur Appio vades dandi data copia est, quod scilicet nefarium compertumque omnibus esset ipsius scelus.

[l] *Diem prodixit*] Causæ dicendæ tempus ad certam diem prorogavit, sive distulit. Neque enim statim damnabatur accusatus, quod exemplo Coriolani, Appii Claudii, Cæsonis Fabii probari potest; sed dabatur ei trinundinum, quo se ad defensionem compararet.

[m] *Leges decemvirales, quibus tabulis duodecim est nomen*] Quid opus nunc duodecim tabulas opera jussuve consulum denuo proponi, cum decem primæ tabulæ a decemviris anni primi, duæ postremæ a decemviris anni

runt.[11] Sunt, qui jussu tribunorum ædiles functos eo ministerio scribant.

58. C. Claudius, (qui, perosus decemvirorum scelera, et ante omnes fratris filii[o] superbiæ infestus, Regillum, antiquam in patriam,[p] se contulerat,) is magno jam natu,[s] cum ad pericula ejus deprecanda redisset, cujus vitia fugerat, sordidatus cum gentilibus clientibusque in foro prensabat singulos; orabatque, [t] Ne Claudiæ genti eam inustam maculam vellent, ut carcere et vinculis viderentur digni: virum,[12] honoratissimæ imaginis futurum ad posteros,[t] legum latorem conditoremque Romani juris, jacere vinctum inter fures nocturnos ac latrones. Averterent ab ira parumper ad cognitionem cogitationemque animos: et potius unum tot Claudiis deprecantibus condonarent, quam propter unius odium multorum preces aspernarentur. Se quoque id generi ac nomini dare, nec cum eo in gratiam redisse, cujus adversæ fortunæ velit succursum. Virtute libertatem recuperatam esse: clementia concordiam ordinum stabiliri

[s] *Jam valde provecta ætate.*

[t] *Virum, cujus imago in stemmate Claudiæ gentis futura esset posteris in maximo honore.*

—11 Conj. Rupert. *reposuerunt.*

NOTÆ

secundi promulgatæ fuissent, ut constat ex c. 34. et 37. exque Dionys. extremo lib. x. Has postremas leges a decemviris compositas, aut etiam propositas, non tamen a populo comprobatas, puto: nisi malis nunc a consulibus, non ut auctoritatem acciperent, sed ut in usum producerentur, propositas. Diodorus vult, quod decem tabulis deerat, id consules supplevisse, et in foro inter rostra ante curiam confixisse.

[n] *In æs incisas*] Hæc maxime recepta opinio ex Liv. Dionys. Diod. Sed Pomponius J. C. eboreas fuisse ait has tabulas, seu leges in ebore scriptas: ubi sunt qui *roboreas* legant. Potuere primum, exemplo legum Atticarum, ligno, aut etiam ebori inscriptæ promulgari: ubi autem publicatæ fuerunt, æternitati consecrandæ, ut in communi ac perpetuo usu essent, tunc in æs incidi. Apud Dionysium tamen lib. x. primæ ipsæ decem tabulæ in columnas æreas incisæ memorantur. Huncque morem fuisse, ut quemadmodum Senatusconsulta, sic leges, plebiscita, fœdera, ceteraque mansura, in tabulis æreis scriberentur, ex Cic. Ovidio, et aliis probari potest.

[o] *Fratris filii*] Fratris filius est. Gall. *Neveu du côté du frere.*

[p] *Regillum, antiquam in patriam*] V. I. II. c. 16.

posse.' Erant, quos moveret sua magis pietate, quam ejus, pro quo agebat, causa. Sed Virginius, 'sui potius ut misererentur,' orabat, 'filiæque: nec gentis Claudiæ, regnum in plebem sortitæ,[q] sed necessariorum Virginiæ et[13] trium tribunorum[r] preces audirent; qui, ad auxilium plebis creati, ipsi plebis fidem atque auxilium implorarent.' Justiores hæ lacrymæ videbantur. Itaque, spe incisa,[u] priusquam prodicta dies adesset, Appius sibi mortem conscivit.[s] Subinde arreptus a P. Numitorio Sp. Oppius, proximus invidiæ,[14] quod in Urbe fuerat, cum injustæ vindiciæ a collega dicerentur. Plus tamen facta injuria Oppio, quam non prohibita, invidiæ fecit. Testis productus, qui, septem et viginti enumeratis stipendiis, octies extra ordinem donatus, donaque ea gerens in conspectu populi, scissa veste tergum laceratum virgis ostendit, nihilum deprecans, 'quin, si quam suam noxam reus dicere posset, privatus iterum in se sæviret.' Oppius quoque ductus in vincula est, et ante judicii diem finem ibi vitæ fecit. Bona Claudii Oppiique tribuni publicavere. Collegæ eorum exilii causa solum verterunt. Bona publicata sunt. Et M. Claudius, assertor Virginiæ, die dicta damnatus, ipso remittente Virginio ultimam pœnam,[t] dimissus Tibur exulatum abiit: Manesque Virginiæ,[u] mortuæ quam vivæ felicioris,[15] [x] per

[u] *Ablata spe omni.*

12 In Ms. Veith. est, *neve virum.*—13 *Et* del. Edd. ante Ald. Rhenan. Crevier.—14 *Invidiæ proximus* Gronov. Doujat. Crevier.—15 Vet. lect. *feliciores.*

NOTÆ

[q] *Regnum in plebem sortitæ*] Quæ scilicet, quasi sorte accepisset jus regnandi in plebem, ita ei solita erat insultare.

[r] *Necessariorum Virginiæ et trium tribunorum*] Tres illi tribuni necessitudine aliqua cum Virginia conjuncti, L. Virginius pater, P. Numitorius avunculus, L. Icilius sponsus, c. 54. indicati fuere.

[s] *Appius sibi mortem conscivit*] Ita quidem credi voluerunt tribuni, eum sibi laqueo vitam ademisse: multi tamen eorum jussu in carcere occisum suspicabantur.

[t] *Remittente Virginio ultimam pœnam*] Quod M. ille Claudius se non sponte, sed coactum ab Appio, Virginiam vindicasse diceret. Ceterum eum non a Virginio, sed ab Icilio accusatum Dionysius tradit.

[u] *Manesque Virginiæ*] Loquitur ex

tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relicto sonte tandem quieverunt.

59. Ingens metus incesserat Patres, vultusque jam iidem tribunorum erant, qui decemvirorum fuerant, cum M. Duilius tribunus plebis, inhibito salubriter modo nimiæ potestatis,[16] [y] 'Et libertatis,' inquit, 'nostræ et pœnarum ex inimicis satis est.[17] Itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in vincula duci quenquam sum passurus. Nam neque vetera peccata repeti jam obliterata placet, cum nova[18] expiata sint decemvirorum suppliciis; et nihil admissum iri, quod vim tribuniciam desideret, spondet perpetua consulum amborum in libertate vestra tuenda cura.' Ea primum moderatio tribuni metum Patribus demsit, eademque auxit consulum invidiam; quod adeo toti plebis fuissent,[r] ut Patrum salutis libertatisque prior plebeio magistratui, quam patricio, cura fuisset; et ante inimicos satietas pœnarum suarum cepisset, quam obviam ituros licentiæ eorum consules appareret. Multique erant, qui mollius consultum dicerent,[19] [z] quod legum ab iis latarum Patres

[r] *Quod consules ita se totos plebi addixissent.*

16 'Forsan leg. cum Gronov. *potestati.*' Rupert.—17 'Mallem, si liceret, *et libertatis nobis, et pœnarum e. i. s. est.*' Doujat.—18 Voss. uterque, Rott. Flor. Helm. *cum et nova.*—19 In Ms. Veith. est, *qui mollius consilium dic.*

NOTÆ

Platonis sententia, qui III. de Legibus docet, interfectum interfectori proxime post mortem irasci, eumque terrere atque turbare. Sic Clytæmnestræ et Agrippinæ Manes ab Oreste ac Nerone, sic aliorum ab aliis, pœnas necis suæ exegisse, non theatra modo, sed historiæ testantur.

[x] *Mortuæ quam vivæ felicioris*] Antea *feliciores.* Emendavit Guilielmius ex vet. cod. Busbequii: nam manes mortuorum sunt, vivorum genii.

[y] *Inhibito salubriter modo nimiæ potestatis*] *Modus*, id est, mensura et ratio rei cujusque, potest vel justos excedere terminos, vel intra eos consistere. *Inhibendi* quoque verbum aliquando sumitur pro coërcere, ac reprimere; aliquando pro adhibere, sive ponere. Componitur enim *inhibeo* ex *habeo* et *in*, quæ præpositio ponitur et pro *ad*, et pro *contra*. Itaque si cui placet vulgata lectio *modo nimiæ potestatis*, significabitur *potestatis tribuniciæ* mensuram nimis ultra suos limites vagari prohibitam a Duilio. Gronovii autem correctio *potestati* modum positum ac definitum indicabit, parum absimili sententia.

[z] *Qui mollius consultum dicerent*] Dicebant plerique patricii Senatum ni-

auctores fuissent. Neque erat dubium, quin, turbato rei publicæ statu, tempori succubuissent.[y]

60. Consules, rebus urbanis compositis, fundatoque plebis statu, in provincias diversi abiere.[z] Valerius adversus conjunctos jam in Algido exercitus Æquorum Volscorumque sustinuit consilio bellum.[a] Quod si extemplo rem fortunæ commisisset, haud scio, an (qui tum animi ab decemvirorum infelicibus auspiciis Romanis hostibusque erant) magno detrimento certamen staturum fuerit.[b] Castris, mille passuum ab hoste positis, copias continebat. Hostes medium inter bina castra spatium acie instructa complebant : provocantibusque ad prælium[a] responsum Romanus nemo[20] reddebat. Tandem fatigati stando, ac nequicquam expectando certamen, Æqui Volscique, postquam concessum propemodum de victoria[b] credebant, pars in Hernicos, pars in Latinos prædatum abeunt. Relinquitur magis castris præsidium, quam satis virium ad certamen : quod ubi consul sensit,[1] reddit illatum antea terrorem, instructaque acie ultro hostem lacessit. Ubi illi, conscientia quid abesset virium,[c] detractavere pugnam, crevit extemplo Ro-

[y] *Nec vero videbatur ambigendum, quin hæ leges, patriciis plebi obsistentibus, tempore ipso evanuissent, si quando status reip. in turbido versaretur.*

[z] *In diversa loca profecti sunt.*

[a] *Consulto distulit pugnam, sive prudenter abstinuit a committendo certamine.*

[b] *Prout tunc utrique, hinc Romani, inde hostes, ob res anno superiore a decemviris male, sive inauspicato, gestas, affecti atque animati erant, non satis scio, immo potius verisimile censeo futurum ut prælium nostris magno damno constaret.*

[c] *Cum sibi essent conscii, quantæ copiæ abessent.*

20 Vet. lib. ap. Sigon. *Romanorum nemo.*—1 *Sensit consul* Gronov. Doujat.

NOTÆ

mis ignava consilia secutum esse, qui auctoritatem suam accommodasset legibus per consules latis in gratiam plebis, ordinisque sui perniciem ac dedecus.

[a] *Provocantibusque ad prælium*] Gall. *Comme ils presentoient la bataille.*

[b] *Concessum propemodum de victoria*] Victoriam sibi a Romanis fere cedi: *Que les Romains leur cedoient presque la Victoire.* Sic quoque Cicero XII. ad Att. Ep. 46. 'Etsi de cupiditate nemini concedam :' id est, quod ad cupiditatem et voluntatem nemini cedam: *à l'égard du desir je ne le quitterois, je ne le cederois à personne.*

manis animus, et pro victis habebant paventes intra vallum.[d] Cum per totum diem stetissent intenti ad certamen, nocti[2] cessere:[e] et Romani quidem pleni spei corpora curabant. Haudquaquam pari hostes animo nuntios passim trepidi ad revocandos prædatores dimittunt. Recurritur ex proximis locis; ulteriores non inventi.[f] Ubi illuxit, egreditur castris Romanus, vallum invasurus, ni copia pugnæ fieret. Et, postquam multa jam dies erat,[c] neque movebatur quicquam ab hoste, jubet signa inferri[d] consul. Motaque acie, indignatio Æquos et Volscos incessit, si victores exercitus[e] vallum potius, quam virtus et arma tegerent.[3] Igitur et ipsi efflagitatum ab ducibus signum pugnæ accepere. Jamque pars egressa portis erat, deincepsque alii servabant ordinem, in suum quisque locum descendentes,[f] cum consul Romanus prius, quam totis viribus fulta constaret hostium acies,[g] intulit signa: adortusque nec omnes dum eductos,[4] nec, qui erant, satis explicatis ordinibus, prope fluctuantem turbam trepidantium huc atque illuc, circumspectantiumque se ac suos,[g] addito turbatis mentibus cla-

[d] *Pavidos intra castra hostes jam victos judicabant.*

[e] *Ubi nox advenit, excessere loco, in quo totum diem steterant.*

[f] *Hostium qui in proxima loca prædatum ierant, reversi sunt in castra; qui in longinquiora, non potuerunt intra illius noctis spatium conquiri et moneri.*

[g] *Et aggressus hostes, cum nondum omnes essent educti castris, et cum ii qui jam educti erant nondum ordines plene explicassent, elato a militibus clamore, factaque vehementi impressione, ut eorum animis jam perturbatis terrorem ingeminaret, irruit in eorum non confertas copias, sed turbam, utpote qui trepidi in diversas partes inclinarent, fluctuumque modo agitarentur, nec hostes, sed se ipsos sociosque respicerent.*

Crevier.—2 *Nocte* Gronov. Doujat.—3 *Contegerent* iid.—4 *Nec dum omnes*

NOTÆ

[c] *Multa jam dies erat*] Gall. *Il étoit grand jour, et rien ne bougeoit du côté de l' ennemi.*

[d] *Jubet signa inferri*] Gall. *Il commande l'attaque :* milites quippe sub signis prælium inibant.

[e] *Si victores exercitus*] Si duo exercitus Æquorum et Volscorum, qui anno proximo Romanos vicerant.

[f] *Servabant ordinem, in suum quisque locum descendentes*] Gall. *Ils se mettoient en bataille, et prenoient leurs rangs à mesure qu'ils sortoient de leur Camp.*

[g] *Prius, quam totis viribus fulta constaret hostium acies*] Gall. *Avant que toute l'armée ennemie fut entierement rangée en bataille.*

more[5] atque impetu, invadit. Retulere primo pedem hostes. Deinde, cum animos collegissent, et undique duces, 'victisne cessuri essent,' increparent, restituitur pugna.

61. Consul ex altera parte Romanos 'meminisse' jubebat, 'illo die primum liberos pro libera urbe Romana pugnare. Sibimet ipsis victuros, non ut decemvirorum victores præmium essent.[h] Non Appio duce rem geri, sed consule Valerio, a liberatoribus populi Romani orto, liberatore ipso. Ostenderent, prioribus præliis per duces, non per milites, stetisse, ne vincerent. Turpe esse, contra cives plus animi habuisse, quam contra hostes; et domi, quam foris, servitutem magis timuisse. Unam Virginiam fuisse, cujus pudicitiæ in pace periculum esset: unum Appium civem periculosæ libidinis. At, si fortuna belli inclinet, omnium liberis ab tot millibus hostium periculum fore. Nolle ominari,[h] quæ nec Jupiter, nec Mars pater passuri sint iis auspiciis conditæ urbi accidere.' Aventini Sacrique montis admonebat,[i] 'ut, ubi libertas parta esset paucis ante mensibus, eo imperium illibatum referrent; ostenderentque, eandem indolem militibus Romanis post exactos decemviros esse, quæ ante creatos fuerit; nec, æquatis legibus, imminutam virtutem populi Romani esse.' Hæc ubi inter signa peditum dicta dedit; avolat[6] deinde ad equites, 'Agite, juvenes,' inquit, 'præstate virtute peditem,[k] ut honore atque ordine præstatis. Primo concursu pedes

[h] *Non autem ut ipsi postquam vicissent decemviris præda fierent.*

eductos Vet. lib. ap. Sigon.—5 *Addito, turbatis mentibus, clamore* distinguendum monet Duk.

NOTÆ

[h] *Nolle ominari*] Non libet, inquiebat, augurari mala, quæ urbi impenderent, sed quæ fore ut Jupiter et Mars, Romuli conditoris nostri pater, ab hac civitate felicibus auspiciis condita avertant, neque ei accidere sinant, spero, optoque. Mos quippe Romanus ea quæ mali essent ominis dicere aut facere sedulo vitabat.

[i] *Admonebat*] Gall. *Il les faisoit souvenir.*

[k] *Præstate virtute peditem*] *Præstare* pro antecellere, non tantum cum dativo, sed aliquando etiam cum accusativo jungitur, ut hic et apud Quintilianum lib. I. c. 1. 'præstat tamen ingenio alius alium.'

movit hostem. Pulsum vos, immissis equis, exigite e campo. Non sustinebunt impetum: et nunc cunctantur magis, quam resistunt.' Concitant equos,† permittuntque in hostem,[l] pedestri jam turbatum pugna: et perruptis ordinibus elati ad novissimam aciem, pars libero spatio circumvecti, jam fugam undique capessentes plerosque a castris avertunt, præterequitantesque absterrent.[i] Peditum acies, et consul ipse, visque omnis belli fertur in castra; captisque cum ingenti cæde, majore præda potitur.[k] Hujus pugnæ fama perlata non in urbem modo, sed in Sabinos ad alterum exercitum. In urbe lætitia modo celebrata est; in castris animos militum ad æmulandum decus accendit. Jam Horatius eos, excursionibus sufficiendo,[m] præliisque levibus experiundo, assuefecerat sibi potius fidere,[l] quam meminisse ignominiæ decemvirorum ductu acceptæ; parvaque certamina in summam totius profecerant spei. Nec cessabant Sabini, feroces ab re priore anno[n] bene gesta,[m]

[i] *Ordines hostium per vim aperiendo, ad extremam eorum aciem invecti sunt. Quidam excurrendo hinc inde qua patebat liber campus, effusi circum fugaces, et juxta eos equitando, prohibent, ac deterrent eorum plerosque quo minus in castra se recipiant.*

[k] *Per fugam hostium, tota moles, ut ita dicam, certaminis defertur in ipsorum castra: quibus magna cum cæde captis, consul præda potitur majori quam pro modo cædis sperandum videretur.*

[l] *Effecerat ut assiduo velitandi usu viribus suis jam confiderent.*

[m] *Ob bellum egregie gestum anno proximo.*

NOTÆ

† *Concitant equos*] Sed ubi erat Volscorum Æquorumque equitatus? Forte prædatum iverat. Sed alibi sæpe Livius perinde quasi hostes Romanorum equitatu fuissent destituti loquitur. *J. Clericus.*

[l] *Permittuntque in hostem*] Equum permittere aut admittere est impellere, eique laxatis ac remissis habenis liberam procurrendi facultatem concedere. Gall. *Le pousser à toute bride, courir à bride abbatue.*

[m] *Excursionibus sufficiendo*] Vereor ne *sufficere* hoc loco sumatur pro inficere, imbuere, ut sit *excursionibus* prius *exercendo* idoneos efficere. Metaphora ducta a tinctoribus, qui colores non statim vividos et mansuros lanæ pannisve incoquunt, sed ad eos levioribus antea præparant. Qua ratione Cicero in Hortensio: 'Sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam.'

Excursionibus sufficiendo] Si hic locus sit sanus, sensus est, suppeditando milites iis qui excursiones in hostile solum facere vellent: qua ratione exercitabantur milites. *J. Clericus.*

[n] *Priore anno*] Inculcat Glareanus, quartum hunc esse locum ex quo ostenditur, tertium decemvirorum annum, quo in tyrannide fuerunt, alium

lacessere atque instare, rogitantes, ‘ Quid latrocinii modo procursantes pauci recurrentesque[7] tererent tempus, et in multa prælia parvaque carperent summam unius belli?[n] Quin illi congrederentur acie, inclinandamque semel fortunæ rem darent?’

62. Ad id, quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur.[o] ‘ Jam alterum exercitum victorem in urbem rediturum; sibi ultro per contumelias hostem insultare. Quando autem se, si tum non sint, pares hostibus fore?’ Ubi hæc fremere militem in castris consul sensit, concione advocata, ‘ Quemadmodum,’ inquit, ‘ in Algido res gesta sit, arbitror vos, milites, audisse. Qualem liberi populi exercitum decuit esse, talis fuit. Consulto[8] collegæ,[o] virtute militum victoria parta est. Quod ad me attinet, id consilii animique habiturus sum, quod vos[9] mihi effeceritis. Et trahi bellum salubriter, et mature perfici potest. Si trahendum est, ego, ut in dies spes virtusque vestra crescat, eadem, qua institui, disciplina efficiam. Si jam satis animi est, decernique placet, agitedum, clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hic, indicem voluntatis virtutisque vestræ.’ Postquam ingenti alacritate clamor est sublatus, ‘ Quod bene

[n] *Victoriam belli, quod ex se unum erat, carptim dividerent pluribus exiguis prœliis.*

[o] *Prœterquam quod ultro Romani animos jam satis firmaverant, inflammabantur etiam ad pugnandum indignis Sabinorum increpationibus.*

6 *Advolat* Edd. ante Drak. et Ms. Veith.—7 Vet. lib. ap. Sigon. *recursantesque.*

8 ‘ E paucis Mss. formam minus usitatam *consultu* recepere Gronov. et Drak.’ *Rupert.* Vid. Not. Var.—9 Inserunt *milites* Edd. ante Drak. ‘ Pro *effeceritis* vetus quidam codex apud Gronovium, *feceritis,* quod rectius vide-

NOTÆ

esse ab hoc anno, quo Valerius et Horatius consules fuerunt. Sed reponitur, diversos annos dici a Sabinis posse, quod bellum adversus eos a decemviris æstate priore gestum fuerit; post Idus Maias ab Horatio consule nunc gereretur, verno tempore anni sequentis ante Idus Maias: et sic utrorumque gesta unius anni curriculum non excedere.

[o] *Consulto* [*Consultu*] *collegæ*] Alias *consilio collegæ.* Illud elegit Gronovius ex melioribus codicibus: idque exemplis confirmat.

vertat, gesturum se illis morem, posteroque die in aciem deducturum,'[10 p] affirmat. Reliquum diei apparandis armis consumtum est. Postero die simul instrui Romanam aciem Sabini videre, et ipsi, jam pridem avidi[11] certaminis, procedunt. Prælium fuit, quale inter fidentes sibimet ambo exercitus, veteris perpetuæque alterum gloriæ,[12 q] alterum nuper nova victoria elatum. Consilio etiam Sabini vires adjuvere. Nam cum æquassent aciem,[r] duo extra ordinem millia, quæ in sinistrum cornu Romanorum in ipso certamine impressionem facerent, tenuere. Quæ ubi, illatis ex transverso signis, degravabant prope circumventum cornu;[p] equites duarum legionum sexcenti fere[s] ex equis desiliunt,[13] cedentibusque jam suis provolant in primum;[t] simulque et

[p] *Postquam illæ Sabinorum cohortes a latere immissæ, adeo urgere cœperunt cornu lævum Romanorum, ut fere undique conclusum obrueretur.*

tur.' *Doering.*—10 Malit J. F. Gronov. *educturum.*—11 Vulg. *et ipsi jam avidi.*—12 'Post *gloriæ* excidisse *avidum*, (quod in vet. lib. legitur) conj. Sigon. et *memoria* (quod præstat) Stroth.' *Rupert.* In ed. Kreyssig. est *perpetuæque victoriæ alterum gloria, alterum, &c.*—13 Vet. lib. ap. Sigon. *sexcenti fere propere ex equis desiliunt.*

NOTÆ

[p] *In aciem deducturum*] Gronovius mavult *educturum*, auctoritate Livii lib. VII. 'addidit et aliam fidentis speciem, quod prior in aciem eduxit.' Sed non idcirco damnaveris *deducere in aciem*, quia educere recte dicatur: *educere* est e castris, quod sine pugna non raro fit; *deducere* in locum prælii, atque animo præliandi, qua de re hic agebatur.

[q] *Veteris perpetuæque alterum gloriæ*] Romanum exercitum vetere perpetuaque gloria clarum intelligit; eadem loquendi forma qua dicimus hominem antiquæ probitatis. Nec est quod Sigonius addat *avidum;* quod tantum abest ut desideretur, ut, si scriptum esset, redundaturum sit. Quid enim est *veteris gloriæ avidum*, nisi adjicias *recuperandæ?*

[r] *Cum æquassent aciem*] Cum Sabini sic aciem instruxissent, ut omni ex parte ejus facies esset æquata, speciemque præberet omnium copiarum in his ordinibus stantium; duo millia suorum extra ordinem habuerunt in subsidiis, quæ inito jam prælio in sinistrum cornu Romanorum impetum facerent.

[s] *Sexcenti fere*] Id est, totus duarum legionum equitatus: nam ut plurimum legio quaternis millibus peditum, ac trecentis equitibus constabat.

Equites duarum legionum sexcenti] Unicuique legioni erant decem tricenariæ turmæ, ut pluribus ostendit J. Lipsius de Militia Rom. l. II. Dial. 6. *J. Clericus.*

[t] *Provolant in primum*] In primum locum procurrunt, ubi scilicet pugnabatur. Ita lib. X. cap. 14. 'Ni se-

hosti se opponunt, et, æquato primum periculo, pudore deinde animos peditum accendunt. Verecundiæ erat,[u] equitem suo alienoque Marte pugnare: peditem ne ad pedes quidem degresso equiti parem esse.

63. Vadunt igitur in prælium ab sua parte omissum; et locum, ex quo cesserant, repetunt: momentoque non restituta modo pugna, sed inclinatur etiam Sabinis cornu. Eques inter ordines peditum tectus[14] se ad equos recipit. Transvolat inde in partem alteram, suis victoriæ nuntius; simul et in hostes jam pavidos, quippe fuso suæ partis validiore cornu, impetum facit. Non aliorum eo prælio virtus magis enituit. Consul providere omnia, laudare fortes, increpare, sicubi segnior pugna esset. Castigati fortium statim virorum operam[15] edebant:[x] tantumque hos pudor, quantum alios laudes excitabant. Redintegrato clamore, undique omnes connisi hostem avertunt, nec deinde Romana vis sustineri potuit. Sabini, fusi passim per agros, castra hosti ad prædam relinquunt. Ibi non sociorum, sicut in Algido,[y] res, sed suas Romanus, populationibus

14 *Tectus* forte delendum notat Duk. Drak. conjicit *tutus*.—15 Al. *opera*.

NOTÆ

cunda acies jussu consulis in primum successisset.'

[u] *Verecundiæ erat*] Pudebat ea de causa pedites, quod fortitudinem equitum, qui non tantum suo more ex equis pugnabant, sed omissis equis, ex quibus descenderant, jam alieno (peditum nempe ipsorum) more prælium pedibus inibant, ne sic quidem æquare ipsi possent.

[x] *Fortium virorum operam edebant*] Scribit cum pluribus Mss. Gronov. *operam edebant:* sic enim Noster lib. v. 'An si ad calculos eum resp. evocet, non merito dicat, Annua æra habes, annuam operam ede?' Eam loquendi formam Veteribus in usu fuisse pro eo quod dicimus vulgo *Faire l'ouvrage, faire la fonction, ou rendre le service que l'on doit à quelqu'un.* Qui quidem sensus non videtur a mente Auctoris abhorrere, ut velit tantum milites minus strenuos, ubi increparentur, fortium virorum statim operam præstitisse; *ils agissoient et se comportoient en gens de cœur;* non tamen eos idcirco sequitur fortium virorum opera, et præclara facinora statim repræsentasse, *faisoient des coups de valeur, et des actions extraordinaires,* quod sane plus est.

[y] *Non sociorum sicut in Algido*] Æqui et Volsci ad Algidum victi Hernicorum et Latinorum, qui Romanorum socii, agros populati erant, supra cap. 38. et 60. at Sabini ipsum agrum Romanorum, eod. cap. 38.

agrorum amissas, recipit. Gemina victoria duobus bifariam præliis parta, maligne senatus in unum diem supplicationes[z] consulum nomine decrevit. Populus injussu et altero die frequentes iit supplicatum. Et hæc vaga popularisque supplicatio studiis prope celebratior fuit. Consules ex composito eodem biduo[a] ad urbem accessere, senatumque in Martium campum evocavere. Ubi cum de rebus ab se gestis agerent, questi primores Patrum, senatum inter milites dedita opera terroris causa haberi. Itaque inde consules, ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis est, (jam tum[16] Apollinarem[b] appellabant,) avocavere senatum. Ubi cum ingenti

—16 *Circum jam tum* Edd. ab Ald. ad Drak. *Est, circum Apollinarem appellabant* Ms. Veith. Conj. J. F. Gronov. *Appollinar.* Vid. Not. Var.

NOTÆ

[z] *Maligne senatus in unum diem supplicationes*] Rebus feliciter gestis decerni solitæ gratulationis causa supplicationes ad templa Deorum, sive ad omnia pulvinaria, *de sacrifices, et des prieres publiques:* sed hoc maligne, quod cum duæ ex diversis hostibus victoriæ essent reportatæ, non nisi in unum diem indictæ erant supplicationes, cum de more pro unaquaque victoria, non modo unius, sed posterioribus temporibus sæpe plurium dierum supplicatio decerneretur: adeo ut decem dierum supplicatio Pompeio decreta sit confecto Mithridatico bello; Cæsari quindecim, immo ut ipse tradit, viginti postea dierum.

[a] *Eodem biduo*] Eodem tempore, ut unus pridie, alter postridie ad Urbem accederet.

[b] *Jam tum Apollinarem*] Apud Aldum aliosque eum secutos est, *circum jam tum Apollinarem.* Et vero Circus eo loco postea fuit, Flaminius dictus, a C. Flaminio censore ducentis fere post annis exstructus, quem et Apollinarem dixere, ab vicina æde Apollinis. Sed non *jam tum.* Prata erant Flaminia, ut extremo cap. 54. testatur Livius. Illud *jam tum* referendum quidem videretur ad Circum, si jam eo tempore Circus ibi fuisset, qui tunc Apollinaris, postea Flaminius dictus est: a quo Circo nomen deinde accepit regio Urbis IX. tum extra Urbem, neque enim magistratibus qui triumphum peterent mœnia ingredi licebat. Sed vocem illam *Circum* in Mss. desiderari Rhenanus notavit: *Apollinarem*, vel, ut Gronov. mavult, nescio an recte, *Apollinar*, refer ad ædem illam Apollinis.

Jam tum Apollinarem] Legebatur *circum jam tum;* sed cum ostenderit Gronovius additam fuisse ab Aldo vocem *circum*, cumque a codicibus et editionibus antiquioribus absit, delevimus. Nihil opus est contextum mendosum edere, ut lector hærens cogatur ad notas confugere, quas legere interdum operæ pretium non est. *J. Clericus.*

consensu Patrum negaretur triumphus,[c] L. Icilius tribunus plebis tulit ad populum de triumpho consulum, multis dissuasum prodeuntibus, maxime C. Claudio vociferante, 'De Patribus, non de hostibus, consules triumphare velle; gratiamque pro privato merito in tribunum, non pro virtute honorem, peti. Nunquam ante de triumpho per populum actum, semper æstimationem arbitriumque ejus honoris penes senatum fuisse. Ne reges quidem majestatem summi ordinis imminuisse. Ne ita omnia tribuni potestatis suæ implerent,[d] ut nullum publicum consilium sinerent esse. Ita demum liberam civitatem fore, ita æquatas leges, si sua quisque jura ordo, suam majestatem teneat.' In eandem sententiam multa et a ceteris senioribus Patrum cum essent dicta, omnes tribus eam rogationem acceperunt.[e] Tum primum, sine auctoritate senatus, populi jussu triumphatum est.

64. Hæc victoria tribunorum plebisque prope in haud salubrem luxuriam vertit,[q] conspiratione inter tribunos facta, ut iidem tribuni reficerentur, et, quo sua minus cupiditas emineret,[r] consulibus quoque continuarent magistratum. Consensum Patrum causabantur,[f] quo per contumeliam

[q] *Deflexit in damnosam petulantiam.*
[r] *Ut ambitio ipsorum minus appareret.*

NOTÆ

[c] *Negaretur triumphus*] Et hoc maligne; castris quippe tam Æquorum et Volscorum, quam Sabinorum, non sine ingenti cæde ac præda captis, credibile est plus quinque millibus hostium utrobique cæsa, quod ad triumphi honorem desiderabatur, auctoribus Valer. Max. lib. II. c. 8. et Dione lib. XXXVII. Sed hæc ex odio patrum in hos consules nimis populares.

[d] *Ne ita omnia tribuni potestatis suæ implerent*] Ne scilicet tribuni potestatem suam ad omnia porrigerent, ejusque prætextu ita sibi cuncta arrogarent, atque ad se traherent.

[e] *Omnes tribus eam rogationem acceperunt*] Uti rogaverat L. Icilius tribunus plebis de triumpho L. Valerii et M. Horatii, omnes tribus suffragiis suis ita jusserunt; factumque ea de re plebiscitum, non habita ratione eorum quæ a C. Claudio, aliisque Senatoribus, dicta essent. Hi ergo primi omnium injussu Senatus triumpharunt.

[f] *Consensum Patrum causabantur*] Eam ambitioni suæ causam prætexebant, quod patriciorum factione subnixi superiorum annorum consules jura plebis assiduis contumeliis et vexationibus infregissent; cui incommodo nulla ratione alia melius obviam iri posset, quam si consules et tri-

consulum jura plebis labefacta essent. 'Quid futurum, nondum firmatis legibus, si novos tribunos per factiones suas consules adorti essent? Non enim semper Valerios Horatiosque consules fore, qui libertati plebis suas opes postferrent.' Forte quadam utili ad tempus,[17] ut comitiis præesset,[g] potissimum M. Duilio sorte evenit, viro prudenti,[s] et ex continuatione magistratus invidiam imminentem cernenti. Qui cum ex veteribus tribunis negaret ullius se rationem habiturum,[h] pugnarentque collegæ, ut liberas tribus[i] in suffragium mitteret, aut concederet sortem comitiorum collegis, habituris e lege potius comitia, quam ex voluntate Patrum; injecta contentione, Duilius, consules ad subsellia accitos cum interrogasset, quid de comitiis consularibus in animo haberent, respondissentque, se novos consules creaturos, auctores populares sententiæ haud popularis nactus,[k] in concionem cum

[s] *Casu quodam ad tempus accommodato factum est ut M. Duilio viro prudenti præ ceteris sors habendorum comitiorum potius evenerit, quam ulli collegarum.*

17 Vet. lib. ap. Sigon. *ad id tempus.*—18 '*Auctores popularis sententiæ haud populares nactus* in omnibus libris inepte legi jam videre Klock. Drak. et

NOTÆ

buni, qui nunc concordibus animis utilitatem plebis curabant, in suo quisque magistratu permanerent, donec firmatis legibus res in tuto collocatæ essent. Possemus et *contumeliam consulum* passive accipere: ut vellent periculosum plebi esse, quod Valerio et Horatio triumphus consensu patrum negatus esset: futurum enim ut hac contumelia, quæ consulibus popularibus illata esset, novi consules segniores fierent ad tuendam plebem; atque ita novis tribunis per factiones suas negotium facesserent.

[g] *Ut comitiis præesset*] Comitia intellige tribunicia, creandorum nempe tribunorum causa. Neque enim plebeio magistratui tribuno, qualis erat Duilius, licuit consularibus comitiis præesse, ut quæ majorum magistratuum creandorum propriis auspiciis haberentur.

[h] *Cum ex veteribus tribunis negaret ullius se rationem habiturum*] Aiebat Duilius, si quis ex tribunis, qui magistratu abibant, iterum suffragiis creatus esset, fore ut ipse neminem eorum renuntiaret.

[i] *Pugnarentque collegæ ut liberas tribus*] Reliqui tribuni plebis a Duilio contendebant, ut sine ulla conditione permitteret tribubus suffragia sua libere in quoscumque vellent, etiam in prioris anni tribunos, ferre: aut certe ut ipse remissa comitiorum habendorum sorte, quæ illi obtigerat, eo munere abstineret, jusque illud in collegas transferret.

[k] *Auctores populares sententiæ haud popularis nactus*] Cum inveniret extra

iis processit. Ubi cum consules, producti ad populum, interrogatique, si eos populus Romanus, memor libertatis per illos receptæ domi, memor militiæ rerumque gestarum,[19] consules iterum faceret, quidnam facturi essent, nihil sententiæ suæ mutassent;[1] collaudatis consulibus, quod perseverarent ad ultimum dissimiles decemvirorum esse, comitia habuit: et, quinque tribunis plebis creatis, cum præ studiis aperte petentium novem tribunorum alii candidati tribus non explerent,[m] concilium dimisit; nec deinde comitiorum causa habuit. Satisfactum legi aiebat,[n] quæ, numero nusquam præfinito tribunis, modo[20] ut relinquerentur, sanciret; et ab iis, qui creati essent, cooptari collegas juberet. Recitabatque rogationis carmen,[o] in quo,[1] ' Si tribunos plebei decem rogabo,[p] si

Stroth. quorum emendationem recepi.' *Rupert.*—19 ' *Memor militiæ rerumque gestarum.* Hoc *que* Jac. Gronovio et Drakenborchio displicebat: sed nescio, cur ἓν διὰ δυοῖν admitti nequeat. Sin minus, vel *que* delendum, vel transpositis vocibus legendum esset: *rerumque memor militiæ gestarum.* In Ms. Veith. pariter ac in cod. Neapolitano ap. Latininm legitur: *receptæ, domi memor militiæque rerum gestarum,* nisi quod in Neapol. non extat *memor.*' Stroth.—20 *Præfinito, tribuni modo, &c.* edd. ante Ald. prob. Duk.—1 ' *In quo.* Int. scriptum erat.

NOTÆ

plebeium ordinem aliquos auctores suæ sententiæ quæ natura sua popularis erat, utpote juris morisque retinens, de magistratibus scilicet non reficiendis, seu continuandis.

[1] *Nihil sententiæ suæ mutassent*] Horatius nempe et Valerius perstabant in priori sua sententia, creandi novos consules, nec prorogandi sibi ipsis eam dignitatem.

[m] *Alii candidati tribus non explerent*] Sigonius, recte opinor, *tribus non explere* interpretatur, non posse legitimum suffragiorum numerum ferre, quod alibi dixit Noster, ' legitima suffragia non conficere:' etenim a majori tribuum parte candidatum quemque nominari oportebat, ut renuntiari posset: atque ita desiderabantur hoc tempore tredecim tribuum suffragia: postquam autem tribuum numerus ad 35. excrevit, necesse erat in unum quemque concurrere suffragia octodecim tribuum. Intelligenda enim hic sunt comitia tributa, utpote creandis tribunis plebis. Unde nihil erat quod ambigeret Glareanus num *tribus* pro *classe* diceretur a Livio. Porro ex eo quod initio concionis consules extra ordinem a Duilio vocati comitiis interfuerint, non sequitur eos comitia peregisse.

[n] *Satisfactum legi aiebat*] Intelligitur, opinor, lex quam ipse Duilius anno superiori tulerat, c. 55. cujus et Diodorus Siculus meminit lib. XII. ut tribuni plebis, anno magistratus sui exacto, mox alios in annum sequentem designarent.

[o] *Rogationis carmen*] Varie vexatus a Rhenano, Glareano, Sigonio locus, quo continetur *carmen,* id est, verba

qui vos minus hodie decem tribunos plebei feceritis; hi tum uti, quos[2] sibi collegas cooptassint, ut illi legitimi eadem lege tribuni plebei sint, ut illi, quos hodie tribunos plebei feceritis.' Duilius, cum ad ultimum perseverasset, negando quindecim tribunos plebei rem publicam habere posse, victa collegarum cupiditate, pariter Patribus plebique acceptus, magistratu abiit.

65. Novi tribuni plebis in cooptandis collegis Patrum voluntatem foverunt. Duos etiam patricios consularesque, Sp. Tarpeium et A. Aterium,[3] [q] cooptavere. Consules creati, Lar. Herminius,[4] T. Virginius Cælimontanus,[5] * nihil magnopere ad Patrum aut plebis causam inclinati, otium domi ac foris habuere. L. Trebonius[r] tribunus plebis, infestus Patribus, quod se ab iis in cooptandis tribunis fraude captum, proditum a collegis, aiebat, rogationem tulit, 'ut qui plebem Romanam tribunos plebi[6] rogaret, is

Vox *erat* etiam in nonnullis Mss. aperte habetur.' *Stroth.*—2 '*Si quos minus hodie decem tribunos plebei fecerint* Gronov. Crevier. all. *Si tribunos plebis fecerint decem rogabo. Si qui vos minus hodie decem tribunos plebis fecerint* edd. vett. *Feceritis, notum uti quos* Ms. Veith.' *Idem.* Vid. Not. Var.

3 Vulg. *A. Æternium.*—4 Vulg. *Sp. Herminius.*—5 Alii *Cœlimontanus.*—

NOTÆ

ipsa legis, de tribunis creandis latæ. Hanc quidam interpretantur pro ea quæ de duplicando numero tribunorum plebis lata fuerat an. U. C. 297. Q. Minutio, C. Horatio consulibus, supra c. 30. Alii probabilius ipsius Duilii legem de necessitate creandorum tribunorum intelligunt.

p *Si tribunos plebei decem rogabo*] Verba sunt tribuni ad populum legem ferentis: ut si ipse decem tribunos plebis creandos proposuerit; et nihilominus quacumque ratione factum fuerit, ut minus quam decem ea die a populo legitimis suffragiis creentur; ut iis, qui legitime facti fuerint, alios sibi collegas usque ad numerum denarium cooptare liceat, qui ab eis sic cooptati, non minus jure facti censeantur quam quos ipse populus creaverit. Sed hanc collegarum cooptandorum facultatem, quam tribuni ab initio habuisse videntur, ut supra lib. II. c. 33. sustulit anno sequenti lex Trebonia.

q *Sp. Tarpeium, et A. Aterium*] Consules ambo fuerant anno 300. sup. c. 31. Nunc itaque primum patriciis delatus tribunatus plebis, cujus hactenus exsortes fuerant ex lege post secessionem primam constituta mutuo ordinum consensu, sup. lib. II. c. 33.

* A. U. C. 306.

r *L. Trebonius*] Hic, legis Treboniæ auctor, e numero quinque tribunorum fuit suffragiis tribuum creatorum: queritur enim in aliis quinque cooptandis se deceptum. Illius legem supra interpretati sumus.

usque eo rogaret, dum decem tribunos plebi faceret;'[t] insectandisque Patribus, unde Aspero etiam inditum est cognomen, tribunatum gessit. Inde M. Geganius Macerinus et C. Julius, consules facti,* coitiones[7] tribunorum,[s] adversus nobilium juventutem ortas, sine insectatione potestatis ejus, conservata majestate Patrum, sedavere. Plebem, decreto[8t] ad bellum Volscorum et Æquorum delectu, sustinendo rem, ab seditionibus continuere; urbano quoque otio foris omnia tranquilla esse affirmantes, per discordias civiles externos tollere animos.[u] Cura pacis concordiæ quoque intestinæ causa fuit. Sed alter semper ordo gravis alterius modestiæ erat. Quiescenti plebi ab junioribus Patrum injuriæ fieri cœptæ. Ubi tribuni auxilio humilioribus essent, in primis parum proderat:[9] deinde ne ipsi quidem inviolati erant, utique[u] postremis mensibus, cum et per coitiones potentiorum injuria fieret, et vis potestatis omnis aliquanto posteriore anni parte languidior ferme esset: jamque plebs ita in tribunatu ponere aliquid spei, si similes Icilio tribunos haberet: nomina[10] tantum[x] se bien-

[t] *Ut magistratus, qui ad plebem Rom. de creandis tribunis plebis referret, tamdiu suffragia exquireret, donec decem creati essent.*
[u] *Externis hostibus animum crescere.*

6 *Plebei* Crevier. *plebis* Doujat. hic et inf.—7 'Al. *contentiones*, et perperam *conciones*.' Rupert.—8 Vulg. *sedavere plebem decreto*.—9 Ms. Veith. *parum proderant*, et mox *contiones potentiorum*.—10 *Nomine* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

* A. U. C. 307.

[s] *Coitiones tribunorum*] Mss. habent *conciones*. Non probat Sigonius, *conciones ortas:* ideoque vel repugnantibus priscis, *coitiones* vel *contentiones* reponit: quod vitio quidem caret: sed vereor ut ea de causa omnium codicum fides convelli debeat. *Conciones ortas* ego quidem absolute non dixerim: sed *conciones tribunorum adversus nobilium juventutem ortas* non multo magis damnaverim, quam 'tibi a me nulla est orta injuria:' quod Terentius dixit; aut 'facinus ex te ortum,' quod Plauti est.

[t] *Plebem, decreto, &c.*] Hic est, ni fallor, sensus: consules, continendo plebem metu delectus ob bellum Volscorum et Æquorum indicti, rempublicam seditionibus vacuam habuisse.

[u] *Ne ipsi quidem inviolati erant, utique*] Tribuni, qui legibus inviolabiles, tamen reipsa non semper inviolati erant: præsertim ultimis tribunatus mensibus.

[x] *Nomina* [*nomine*] *tantum*] Querebatur plebs sibi eo biennio non re,

nio habuisse. Seniores contra Patrum, ut nimis feroces suos credere juvenes esse; ita malle, si modus excedendus esset, suis, quam adversariis, superesse animos. Adeo moderatio tuendæ libertatis,[x] dum æquari velle simulando ita se quisque extollit, ut deprimat alium, in difficili est: cavendoque ne metuant homines, metuendos ultro se efficiunt: et injuriam a nobis repulsam, tanquam aut facere aut pati necesse sit, injungimus aliis.

66. T. Quintius Capitolinus quartum et Agrippa Furius, consules inde facti,* nec seditionem domi, nec foris bellum, acceperunt: sed imminebat utrumque. Jam non ultra discordia civium reprimi poterat, et tribunis et plebe incitata in Patres, cum dies alicui nobilium dicta novis semper certaminibus conciones turbaret. Ad quarum [11] primum strepitum, velut signo accepto, arma cepere Æqui ac Volsci: simul quod persuaserant iis duces, cupidi prædarum, biennio ante delectum indictum haberi non potuisse, abnuente jam plebe imperium. 'Eo adversus se non esse missos exercitus. Dissolvi licentia militandi morem. Nec pro communi jam patria Romam esse. Quicquid irarum simultatumque cum externis fuerit, in ipsos verti. Occæcatos lupos[y] intestina rabie opprimendi occasionem esse.' Conjunctis exercitibus Latinum primum agrum perpopulati[12] sunt: deinde, postquam ibi nemo vindex occurrebat, tum vero, exultantibus belli auctoribus, ad mœnia ipsa Romæ populabundi regione portæ Esquilinæ[z] acces-

[x] *Moderatio in libertate tuenda.*

11 Pro *Ad quarum* malit Crevier. *Ad quorum.*—12 *Populati* Gronov. Dou-

NOTÆ

sed nomine tantum, tribunos sive vindices fuisse.

* A. U. C. 308.

[y] *Occæcatos lupos*] Dari nunc aiebant præclaram occasionem opprimendi Romanos, qui luporum instar rabie excæcati mutuo sæviant. Comparantur Romani lupis sæpius, allusione ad Lupam altricem Romuli facta.

[z] *Regione portæ Esquilinæ*] Porta Esquilina ab Esquiliis dicta: ea erat qua Præneste et Gabios ibatur. Clausam hodie affirmat Fam. Nardinus, sitamque fuisse inter Portam, quam Majorem vocant, et eam quæ dicitur S. Laurentii.

sere, vastationem agrorum per contumeliam urbi[13] ostentantes. Unde postquam inulti, prædam præ se agentes, retro ad Corbionem agmine iere, Quintius consul ad concionem populum vocavit.

67. Ibi in hanc sententiam locutum accipio; 'Etsi mihi nullius noxæ conscius, Quirites, sum, tamen cum pudore summo in concionem vestram processi. Hoc vos scire, hoc posteris memoriæ traditum iri, Æquos et Volscos, vix Hernicis modo pares, T. Quintio quartum consule, ad mœnia urbis Romæ impune armatos venisse. Hanc ego ignominiam, (quanquam jam diu ita vivitur, is status rerum est, ut nihil boni divinet animus,) si huic potissimum imminere anno scissem, vel exilio, vel morte, si alia fuga honoris[14] non esset,[y] vitassem. Ergo, si viri arma illa habuissent,[a] quæ in portis fuere nostris, capi Roma me consule potuit? satis honorum, satis[15] superque vitæ erat: mori consulem tertium oportuit. Quem tandem ignavissimi hostium contemsere? nos consules? an vos Quirites? Si culpa in nobis est, auferte imperium indignis; et, si id parum est, insuper pœnas expetite. Si in vobis,[b] nemo Deorum nec hominum sit, qui vestra puniat peccata, Quirites; vosmet tantum eorum pœniteat.[16] Non illi vestram ignaviam contemsere, nec suæ virtuti confisi sunt; quippe toties fusi fugatique, castris exuti, agro mulctati, sub jugum missi, et se et vos novere. Discordia ordinum est vene-

[y] *Si non aliter liceret magistratum vitare.*

jat. Crevier.—13 *Urbi per contumeliam* iid.

14 Conj. Doering. *honori.*—15 'In tribus codd. non reperio posterius *satis.* Si cui placet delere, poterit confirmare loco Taciti IV. Annal. 'Nam sibi multum superque vitæ fore, quod tali cum principe explevisset.'' *J. F.*

NOTÆ

[a] *Si viri arma illa habuissent*] Significat non arma hostibus, sed animum hostium armis defuisse; qui si virili animo fuissent præditi, urbem indefensam capere potuissent.

[b] *Si in vobis*] Supple *culpa est;* et si vitio vestro, inquit, id malum contigit, opto atque oro ut nec Deus, nec homo ullus delicta vestra ulciscatur; sed ea vos ipsi pœnitendo corrigatis.

num urbis hujus;[c] Patrum ac plebis certamina: dum nec nobis imperii, nec vobis libertatis est modus, dum tædet vos patriciorum, hos[17] plebeiorum magistratuum, sustulere illi animos. Pro Deum fidem, quid vobis vultis? Tribunos plebis concupistis.[d] Concordiæ causa concessimus. Decemviros desiderastis.[e] Creari passi sumus. Decemvirorum vos pertæsum est.[f] Coëgimus abire magistratu. Manente in eosdem privatos ira vestra, mori atque exulare[g] nobilissimos viros honoratissimosque passi sumus. Tribunos plebis creare[18] iterum[h] voluistis. Creastis. Consules facere vestrarum partium, etsi Patribus videbamus iniquum; patricium quoque magistratum plebi donum[i] fieri vidimus. Auxilium tribunicium, provocationem ad populum, scita plebis injuncta Patribus,[k] sub titulo æquandarum legum, nostra jura oppressa tulimus et ferimus. Qui finis erit discordiarum? Ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit? Victi nos æquiore animo quiescimus, quam vos victores. Satisne est, nobis vos metuendos esse?[z] Adversus nos Aventinum capitur,[l] adversus nos Sacer occupatur mons. Esquilias quidem ab hoste prope captas,[19][m] et scandentem in ag-

[z] *Annon etiam nimium est vos plebeios nobis patriciis esse terrori?*

Gronov.—16 Vulg. *vosmet tantum pœniteat.*—17 *Nos* Edd. a Froben. ad Drak.—18 *Creari* Gronov. Cleric.—19 '*Esquiliæ captæ* emend. Gronov. (qui etiam *hostem* post *Volscum* delendum putabat) et *vidistis* aut simile quid excidisse post *captas* conj. Scheller.' *Rupert.*

NOTÆ

[c] *Venenum urbis hujus*] Dixit antea, 'tribunicio veneno.'

[d] *Tribunos plebis concupistis*] Vide lib. II. c. 32. et 33.

[e] *Decemviros desiderastis*] Sup. hujus lib. cap. 31. et 33.

[f] *Decemvirorum vos pertæsum est*] Cap. 53. et 54.

[g] *Mori atque exulare*] Cap. 58.

[h] *Tribunos plebis creare iterum*] Cap. 54.

[i] *Patricium quoque magistratum plebi donum*] Cum delatus est Valerio et Horatio plebis adeo studiosis consulatus cap. 55.

[k] *Scita plebis injuncta Patribus*] Lege Horatia, qua plebiscita pro legibus etiam in patricios valere jussa, cap. 55.

[l] *Adversus nos Aventinum capitur*] Aventinus mons masculino plerumque genere effertur: hic neutro, quasi subintelligatur jugum. Sic *Rhenum* aliquando neutro genere dicimus, cum additur flumen.

[m] *Esquilias quidem ab hoste prope*

gerem Volscum[n] hostem nemo summovit. In nos viri,[o] in nos armati estis.'

68. 'Agite dum, ubi[20] hic curiam circumsederitis, et forum infestum feceritis, et carcerem impleveritis principibus; iisdem istis ferocibus animis egredimini extra portam Esquilinam: aut, si ne hoc quidem audetis, ex muris visite agros vestros ferro ignique vastatos, prædam abigi, fumare incensa passim tecta. At enim communis res per hæc loco est pejore: ager uritur,[1] urbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. Quid tandem? privatæ res vestræ in quo[2] statu sunt?[p] Jam unicuique ex agris sua damna nuntiabuntur. Quid est tandem domi, unde ea expleatis?[a] Tribuni vobis amissa reddent[q] ac restituent?[3] vocis verborumque quantum voletis, ingerent, et criminum in principes,[b] et legum aliarum super alias, et concionum. Sed ex illis concionibus nunquam vestrum quisquam re, fortuna, domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad conjugem ac liberos, præter odia, offensiones, simultates publicas privatasque? a quibus semper non vestra virtute[r]

[a] *Unde possitis damna illa resarcire?*
[b] *Criminationum in viros primarios.*

20 'Pro *ubi* legendum mihi videtur, *quibus*, nam sequitur: 'iisdem istis ferocibus animis.'' *Doering.*—1 In Ms. Veith. est: *communis respublica hoc loco est pejor: ager uritur.*—2 *In* del. Gronov. Doujat. Crevier. *privatæ res nostræ in quo* Ms. Veith.—3 Duo Mss. ap. J. F. Gronov. habent: *expleatis?*

NOTÆ

captas] *Esquiliæ* vel *Exquiliæ* dicuntur pro monte Esquilino, ubi nunc ecclesia Sanctæ Mariæ majoris; sed de his lib. II. cap. 12. et alibi.

[n] *Et scandentem in aggerem Volscum*] Esquilinus enim collis ab ea parte adibatur per aggerem Tarquinii Superbi, quod Gronovius notavit.

[o] *In nos viri*] In patricios tantum virilem induitis animum.

[p] *Privatæ res vestræ in quo* [*vestræ quo*] *statu sunt*] Sic ex optimis libris, elegantius quam *quo in statu sunt.* Ostendit male se habere non minus rem cujusque familiarem, quam publicam.

[q] *Tribuni vobis amissa reddent*] Duo Mss. teste Gronov. habent, *sunt tribuni: vobis amissa reddent.* Quasi fingendo plebis responsionem, diceret: Pro tot tantorumque damnorum pretio tribunos habemus. Hoc sat est. Adversus quæ replicat: Sed an illi vobis detrimenta rei familiaris sarcient?

[r] *A quibus semper non vestra virtute*] Nec propria vis, nec innocentia

innocentiaque, sed auxilio alieno tuti sitis. At, Hercules, cum stipendia, nobis consulibus,[s] non tribunis ducibus, et in castris, non in foro, faciebatis, et in acie vestrum clamorem hostes, non in concione Patres Romani horrebant, præda parta, agro ex hoste capto, pleni fortunarum gloriæque, simul publicæ, simul privatæ, triumphantes domum ad Penates redibatis. Nunc oneratum vestris fortunis hostem abire sinitis. Hærete affixi concionibus, et in foro vivite: sequitur vos necessitas militandi, quam fugitis. Grave erat in Æquos et Volscos proficisci? Ante portas est bellum. Si inde non pellitur, jam intra mœnia erit, et arcem et Capitolium scandet, et in domos vestras vos persequetur. Biennio ante senatus delectum haberi, et educi exercitum in Algidum jussit. Sedemus desides domi, mulierum ritu inter nos altercantes; præsenti pace læti, nec cernentes, ex otio illo brevi multiplex bellum rediturum. His ego gratiora dictu alia esse scio: sed me vera pro gratis loqui,[c] etsi meum ingenium non moneret, necessitas cogit. Vellem equidem vobis placere, Quirites; sed multo malo vos salvos esse, qualicumque erga me animo futuri estis. Natura hoc ita comparatum est, ut, qui apud multitudinem sua causa[4] loquitur,[d] gratior eo sit, cujus mens nihil, præter publicum commodum, videt. Nisi forte assentatores publicos, plebicolas istos, qui vos nec in armis nec in

[c] *Vera potius quam grata.*
[d] *In suum privatum commodum sermone blando utitur.*

sunt tribuni: vobis amissa r. ac r.—4 Ms. Veith. *suam causam.* Conj. Rupert. *loquatur* et *videat.*

NOTÆ

vestra vos præstare tutos potest adversus publicas contentiones, privataque odia inde orta: sed tutela omnis vestra semper ab aliena, et precario emendicata tribunorum pendet voluntate.

[s] *Cum stipendia, nobis consulibus*] Stipendiorum usus adhuc Romanis incognitus: unde non videtur T. Quintius eorum mentionem facere potuisse. Sed, ut poëtæ, ita et historici sæpe juxta usum temporum suorum, non tantum ex sua, sed et ex Veterum persona, quos loquentes inducunt, res explicare solent. Dixit itaque *stipendia faciebatis*, pro *bellum gerebatis.*

otio esse sinunt, vestra vos causa incitare et stimulare putatis. Concitati, aut honori,[t] aut quæstui illis estis : et quia in concordia ordinum nullos se usquam esse vident, malæ rei se, quam nullius, turbarum ac seditionum, duces esse volunt. Quarum rerum si vos tædium tandem capere potest, et patrum vestrosque antiquos mores vultis pro his novis sumere, nulla supplicia recuso; nisi paucis diebus hos populatores agrorum nostrorum fusos fugatosque castris exuero, et a portis nostris mœnibusque ad illorum urbes hunc belli terrorem, quo nunc vos attoniti estis, transtulero.'

69. Raro alias tribuni popularis oratio acceptior plebi, quam tunc severissimi consulis, fuit. Juventus quoque, quæ inter tales metus[5] detrectationem[6] militiæ telum acerrimum adversus Patres habere solita erat, arma et bellum[7] spectabat: et agrestium fuga, spoliatique in agris et vulnerati, fœdiora iis, quæ subjiciebantur oculis, nuntiantes,[u] totam urbem ira implevere. In senatum ubi ventum est, ibi vero in Quintium omnes versi, ut unum vindicem majestatis Romanæ intueri; et primores Patrum 'dignam' dicere 'concionem imperio consulari, dignam tot consulatibus anteactis, dignam vita omni, plena honorum sæpe gestorum, sæpius meritorum. Alios consules aut per proditionem dignitatis Patrum plebi adulatos, aut acerbe tuendo jura ordinis asperiorem domando[8] multitudinem fecisse :[x] T. Quintium orationem memorem majes-

5 'Pro *metus* in quibusdam Mss. *motus*, sed illud est aptius.' *Doering*.— 6 E Ms. Harl. 1. *detractationem* recepit Drak.—7 *Bellum et arma* Gronov. Doujat. Crevier.—8 'Scheller emend. *quam ante:* malim *aliquanto*.' Rupert.

NOTÆ

[t] *Concitati, aut honori*] Cum vos adversus Senatum concitarunt tribuni, honorem ex eo, aut lucrum capiunt, aut captant: et quia vident se nullo in pretio habendos, si concordia inter ordines servetur, malunt in re mala quam in nulla duces fieri.

[u] *Fœdiora iis, quæ subjiciebantur oculis, nuntiantes*] Fugientes ex agris partim spoliati, partim saucii, nuditatem ac vulnera sua oculis subjiciebant; sed adhuc pejora magisque horrenda nuntiabant; incendia puta, cædes, aliaque ejusmodi.

[x] *Asperiorem domando multitudinem fecisse*] Ferociorem reddidisse, eam

tatis Patrum,[y] concordiæque ordinum, et temporum in primis habuisse. Orare eum collegamque, ut capesserent rem publicam: orare tribunos, ut uno animo cum consulibus bellum ab urbe ac mœnibus propulsari vellent, plebemque obedientem in re tam trepida Patribus præberent: appellare tribunos communem patriam,[9 e] auxiliumque eorum implorare, vastatis agris, urbe prope oppugnata.' Consensu omnium delectus decernitur habeturque. Cum consules in concione pronuntiassent, 'Tempus non esse causas cognoscendi;[z] omnes juniores postero die prima luce in campo Martio adessent; cognoscendis causis eorum, qui nomina non dedissent, bello perfecto se daturos tempus; pro desertore futurum, cujus non probassent causam:' omnis juventus affuit postero die. Cohortes sibi quæque centuriones legerunt:[a] bini senatores singulis cohortibus præpositi.[b] Hæc omnia adeo mature perfecta accepimus,

[e] *Romam, quæ patria communis sit, invocare atque obtestari tribunos.*

—9 Idem conj. *appellare tribunos communi pro patria.*

NOTÆ

ultra modum premendo, domandi ac subigendi animo.

[y] *Orationem memorem majestatis Patrum*] Memoria animantium est. Hic tamen orationem memorem majestatis dicit Livius, cum proprie velit dignam majestate; quam qui habebat memor fuerat majestatis: translatione ducta ab homine ad opus, atque affectum hominis, non alia ratione quam Virgil. dixit, 'Sævæ memorem Junonis ob iram,' id est, ob iram Junonis cujus memoria nondum ei exciderat: sic Horatius, 'impressit memorem dente labris notam,' pro morsu cujus diu memor erit præ dolore is qui est impetitus.

[z] *Tempus non esse causas cognoscendi*] Nunc tempus non permittere, ut consules cognoscendis excusationum causis vacarent: confecto bello ei cognitioni daturos operam; ita ut eum, cujus causa ab ipsis comprobata non esset, tanquam desertorem punirent.

[a] *Cohortes sibi quæque centuriones legerunt*] In legione fuere cohortes decem, centuriæ sexaginta, ut tum alii, tum L. Cincius apud A. Gellium docet lib. XVI. cap. 4. Fuerunt igitur in quaque cohorte centuriæ ac centuriones sex. Hi nunc ab ipsa cohorte lecti.

[b] *Bini senatores singulis cohortibus præpositi*] Hoc novum, et extra ordinem: nam singulis cohortibus præerant singuli tribuni, partim a populo, partim a consulibus lecti. Sed præsens discrimen duplicari numerum præfectorum, et Senatores cohortibus præfici suasit. Vel ex hoc loco patet falli eos, qui nullam cohortium

ut signa, eo ipso die a quæstoribus ex ærario promta delataque in campum,[c] quarta diei hora[d] mota ex campo sint; exercitusque novus, paucis cohortibus veterum militum voluntate sequentibus, manserit ad decimum lapidem. Insequens dies hostem in conspectum dedit, castraque ad Corbionem[e] castris sunt conjuncta. Tertio die, cum ira Romanos, illos, cum toties rebellassent, conscientia culpæ ac desperatio irritaret, mora dimicandi nulla est facta.

70. In exercitu Romano cum duo consules essent potestate pari; quod saluberrimum in administratione magnarum rerum est, summa imperii, concedente Agrippa, penes collegam erat; et prælatus ille facilitati summittentis se comiter respondebat, communicando consilia laudesque, et æquando imparem sibi. In acie Quintius dextrum cornu, Agrippa sinistrum tenuit: Sp. Postumio Albo legato datur media acies tuenda; legatum alterum Ser. Sulpicium[10] equitibus præficiunt. Pedites ab dextro cornu egregie pugnavere, haud segniter resistentibus Volscis. Ser. Sulpicius per mediam hostium aciem cum equitatu perrupit: unde cum eadem reverti posset ad suos, priusquam hostis turbatos ordines reficeret, terga impugnare hostium satius visum est: momentoque temporis, in aversam incursando aciem, ancipiti terrore[f] dissipasset hostes, ni suo proprio eum prælio[g] equites Volscorum et Æquorum exceptum

NOTÆ

mentionem in tota Livii historia fieri aiunt, ejusque instituti aut nominis auctorem faciunt Marium.

[c] *Delataque in campum*] Servabantur itaque signa a quæstoribus.

[d] *Quarta diei hora*] Mira celeritas: quatuor intra horas perfectus delectus, exercitusque armatus, et ad iter præliumque comparatus, confecit decem milliaria intra horas octo.

[e] *Ad Corbionem*] Oppidum id fuit in finibus Æquorum et Latinorum; de quo ante sæpius.

[f] *Ancipiti terrore*] Anceps erat hostibus terror, non a solo Sulpicio, qui nunc non nisi a tergo incursabat; sed hinc ab Sulpicii equitibus, inde a legionibus mediæ aciei, quæ a fronte pedites hostium impugnabat.

[g] *Ni suo proprio eum prælio*] Nimirum equestri prælio, quo genere ipse Sulpicius equitatui præfectus perruptum peditatum hostilem a tergo urgebat: idque intento in illum unum, ejusque equites, tam Æquorum quam Volscorum equitatu.

Ni suo proprio, &c.] Mirum est equitatum Volscorum et Æquorum equitatui Romano, se in legiones Volscas

aliquamdiu tenuissent. Ibi vero Sulpicius negare, 'cunctandi tempus esse, circumventos interclusosque ab suis'[h] vociferans, 'ni equestre prælium connisi omni vi perficerent. Nec fugare equitem integrum satis esse.[i] Conficerent equos virosque, ne quis reveheretur inde ad prælium, aut integraret pugnam. Non posse illos resistere sibi, quibus conferta peditum acies cessisset.' Haud surdis auribus dicta:[k] impressione una totum equitatum fudere, magnam vim[l] ex equis præcipitavere, ipsos equosque spiculis confodere. Is finis pugnæ equestris fuit. Tunc, adorti peditum aciem, nuntios ad consules rei gestæ mittunt, ubi jam inclinabatur hostium acies. Nuntius deinde et vincentibus Romanis animos auxit, et referentes gradum perculit Æquos. In media primum acie vinci cœpti, qua permissus[11] equitatus[f] turbaverat ordines. Sinistrum deinde cornu ab Quintio consule pelli cœptum; in dextro plurimum laboris fuit. Ibi Agrippa, ætate viribusque ferox, cum omni parte pugnæ melius res[12] geri, quam apud se,

[f] *Ea parte qua equitatus effuso cursu immissus, &c.*

10 Vulg. *P. Sulpicium.*—11 Ms. Veith. *præmissus.*—12 '*Rem* Edd. ante

NOTÆ

et Æquas inferenti, se non objecisse; nam erat equitatus equitatum hostilem si non invadere, at certe observare. Similia in Livio sæpius animadvertimus. Vide ad lib. II. c. 31. *J. Clericus.*

[h] *Circumventos interclusosque ab suis*] Duo hic distincta vociferabatur Sulpicius, quo suos ad connitendum incitaret; alterum, circumventos ipsos ab hostibus et prope conclusos inter hostilem equitatum et peditatum: alterum, interclusos a suis, id est, prorsus segregatos a proprio exercitu, ut spes deinde nulla reditus ad eos superesset. Eodem sensu dictum a Cœlio apud Cicer. epist. lib. VIII. ep. 1. 'Ipsum apud Bellovacos circumsideri, interclusum ab reliquo exercitu.'

[i] *Nec fugare equitem integrum satis esse*] Non sufficere si equites sanos atque incolumes in fugam dederint: sed opus esse eos cum equis occidi, ne pugnam integrare possint: nec verendum esse fore ut equites sibi resistant, Romanis scilicet, qui instructam et confertam peditum aciem universam perfregerint, ac cedere coëgerint.

[k] *Haud surdis auribus dicta*] Hæc non frustra dicta, quasi surdis: sed hominibus qui et audierint et perfecerint imperata. Allusio ad paræmiam vulgarem, 'surdo canis.'

[l] *Magnam vim*] Vis pro multitudine.

videret, accepta[13] signa ab signiferis ipse inferre, quædam jacere etiam in confertos hostes cœpit. Cujus ignominiæ[14] metu[m] concitati milites invasere hostem. Ita æquata ex omni parte victoria est. Nuntius tum a Quintio venit, victorem jam se imminere hostium castris: nolle irrumpere, antequam sciat debellatum et in sinistro cornu esse. Si jam fudisset hostes, conferret ad se signa,[n] ut simul omnis exercitus præda potiretur. Victor Agrippa cum mutua gratulatione ad victorem collegam castraque hostium venit. Ibi paucis defendentibus, momentoque fusis, sine certamine in munitiones irrumpunt: prædaque ingenti compotem exercitum,[o] suis etiam rebus recuperatis, quæ populatione agrorum amissæ erant, reducunt. Triumphum nec ipsos postulasse, nec delatum iis ab senatu, accipio: nec traditur causa spreti aut non sperati honoris. Ego quantum in tanto intervallo temporum conjicio, cum Valerio atque Horatio consulibus, qui præter Volscos et Æquos Sabini etiam belli perfecti gloriam pepererant, negatus ab senatu triumphus esset, verecundiæ fuit pro parte dimidia rerum consulibus petere triumphum; ne etiam, si impetrassent, magis hominum ratio, quam meritorum, habita videretur.

71. Victoriam honestam, ex hostibus partam, turpe domi de finibus sociorum judicium[p] populi deformavit. Aricini atque Ardeates[q] de ambiguo agro cum sæpe bello certas-

Drak. In Ms. Veith. voc. *res* plane deest.' *Stroth.*—13 Conj. Duk. *arrepta.* —14 Ms. Veith. *Ejus ignominiæ.*

NOTÆ

[m] *Cujus ignominiæ metu*] Nihil ignominiosius exercitui, quam si ejus signa in manibus hostium remanerent, tanquam victoriæ argumentum.

[n] *Conferret ad se signa*] Accederet ad se cum parte copiarum cui præerat, et signa sui cornu signis ceteris admoveret.

[o] *Prædaque ingenti compotem exercitum*] Cum genitivo potius quam cum ablativo jungitur *compos*, ut et *impos*. Apud Sallust. tamen lib. II. occurrit, 'neque animo, neque lingua satis compos.'

[p] *Turpe domi . . . judicium*] Vix ulla nomini Romano turpior insita legitur nota.

[q] *Aricini atque Ardeates*] Aricia ex Strabone lib. v. oppidum Latii est post Albanum montem in via Appia, 160. stadiis ab Urbe dissitum: nunc

sent, multis in vicem cladibus fessi, judicem populum Romanum cepere. Cum ad causam orandam venissent, concilio populi a magistratibus dato, magna contentione actum. Jamque editis testibus, cum tribus vocari, et populum inire suffragium oporteret, consurgit P. Scaptius de plebe, magno natu: et 'Si licet,' inquit, 'consules, de re publica dicere, errare ego populum in hac causa non patiar.'[g] Cum, ut vanum, eum negarent consules audiendum esse, vociferantemque, 'prodi publicam causam,' summoveri jussissent, tribunos appellat. Tribuni, ut fere semper reguntur a multitudine magis, quam regunt, dedere cupidæ audiendi plebi, ut, quæ vellet, Scaptius diceret. Ibi infit, 'Annum se tertium et octogesimum [15] agere,'[r] et in eo agro, de quo agitur, militasse, non juvenem, vicesima jam stipendia[16] merentem, cum ad Coriolos sit bellatum.[17] Eo rem se [18] vetustate obliteratam, ceterum suæ memoriæ infixam, afferre: agrum, de quo ambigitur,[19] finium Coriolanorum fuisse,[s] captisque Coriolis, jure belli publicum populi Romani factum. Mirari se, quonam more Ardeates Aricinique, cujus agri jus nunquam usurpaverint incolumi Coriolana re, eum se a populo Romano, quem pro domino

[g] *O consules (inquit Scaptius) si mihi liceat de rep. dicere, ego non sinam populum in hac causa decipi.*

15 Quidam legunt *tertium et nonagesimum.*—16 Ms. Veith. *tricesima stipendia.* Vid. Not. Var.—17 Vet. lib. ap. Sigon. *debellatum.*—18 *Se rem*

NOTÆ

adjecto articulo dicitur *l'Aricia.* De Ardeatibus et Ardea Rutulorum urbe vide quæ nos lib. II. cap. 37. attulimus.

[r] *Annum se tertium et octogesimum agere*] Hujus hominis annos ita digerit Sigonius, ut ostendat nihil in numero mutandum; ut subdubitabant Glareanus et Rhenanus. Si enim ad Coriolos Scaptius vigesimum jam annum militabat, natum eo tempore annos saltem 36. oportuit: neque enim ante annum 17. Romani militabant. Corioli autem capti fuerant anno 261. ab Urbe cond. a quo ad hunc annum numerabantur anni 47. qui additi ad 261. reddunt præcise 308. U.C. annum.

[s] *Finium Coriolanorum fuisse*] Coriolos Volscorum quasi caput fuisse memorat Dionysius: fuit olim ea urbs ad ortum Lanuvii, quod Ardeam inter Ariciamque interjacet. Fuerit ergo ager, de quo nunc quæritur, non procul Solonio campo, qui Lanuvinorum fuit.

judicem fecerint, intercepturos sperent. Sibi exiguum vitæ tempus superesse: non potuisse se tamen inducere in animum, quin, quem agrum miles pro parte virili[20] manu cepisset, eum senex quoque voce, qua una posset, vindicaret. Magnopere se suadere populo, ne inutili pudore suam ipse causam damnaret.'

72. Consules cum Scaptium non silentio modo, sed cum assensu etiam, audiri animadvertissent, Deos hominesque testantes flagitium ingens fieri, Patrum primores arcessunt. Cum his circumire tribunos,[1] orare, 'Ne pessimum facinus pejore exemplo admitterent judices, in suam rem litem vertendo,[2][t] cum præsertim, etiamsi fas sit, curam emolumenti sui judici esse, nequaquam tantum agro intercipiendo acquiratur, quantum amittatur alienandis injuria sociorum animis. Nam famæ quidem ac fidei damna majora esse, quam quæ æstimari possent. Hoc legatos referre domum:[u] hoc vulgari: hoc socios audire: hoc hostes. Quo cum dolore hos? quo cum gaudio illos? Scaptione hoc, concionali seni,[3] assignaturos putarent finitimos populos?

Gronov. Doujat. Crevier.—19 Conj. Rupert. *ambigatur.*—20 *Pro virili parte* Gronov. Doujat. Crevier.

1 'Probo conjecturam Perizonii emendantis, *cum his circumire tribus:* tribus enim erant judices, judicium suffragiis suis laturæ, non tribuni. Neque tamen vulgata lectio utique malam sententiam efficit, quam omnes codd. exhibent. In Ms. Veith. tamen est, *cumque his circumiret tribunos.*' Stroth. Emend. Periz. probat et Rupert.—2 Tan. Faber legit, *judicis i. s. r. l. vertentis.* Vid. Not. inf. et Not. Var.—3 Legendum putat Sigon. *coëmtionali sene.* Vid. Not. Var. Paulo sup. interrogant Gronov. et Doujat. post *domum,*

NOTÆ

[t] *Judices, in suam rem litem vertendo*] Tanaquil. Faber legit, *judicis,* quasi sit, *exemplo judicis:* sic, *ne pessimum facinus pejori exemplo admitterent judicis in suam rem vertentis litem:* ego tamen nihil opus esse video emendatione. Recte enim *judices* refertur ad præcedens verbum *admitterent:* ne scilicet tribuni, et cives Romani eorum auctoritate, admitterent pessimum facinus, ut ipsi *judices* cum sint, *litem,* sive id de quo lis erat, *verterent in rem suam.* Sic enim *litem* hoc loco accipere oportet, quemadmodum jurisconsulti faciunt, qui 'litem æstimare,' et 'in litem jurare' dicunt, pro eo quod est certo pretio rem controversam æstimare, aut jurejurando interposito taxare quanti sit res de qua litigatur.

[u] *Hoc legatos referre domum*] Subaudi, quis ferat, aut patiemurne, ut legati Ardeatium et Aricinorum ad suos hujus indigni judicii nuntium

Clarum hac fore imagine Scaptium:[4 x] populum Romanum quadruplatoris et interceptoris[y] litis alienæ personam laturum. Quem enim hoc privatæ rei judicem fecisse, ut sibi controversiosam[5 z] adjudicaret rem? Scaptium ipsum id quidem, etsi præmortui jam sit pudoris,[a] non facturum.' Hæc consules, hæc Patres vociferantur. Sed plus cupiditas[b] et auctor cupiditatis Scaptius valet. Vocatæ tribus[c] judicaverunt, agrum publicum populi Romani esse. Nec abnuitur ita fuisse,[d] si ad judices alios itum foret: nunc

vulgari, *audire*, et *hostes*.—4 'Add. *nomen* Edd. a Froben. ad Drak. *Clarum hoc fore imagine Scaptii* Edd. ante Froben.' *Stroth*.—5 *Controversam* vet. lib.

NOTÆ

reportent? Ut tantum populi Romani flagitium ubique recitetur? Ut illud socii, illud hostes audiant?

[x] *Clarum hac fore imagine Scaptium* [*nomen*] An putarent fore ut, ea re laudi assignata huic Scaptio, ejus familia inde inclaresceret, et hic plebeius imaginem ex eo mereretur, quæ propria nobilium?

[y] *Quadruplatoris et interceptoris*] Quadruplatores dicuntur delatores, quibus in præmium quarta pars bonorum ejus quem detulerant assignabatur. Interceptor autem est fraudator, qui rem alienam, aut alteri destinatam, avertit atque in se transfert.

[z] *Controversiosam* [*controversam*] *adjudicaret rem*] Quando, Sigonio teste, quidam codices ita scribunt, hanc lectionem anteponendam censeo vulgari, et *controversam* rem dici potius quam *controversiosam*; quod nomen Veteribus ceteris ignotum.

[a] *Etsi præmortui jam sit pudoris*] Quasi dicat, etiamsi is omnem pudoris sensum, omnemque honestatem priusquam animam amiserit. Non aliter apud Plinium l. VII. cap. 50. ait in senib. 'præmori visum, auditum, incessum.'

[b] *Sed plus cupiditas*] Ira quoque ex parte huic judicio præsedisse videtur, quod moleste ferret populus Romanus, se, quem agro fraudatum putabat, judicem a contendentibus sumtum, quasi id data opera ideo factum, ut sibi non liceret agrum illum recuperare, quem ipse alienum esse judicasset.

[c] *Vocatæ tribus*] Cum urnæ seu vasa duo apposita essent, accipiendis cujusque calculis, vel Ardeatium, vel Aricinorum gratia, jussit populus tertium apponi pro urbe Roma, atque huc collata sunt cuncta suffragia.

[d] *Nec abnuitur ita fuisse*] Mirum sane si Ardeatium aut Aricinorum longius positorum is ager ab initio esse potuerit, interjecto inter utrosque Lanuvino et Coriolano quondam territorio. Unde non adeo forte absurda, aut a vero abhorrens Scaptii narratio. Sed cum post Coriolorum excidium populus Romanus agrum illum per annos 47. a vicinis possideri passus esset, nec illum publicandum, aut sibi vindicandum censuisset, et nunc ejus controversiæ judicem se ferret, nec ulla æquitatis ratio, nec bona fides pati videatur, eum sibi ipsi

haud sane quicquam bono causæ levatur[6] dedecus judicii.[h] Idque non Aricinis Ardeatibusque, quam Patribus Romanis, fœdius atque acerbius visum. Reliquum anni quietum ab urbanis motibus et ab externis mansit.

[h] *Porro judicii probrum bonitate causæ nullatenus minuitur.*

ap. Sigon. et ita dat Doujat.—6 '*Causæ bonæ* Edd. ante Ald. *causæ bono* Ald. et all. *bona causa* Mog. et rell. a Froben. ad Gronov.' *Stroth.* *Elevatur* Edd. a Froben. ad Drak. Vid. Not. Var.

NOTÆ

jus dicere, ac litigiosum inter alios agrum sibi adjudicare.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER IV.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Duæ rogationes promulgatæ, altera a C. Canuleio trib. pl. altera a IX. ejus collegis, de connubio Patrum plebisque, et de potestate populo danda, seu de plebe, seu de Patribus velit, consules faciendi. 2. Orationes consulum adversus has leges. 3—5. Canuleius pro iis disserit, simulque docet, populo Rom. summum esse imperium et libertatem omnibus æquam. 6. Post multas altercationes consentiunt Patres primum, ut rogatio illa de connubio feratur, deinde, ut tribuni militum consulari potestate promiscue ex Patribus ac plebe creentur. Tribuni mil. cons. pot. tres omnesque patricii creantur. 7. Hi, vitio facti, honore mox abeunt, iisque sufficiuntur consules. Ardeatium legatis, agrum repetentibus, respondent Patres, curæ sibi fore, ne diuturna sit injuria. 8. Censuræ initium, rei a parva origine ortæ, sed magno deinde incremento auctæ. 9. Intestinæ Ardeatium turbæ. Plebs Volscorum, optimates Romanorum implorant auxilium. Ardea obsidetur a Volscis, et hi a Romanis circumvallantur. 10. Volsci, ab omni parte cæsi, dedito imperatore Æquo Clœlio, sub jugum mittuntur, et inermes dimissi opprimuntur a Tusculanis. Triumphus M. Geganii cos. Pax domestica, auctoritate T. Quintii Capitolini V. cos. servata. 11. Redditur Ardeatibus ager, interceptus judicio infami, nec Romanis colonis, sed Rutulis dividitur.

12. Consules creati, adversante nequicquam Pœtelio trib. pl. Fames et seditio. L. Minucius præfectus annonæ. 13. Sp. Mælius, eques prædives, frumenti facit largitiones, et regni consilia agitat. Minucius rem compertam defert ad senatum, et T. Quintius Capitolinus VI. cos. dictatorem dicit L. Quintium Cincinnatum. 14. C. Servilius Ahala mag. eq. in jus vocat Mælium, eumque fugientem obtruncat. 15. Dictator cædem hanc laudat in concione populi. 16. Diruitur domus Mælii. Minucius frumentum

ejus plebi dividit, et bove aurato donatur. Filius dictatoris tribunus mil. cons. pot. creatur cum Mam. Æmilio et L. Julio. 17. Fidenates et Veientes deficiunt a Romanis, horumque legati jussu Lartis Tolumnii, regis Veientium, interficiuntur. Victoriam non incruentam refert L. Sergius Fidenas consul. Dictator dicitur Mam. Æmilius, et mag. eq. L. Quintius Cincinnatus. Falisci Fidenatibus auxilio veniunt. 18. Atrox pugna. 19. A. Cornelius Cossus, tribunus militum, Tolumnium occidit, et hostes fundit. 20. Dictator triumphat, et Cossus secunda spolia opima infert templo Jovis Feretrii: nisi ea nono demum post anno in consulatu cepit, vel tertio ab consulatu anno, quo tribunus mil. cons. pot. fuit, et alteram insignem edidit pugnam equestrem. 21. Seditiones frustra quæsitæ a Sp. Mælio trib. pl. Pestilentia, crebri terræ motus et obsecratio. Fidenates Veientesque populabundi descendunt in agrum Rom. et A. Servilius Priscus s. Structus dictator dicitur. 22. Is Etruscos fundit non procul Nomento, et Fidenas cuniculo capit. Villa publica in campo Martio a censoribus probatur, ibique primum agitur census populi. 23. Veientes et Falisci, legatis circa XII. populos missis, impetrant, ut ad Voltumnæ fanum indicatur omni Etruriæ concilium. Mam. Æmilius dictator iterum dicitur. 24. Negantur Veientibus auxilia. Dictator, ne nequicquam creatus sit, gloriam in pace quærit, fertque legem, ne plus, quam annua ac semestris, censura sit. Hinc censores eum movent tribu, octuplicatoque censu ærarium faciunt: quam ignominiam ipse ingenti animo fert, sed populus valde indignatur. 25. Pestilentia, et ædes Apollini vota. Tribuni queruntur, nondum plebeio aditum fuisse ad summum honorem, et tollendæ ambitionis causa legem promulgant, ne cui album in vestimentum addere petitionis liceat causa.

26. Æquorum Volscorumque validi exercitus, lege sacrata conscripti, in Algidum conveniunt. T. Quintius Cincinnatus et C. Julius Mento consules ad alia discordes in uno adversus Patrum voluntatem consentiunt, ne dicant dictatorem: sed tribuni pl. a Q. Servilio Prisco appellati, eos cogunt senatui dicto audientes esse. Quintius A. Postumium Tubertum, socerum suum, severissimi imperii virum, dictatorem dicit. 27. Ludi magni tumultus causa voti. Castra Quintii cos. noctu oppugnata, et hostilia a M. Geganio capta. 28. Volsci, Vectio Messio duce, fortiter pugnant. 29. Castris exuuntur et venumdantur. Dictator triumphans invehitur Urbem. Ab eodem filium, injussu patris pugnantem, securi percussum quidam tradunt. Carthaginienses exercitum trajiciunt in Siciliam. 30. Induciæ Æquis datæ. Pertinax in Volscis certamen inter pacis belliqne auctores. Lex lata de mulctarum æstimatione. Siccitas et morbi. Sacra peregrina. Bellum Veientibus indictum. 31. Tribuni mil. cons. pot. quatuor creati, et tres ob discordiam ab hostibus fusi. Poscitur dictator, qui tamen non nisi ab consule dici potest. Eam religionem eximunt augures, et Mam. Æmilius ab A. Cornelio Cosso trib. mil. qui Urbi præest, dictator, et hic ab illo magister equitum dicitur. Fidenates Veientibus sese conjungunt. 32. Dictator trepidam civitatem, ad concionem advocatam, oratione increpat, castraque locat prope Fidenas. 33. Fidenates erumpunt facibus armati. Veientes fusi Tiberim petunt. Fidenates

in fluvium et urbem compelluntur. 34. Urbs castraque capta et direpta. Triumphus dictatoris. 35. Induciæ Veientibus Æquisque datæ. Ludi, bello voti. Conciones seditiosæ tribunorum pl. indignantium, plebeios non admitti ad summos honores. 36. Consularia habentur comitia ob metum belli cum Volscis gerendi.

37. Capua ab Samnitibus capta. Bellum Volscum, male gestum a C. Sempronio Atratino cos. 38. Pugnam restituit Sex. Tempanius, decurio equitum. 39. Nox eam dirimit. Utraque castra deseruntur. Tempanius, ab suis exclusus, tumulum occupat, noctuque degressus in castra, et inde ad Urbem pergit. 40. Pavor ibi et mox gaudium, equitibus procul visis. Tribuni pl. Tempanium vocari jubent. 41. Is visa sibique nota incomte, et multa quoque in laudem consulis, nihil vani in suam dicit. Interea consul advenit, non ab se magis enixe amovens culpam, quam Tempanium meritis laudibus ferens. M. Postumius et T. Quintius Pennus, qui ad Veios nuper res male gesserant, rei fiunt. 42. L. Hortensius trib. pl. Sempronio diem dicit; sed mitigatur, quatuor collegis, Tempanio, Sellio, Antistio, Icilioque, pro imperatore suo deprecantibus.

43. Æqui a Fabio fusi. Interregna certaminaque consulum et tribunorum pl. illis flagitantibus, ut præter duos urbanos quæstores duo sibi ad ministeria belli præsto sint; his, ut pars quæstorum ex plebe fiat. Postremo L. Papirius Mugillanus interrex medio consilio copulat concordiam, suadens, ut IV. quæstores promiscue de plebe ac Patribus fiant libero populi suffragio. 44. Quæstores creantur omnes patricii, comitia eorum habente A. Sempronio Atratino, tribuno mil. cons. pot. Hinc ira tribunorum pl. flectitur in C. Sempronium, patruelem Atratini, qui accusatur iterum et damnatur. Postumia, virgo Vestalis, rea propter cultum amœniorem ingeniumque liberius, quam virginem deceat. Cumæ a Campanis captæ. 45. Conjuratio servorum oppressa. Bellum cum Æquis et Lavicanis. Altercationem tribunorum mil. cons. pot. quorum nemo Urbi præesse vult, Q. Servilius dirimit patria majestate. 46. Certamina ducum Rom. multo majora in castris, quam in Urbe. Funduntur ab Æquis, et postero die, castris desertis, Tusculum confugiunt. Q. Servilius Priscus a filio suo C. Servilio dictator, et hic ab eo magister equitum dicitur. 47. Vincit Æquos et Lavicos expugnat: quo colonia deducitur. 48. Spurii Mæcilius Metilinsque tribuni pl. promulgata lege agraria turbas excitant: sed Patres, auctore Ap. Claudio, nepote decemviri, collegas eorum ad intercessionem comparant. 49. Bolæ bis capiuntur, et M. Postumius Regillensis, tribunus mil. cons. pot. exercitum præda ei promissa fraudat. Idem, ab collegis propter seditiones tribunicias arcessitus, in concione populi, L. Sextio trib. pl. rogationem de colonis Bolas mittendis denuo laturum se profitente, Malum quidem militibus meis, inquit, nisi quieverint. Quam stolidam inhumanamque vocem acerbe increpat Sextius. 50. Inde tumultus in castris, ubi Postumius crudelibus suppliciis asperiora facit omnia, et postremo ab exercitu suo lapidibus cooperitur. Certamina in Urbe, et interregnum. 51. Quæstio Postumianæ cædis mandatur consulibus, qui summa moderatione per paucorum supplicium rem transigunt. Plebs tamen ægerrime fert, leges de suppliciis suis latas confestim exer-

ceri, aliasque de commodis suis, de agro Bolano et impr. publico dividendo, promulgatas tam diu irritas jacere. Ferentinum captum. 52. L. Icilius trib. pl. seditiones ciet agrariis legibus promulgandis. Pestis et inopia frugum. 53. Delectum, indictum ob bellum Æquicum, impedit M. Mænius trib. pl. legis agrariæ lator; cui tamen IX. collegæ intercedunt. C. Valerius Potitus cos. recipit Carventanam arcem, ab hostibus occupatam, prædamque sub hasta venditam in ærarium redigere quæstores jubet.

54. Tres plebeii quæstores, et tres Icilii tribuni plebis. Fremunt Patres, tenduntque ad consulum comitia. 55. Volsci et Æqui bellum reparant, et Carventanam arcem oppugnant. Turbæ domesticæ. Patres comitia tribunis militum creandis edici patiuntur, sed ea lege, ne cujus ratio habeatur, qui eo anno tribunus plebis sit. Verrugo recepta, et prædæ in Æquis Volscoque agro ingentes factæ. 56. Tribuni mil. cons. pot. contra spem omnium tres patricii creantur, arte a patriciis adhibita. Bellum a Volscis Æquisque illatum. Discordia Patrum de dictatore dicendo. 57. C. Servilius Ahala tribunus mil. cons. pot. dictatorem dicit collegam P. Cornelium Cossum, et ab eo magister equitum creatur. Volsci ad Antium cæsi. Tribuni mil. cons. pot. IV. creantur patricii nova Patrum arte. 58. Veientium legatio de pace. Præsidium Verrugine amissum. Superbum responsum Veientis senatus, bellumque iis indictum.

59. Volscum bellum. Auxur captum direptumque. Senatus decernit, ut stipendium miles de publico accipiat. 61. Hinc multiplex plebis gaudium, et calumniæ tribunorum pl. Tributum indicitur, quod Patres primi conferunt: unde certamen conferendi oritur. 61. Veii circumsessi. Victi Volsci. Artena capta dirutaque.

1. Hos secuti M. Genucius et C. Curtius [1] † consules.* Fuit annus domi forisque infestus. Nam anni principio et de connubio Patrum et plebis [a] C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgavit; qua contaminari sanguinem suum Patres, confundique jura gentium [b] rebantur: et mentio,

NOTÆ

† *C. Curtius*] Hoc est verum nomen consulis, ut ostendit St. Pighius ad hunc annum. *J. Clericus.*

* A. U. C. 309.

[a] *De connubio Patrum et plebis*] Duodecim tabulis inserta lex fuerat, ne patriciis cum plebeiis connubium esset, id est, jus legitimarum inter utrosque nuptiarum. Hujus instituti causa ex sequentibus apparebit.

[b] *Confundique jura gentium*] Cave hoc ad jus gentium trahas, quod opponitur juri civili. Jura enim gentium sunt hic gentilitia, id est, propria cujusque gentis patriciæ jura. Gentis autem vocabulo plures ejusdem nominis familias, diversis cognominibus distinctas, contineri, jam annotatum est. Quicumque porro ejusdem sanguinis erant, gentiles invicem habebantur: ut omnes Cor-

primo sensim illata a tribunis,[2] ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem novem[3] tribuni promulgarent,[c] 'ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de Patribus vellet, consules faciendi.' Id vero si fieret, non vulgari modo cum infimis, sed prorsus auferri a primoribus ad plebem, summum imperium credebant. Læti ergo audiere Patres, Ardeatium populum ob injuriam agri abjudicati descisse, et Veientes depopulatos extrema[d] agri Romani, et Volscos Æquosque ob communitam Verruginem[e] fremere. Adeo vel infelix bellum ignominiosæ paci præferebant. His itaque in majus etiam acceptis, ut inter strepitum tot bellorum conticescerent actiones tribuniciæ, delectus haberi, bellum armaque vi summa apparari jubent; si quo intentius possit,[f] quam T. Quintio consule apparatum sit. Tum C. Canuleius, pauca in senatu vociferatus, 'nequicquam territando consules avertere plebem a cura novarum legum;[a] nunquam eos se vivo delectum

[a] *Frustra conari consules, injecto metu, abducere plebem a consilio ferendarum legum novarum.*

1 Vulg. *P. Curiatius.*—2 Legendum monet Sigon. ex vet. lib. *a tribuno.*—

NOTÆ

nelii, Maluginenses nempe, Cossi, Scipiones, &c. Agnati vero ii tantum dicebantur, qui ejusdem erant cognominis, ut Scipiones.

[c] *Ut rogationem novem tribuni promulgarent*] Canuleius, et alii octo, omnes denique tribuni præter C. Furium, quem Dionysius excipit. Idcirco *novem* malim, quam *novam*, quæ lectio placet magis Sigonio.

[d] *Veientes depopulatos extrema*] Veientibus datæ fuerant in annos 40. induciæ a C. Manlio consule lib. II. cap. 54. an. ab U. C. 280. Hinc anni fluxerant fere 29. Sic Veientes annis undecim anteverterunt finem induciarum.

[e] *Ob communitam Verruginem*] Volscorum oppidum fuit Verrugo in Æquorum confinio, inter Coram et Algidum, Velitris ad Boream. Diodorus Sicul. lib. XIV. Ἐρούκαν vocat, forte mendose. In quibusdam Valerii Maximi codicibus perperam scriptum est *Ferruginem*. Quando autem Verruginem Romani Volscis ademissent, quando muniissent, nos antea Livius nullibi docuit, ut Glar. notat. Captum forte hoc oppidum cum Velitris fuerat, an. 260. A. Virginio T. Vetusio consulibus, vel anno seq. cum capti sunt Corioli. De quibus lib. II. cap. 30. et 33. Potuit et adhuc locus fuisse cuivis exercitui patens: ut muniri nunc a Romanis nihil vetet, quamvis antea captus ab illis non esset.

[f] *Si quo intentius possit*] Vix du-

habituros, antequam ea, quæ promulgata ab se collegisque essent, plebes scivisset;' confestim ad concionem advocavit.[4]

2. Eodem tempore et consules senatum in tribunum, et tribunus populum in consules incitabat. Negabant consules, 'jam ultra ferri posse furores tribunicios. Ventum jam ad finem esse; domi plus belli concitari, quam foris. Id adeo non plebis, quam Patrum; neque tribunorum magis, quam consulum, culpa accidere. Cujus rei præmium sit in civitate, eam maximis semper auctibus crescere: sic pace bonos, sic bello fieri. Maximum Romæ præmium seditionum esse: id et singulis universisque semper honori fuisse.[5] [g] Reminiscerentur, quam majestatem senatus ipsi a patribus accepissent, quam liberis traditurі essent, ut, quemadmodum plebs, gloriari posset,[h] auctiorem amplio-

3 Idem legit *novam.*—4 '*Confestim ad concionem advocavit.* Aut pleonasmus est in *ad*, aut ellipsis *plebem.*' Bauer. Ante *confestim* e Mss. quibusdam *et* inseruit Drak. In Ms. Veith. est, *confestim concionem advocavit.*

5 'Video in Vossianis membr. τὸ *honori* desiderari. Unde timide suspicor: *Maximum Romæ præmium seditionum esse, et singulis universisque semper*

NOTÆ

bium videtur quin sit rescribendum *si qua*, ut sit, bellum hoc anno diligentius adhuc et majori cura præparandum esse, si qua ratione fieri possit, quam anno superiore sit præparatum T. Quintio Capitolino quartum consule, l. III. c. 69.

[g] *Id et singulis universisque semper honori fuisse*] Desideratur in quibusdam Vossii membranis illud *honori.* Suspicatur sic legendum: *Maximum Romæ præmium seditionum esse, et singulis universisque semper fuisse.* Sed servata lectione vulgari, idoneus, nec admodum diversus est sensus; nimirum seditionum præmia nunquam Romæ defuisse, auctos inde honore tum singulos tribunos, aliosve seditionum auctores, qui magis ac magis ex eo in pretio fuere, tum etiam plebeium ordinem universum, qui paulatim omnia, propria olim patriciorum jura, ad se traxerit.

[h] *Ut, quemadmodum plebs, gloriari posset*] Variæ sunt hujus loci lectiones: diversæ interpretum Rhenani, Glareani, Sigonii, Gronovii sententiæ. Hic ita legit, *Reminiscerentur quam majestatem Senatus, ipsi a patribus accepissent, quam liberis traditurі essent, ut* (id est, quomodo, qua ratione) *auctiorem amplioremque.* Mihi perspicua quidem sententia videtur si conjunctio *et* (quam legerat Vigenereus) loco particulæ *ut* substituatur. Sed quidni pro *ut* legamus *utrum?* Interrogatio erit non inconcinna, utrum Senatores relicturі essent liberis majestatem ordinis sui a se amplificatam; quemadmodum plebeii gloriari possent, rebus sic stantibus, plebis auctoritatem a se ampliorem

remque esse.[6] Finem ergo non fieri, nec futuram,[7] donec, quam felices seditiones, tam honorati seditionum auctores essent.[b] Quas quantasque res C. Canuleium aggressum? colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum[i] publicorum privatorumque afferre, ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit: ut, discrimine omni sublato, nec se quisquam, nec suos noverit.[k] Quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis Patrumque? ut, qui natus sit, ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit;[l] dimidius Patrum

[b] *Quamdiu et seditiones felicem exitum sortirentur, et idcirco clari earum auctores existerent.*

fuisse.' J. F. Gronov.—6 '*Reminiscerentur*, secum reputarent, *quam majestatem .... essent, ut, quemadmodum plebs* nunc gloriatur, sua jura esse aucta, sic aliquando *gloriari posset*, sc. senatus, (vel potius *possent*, sc. Patres, aut, quod præstiterit, liberi,) *auctiorem amplioremque esse* majestatem suam. Ita hæc verba, distinctione post *plebs* posita, videntur interpretanda, si sana sunt. Quidam *ut* exponunt 'quam parum,' vel, τῷ *esse* reciso, 'quibus modis et rationibus:' alii emendant *utrum, quemadmodum plebs, gloriari posset*, s. *possent, a. a. esse*, vel, *utrum, q. plebs g. posset, auctiorem amplioremque?*. vel, *an, q. plebs, gloriari possent*, sc. Patres, &c.? Klockius totum hoc, *Reminiscerentur .... esse*, infra ante verba *Certum habere, &c.* reponendum putabat. Probabilior forte est sententia eorum, qui suspicantur, omnia illa verba, certe posteriora, *ut, quemadmodum, &c.* esse glossam laciniamque ab interpolatore assutam.' *Rupert.* Vid. Not. inf. et Not. Var.—7 Ms. Veith. *finem quoque*

NOTÆ

posteris tradi. Non est ad manum, fateor, codex, quo hæc lectio fulciatur: sed nec magna mutatio introducitur, nec aliorum emendationes, quæ quidem tolerabilem sensum exhibeant, scriptis voluminibus nituntur.

Ut quemadmodum plebs, &c.] Lectionem Gronovianam, primis editionibus et Mss. propiorem, admisimus. *J. Clericus.*

[i] *Perturbationem auspiciorum*] Quorum observatio et peritia penes solos patricios hactenus fuerat, ut paulo ante dictum.

Perturbationem auspiciorum] Contendebant, nempe, patricii, neminem plebeium auspicia, seu jus capiendorum auspiciorum, habere, ideoque decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur. *J. Clericus.*

[k] *Nec se quisquam, nec suos noverit*] Volunt, ex hacce connubiorum permixtione eventurum, ut nemo, qui diversi ordinis parentibus natus sit, propriam, qui ex diversi generis uxore liberos genuerit, ipsorum conditionem certo dicere posset; an scilicet patricii, an plebeii sanguinis sit.

[l] *Quorum sacrorum sit*] Familiæ cuique sua propria sacra ex instituto Romuli erant. Quin et sepulcrorum jura, una cum jure sacrorum, familiam et hæredem sequebantur. Cic. præ ceteris lib. II. de Legibus.

sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors. Parum id videri, quod omnia divina humanaque turbentur: jam ad consulatum vulgi turbatores accingi; et primo, ut alter consul ex plebe fieret, id modo sermonibus tentasse: nunc rogari, ut, seu ex patribus, seu ex plebe velit, populus consules creet: et creaturos haud dubie ex plebe seditiosissimum quemque. Canuleios igitur Iciliosque consules fore. Ne id Jupiter optimus maximus sineret, regiæ majestatis imperium eo recidere: et se millies morituros potius, quam ut tantum dedecoris admitti patiantur. Certum habere, majores quoque, si divinassent, concedendo omnia non mitiorem in se plebem, sed asperiorem alia ex aliis iniquiora postulando, cum prima impetrasset, futuram, primo quamlibet dimicationem subituros fuisse potius, quam eas leges sibi imponi paterentur. Quia tum concessum sit de tribunis, iterum concessum esse.[m] Finem non fieri posse.[n] In eadem civitate [8] tribunos plebis et Patres esse: aut hunc ordinem, aut illum magistratum tollendum esse: potiusque sero, quam nunquam, obviam eundum audaciæ temeritatique. Illine ut [9] impune primo discordias serentes concitent finitima bella, deinde adversus ea, quæ concitaverint, armari civitatem defendique prohibeant? et,

non fieri. Vulg. *futurum.*—8 'Cum Gronov. et Fab. leg. *Finem non fieri: non*, s. *nec, posse in eadem civitate.*' Rupert. *Finem non fieri: non* in textum recepit Kreyssigius. Vid. Not. Var.—9 Sigonius tollit *ut*, ex vet. lib. fide.—

NOTÆ

[m] *Quia tum concessum sit de tribunis, iterum concessum esse*] Queruntur consules prava quæque in exemplum trahi, et exempla pro legibus haberi: atque inde factum, ut quoniam semel plebi concesserint patricii quod petebatur de creandis tribunis, adhuc idem jus, a decemviris ablatum, his oppressis, plebi sit restitutum.

Iterum concessum esse] De decemviris creandis. *J. Clericus.*

[n] *Finem non fieri posse, &c.*] Legebatur antea, *sine re non fieri posse.* Tan. Faber hunc locum sic legit, *Finem non fieri, nec posse in eadem civitate tribunos plebis et patres esse.* Forte non defuerint, qui illud ex veteribus libris non improbent: *Sinere* (sive pati) *non posse* (intellige *se* consules) *in eadem civitate tribunos plebis et patres esse.*

Finem non fieri] Lege, *finem non fieri;* nempe, nova a Senatu petendi in gratiam plebis; *non posse in eadem, &c.* ut recte J. Fr. Gronovius. *J. Clericus.*

cum hostes tantum non arcessierint,[o] exercitus conscribi adversus hostes non patiantur? Sed[10] audeat Canuleius in senatu proloqui, se, nisi suas leges tanquam victoris Patres accipi sinant, delectum haberi prohibiturum. Quid esse aliud,[11] quam minari, se proditurum patriam? oppugnari atque capi passurum? quid eam vocem animorum, non plebi Romanæ, sed Volscis et Æquis et Veientibus allaturam? Nonne, Canuleio duce, se speraturos Capitolium atque arcem scandere posse, si Patribus tribuni, cum jure ac majestate ademta,[12] animos etiam eripuerint? Consules paratos esse duces prius adversus scelus civium, quam adversus hostium arma.'

3. Cum maxime hæc in senatu agerentur, Canuleius pro legibus suis et adversus consules ita disseruit: 'Quantopere vos, Quirites, contemnerent Patres, quam indignos ducerent, qui una secum urbe intra eadem mœnia viveretis, sæpe equidem et ante videor animadvertisse; nunc tamen maxime, quod adeo atroces in has rogationes nostras coorti sunt. Quibus quid aliud quam admonemus, cives nos eorum esse, et, si non easdem opes habere, eandem tamen patriam incolere? Altera connubium petimus, quod finitimis externisque dari solet. Nos quidem civitatem, quæ plus quam connubium est, hostibus etiam victis dedimus. Altera nihil novi ferimus;[c] sed id, quod populi est, repetimus atque usurpamus: ut, quibus velit, populus Romanus honores mandet.[d] Quid tandem est, cur cœlum ac terras misceant?[p] cur in me impetus modo pæne in senatu sit

[c] *Non constituimus quicquam novi per alteram legem.* [d] *Committat magistratus.*

10 Vid. inf. et Not. Var.—11 Duk. legit, *Quid id esse aliud.*—12 '*Cum jure majestate ademta.* Rott. Flor. Voss. duo et editi, *cum jure ac majest.* Forte etiam distinguendum: *scandere posse? Si Patribus tribuni cum jure ac majestate ademta, animos etiam eripuerint, consules paratos.*' J. F. Gronov.

NOTÆ

[o] *Et cum hostes tantum non arcessierint*] Elegantius illud *tantum non*, quam Sigonianum *tantum hostium*. Nam *tantum non* idem est ac, parum abest, quin, vel propemodum.

[p] *Cur cœlum ac terras misceant*] Proverbialis locutio, pro eo quod est, omnia perturbare ac susque deque

factus? negent se manibus temperaturos,[q] violaturosque denuntient sacrosanctam potestatem? Si populo Romano liberum suffragium datur, ut, quibus velit, consulatum mandet, et non præciditur spes plebeio quoque,[13] si dignus summo honore erit, apiscendi summi honoris, stare urbs hæc non poterit? de imperio actum est? et perinde hoc valet, plebeiusne consul fiat,[14] [r] tanquam servum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat? Ecquid sentitis, in quanto contemtu vivatis? Lucis vobis hujus partem, si liceat, adimant. Quod spiratis, quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur. Quin etiam (si Diis placet) nefas aiunt esse, consulem plebeium fieri. Obsecro vos,[s] si[15] non ad fastos,[t] non ad commentarios pontificum admittimur; ne ea quidem scimus,[e] quæ omnes peregrini etiam sciunt? consules in locum regum successisse? nec aut juris, aut majestatis quicquam habere, quod non in regibus ante fuerit? En unquam creditis fando auditum esse,

[e] *An hæc quoque ignoramus?*

13 'Edd. antiquiores *cuique*, perperam; est enim conjunctio referenda ad *spes*: mox in iisdem est *adipiscendi*, usitatiori forma.' *Stroth.*—14 'Alii legunt, *plebeius ne consul fiat*, ut hæc quasi lex sit. Bauerus malebat *actum*

NOTÆ

vertere. Ita Juven. 'Quis cœlum terris non misceat, ac mare cœlo?'

[q] *Negent se manibus temperaturos*] Repete *quid est cur*, minentur scilicet fore, ut non abstineant a vi; cur significent se violaturos, &c.

[r] *Plebeiusne consul fiat*] Et cum queritur an plebeius consul fieri possit, hoc perinde accipitur a patriciis, ac si quis dicat servum consulem fieri. Prætorem certe a populo factum legimus Barbarium Philippum, qui revera servus erat, sed pro libero habebatur.

[s] *Obsecro vos*] Forma est honestior contradicendi iis quæ ab alio, sive præsente, sive absente, proferuntur: quasi dicas, oro, id consideremus. Videte, quæso, quid dicatur. Huic respondet Gallica quoque phrasis: *Hé je vous prie, Messieurs.*

[t] *Si non ad fastos*] Fastorum, ac feriarum indicendarum, immo totius anni digerendi, jurisque interpretandi, et componendorum annalium cura penes Pontifices erat; eorumque commentariis hæc omnia continebantur, uti ex Dionysio lib. II. Livio lib. I. c. 20. lib. VI. c. 1. et maxime lib. IX. c. 46. colligitur. Pontifices autem ex patriciis duntaxat cooptabantur, a Numæ usque temporibus ad consulatum Q. Apuleii Pansæ, et M. Valerii Corvi, id est, an. U. C. 454. post 145. annos ab his consulibus, M. Genucio et C. Curtio.

Numam Pompilium, non modo non patricium,[u] sed ne civem quidem Romanum, ex Sabino agro accitum, populi jussu, Patribus auctoribus, Romæ regnasse? L. deinde Tarquinium, non Romanæ modo,[x] sed ne Italicæ[16] quidem gentis, Damarati[17] Corinthii filium, incolam ab Tarquiniis, vivis liberis Anci, regem factum? Ser. Tullium post hunc, captiva Corniculana natum, patre nullo, matre serva,[y] ingenio, virtute regnum tenuisse? Quid enim de T. Tatio Sabino dicam, quem ipse Romulus, parens urbis, in societatem regni accepit? Ergo, dum nullum fastiditur genus,[18] in quo eniteret virtus, crevit imperium Romanum. Pœniteat nunc vos plebeii consulis, cum majores nostri advenas reges non fastidierint, et ne regibus quidem exactis clausa urbs fuerit peregrinæ virtuti. Claudiam certe gentem post reges exactos ex Sabinis non in civitatem modo accepimus, sed etiam in patriciorum numerum? Ex peregrinone patricius,[z] deinde consul fiat? civis Romanus si sit ex plebe, præcisa consulatus spes erit? Utrum tandem non credimus fieri posse, ut vir fortis ac strenuus, pace belloque bonus, ex plebe, sit Numæ, L. Tarquinio, Ser. Tullio similis? An ne, si sit, quidem ad gubernacula rei publicæ accedere eum

erit et *valebit.*' Rupert.—15 Periz. legit *etsi.*—16 Grouov. Crevier. *non modo Romanæ.* Doujat. *non modo Romanæ, sed nec Italicæ.*—17 *Demarati* Dou-

NOTÆ

[u] *Non modo non patricium*] Non erat ille quidem e numero patriciorum Romanorum, sed apud Sabinos suos nobilis: et, post communicatum cum Tatio Sabino regnum, non omnino externæ gentis videri poterat. V. lib. I. c. 17.

[x] *Tarquinium, non Romanæ modo*] Vide lib. I. c. 34.

[y] *Patre nullo, matre serva*] Jure quidem Romano, pater est quem nuptiæ demonstrant; ideoque qui extra justas nuptias, et in his qui ex ancilla nascuntur, sine patre intelliguntur. Servium autem Tullium revera ex serva natum fuisse negat ipse Liv. lib. I. c. 39. quem vide.

[z] *Ex peregrinone patricius, &c.*] Captiosa argumentatio: qua seditiosus hic tribunus ostendere nititur, pejoris esse conditionis plebeios quam peregrinos, nisi plebeii consules fieri possint. Nam nec peregrini consules creari poterant, quamdiu peregrini manebant: et plebeii non minus quam peregrini in patriciorum Senatorumve numerum ascisci potuere: quod ante hæc quoque tempora sæpius aucto Senatufactum. Qua ratione ad consulatum pervenire poterant.

patiemur? potiusque decemviris, teterrimis[19] mortalium, qui tamen[20] omnes ex Patribus erant,[a] quam optimis regum novis hominibus, similes consules sumus habituri?

4. 'At enim nemo post reges exactos de plebe consul fuit. Quid postea? Nullane res nova institui debet? et, quod nondum est factum, (multa enim nondum sunt facta in novo populo,) ea, ne si utilia quidem sint, fieri oportet?[1] Pontifices, augures, Romulo regnante, nulli erant: ab Numa Pompilio creati sunt. Census in civitate et descriptio centuriarum classiumque non erat: ab Ser. Tullio est facta. Consules nunquam fuerant: regibus exactis creati sunt.[2] Dictatoris nec imperium nec nomen fuerat: apud patres esse cœpit.[b] Tribuni plebis, ædiles, quæstores, nulli erant:[c]

Jat. Crevier.—18 Conj. Rupert. *dum nullum fastidiretur genus.*—19 Codd. recentt. *deterrimis.*—20 '*Tum* Edd. omnes et plerique Mss. Nos *tamen* ex Ms. Veith. recepimus, cui accedunt duo apud Drak.' *Stroth.*

1 'Τὸ *ea* referendum ad *multa:* quod quo facilius appareret, parentheseos signa ex præc. sustulit Bauer. qui tamen vel sic ἀνακόλουθον orationem esse jam monuit. Forte leg. *Et, quod nondum est factum,* (*multa .... populo,*)

NOTÆ

[a] *Qui tamen omnes ex Patribus erant*] Hoc verum, si de primi anni decemviris agas, qui permodeste magistratum gesserunt, lib. III. c. 33. At quos 'deterrimos mortalium' dicit, decemviri nempe posteriores, eorum tres ex plebe fuere, uti diserte scriptum a Dionysio lib. X.

[b] *Apud patres esse cœpit*] Non *apud* sive *penes* Senatores; (quamvis id quoque verum;) sed apud patres nostros, hoc est, tempore patrum nostrorum. Hoc enim vult Canuleius. Et sane ante annos tantum 56. cœperat dictatura an. U. C. 253. ut consulatus an. 245. tribunatus plebis et ædilitas an. 261.

[c] *Quæstores, nulli erant*] Junius tamen Gracchanus apud Ulpianum Jurisconsultum scripserat, ipsum Romulum Numamque Pompilium quæstores habuisse: ac certum saltem esse Tullo Hostilio rege quæstores fuisse; et apud Tacitum XI. Annal. 'Quæstores regibus etiam imperantibus instituti sunt.' Et regum ea in re institutum statim post reges exactos ab L. Bruto lege curiata repetitum fuisse docet ibid. Tacitus: qui et consulibus mansisse potestatem eos deligendi tradit. Verum id adjicit quod tacet Noster, anno 63. post Tarquinios exactos Valerium Potum (immo *Potitum*) et Æmilium Mamercum quæstores primum a populo creatos, qui rem militarem comitarentur. At in annorum numero erratum probat Lipsius, vultque pro anno LXIII. (qui esset hic ipse annus cujus nunc res describuntur) reponi XXIII. ut sit annus Urbis 267. Post quem satis frequens apud Livium ac Dionysium mentio quæstorum. De his igitur quæstoribus in singulos annos rei militaris causa creari cœptis accipiendum nunc Canuleii dictum.

institutum est, ut fierent. Decemviros legibus scribendis intra decem hos annos et creavimus, et e re publica sustulimus. Quis dubitat, quin, in æternum urbe condita, in[3] immensum crescente, nova imperia, sacerdotia, jura gentium hominumque[f] instituantur? Hoc ipsum, ne connubium Patribus cum plebe esset, non decemviri tulerunt paucis his annis[d] pessimo exemplo publico,[4 e] cum summa injuria plebis? An esse ulla major aut insignitior[5] contumelia potest, quam partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? Quid est aliud, quam exilium intra eadem mœnia, quam relegationem pati?[f] Ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cavent; ne societur sanguis. Quid? hoc si polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis et Sabinis, non genere nec sanguine, sed per cooptationem in Patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges exactos jussu populi; sinceram servare privatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe, neque vestras filias sororesque enubere[6] sinendo[g] e Patribus? Nemo plebeius patriciæ virgini vim afferret:

[f] *Familiarum propria quædam jura.*

non, ne si utile quidem sit, fieri oportet?' Rupert.—2 Vulg. *creati.*—3 *Et in* Edd. ante Gronov. Crevier.—4 *Pessimo publico* malebat J. F. Gronov. Vid. Not. inf. et Not. Var.—5 *Insignior* Edd. plerique ante Drak. et Ms. Veith.

NOTÆ

[d] *Non decemviri tulerunt paucis his annis*] Tulerant vero ante quadriennium. Sed per interrogationem prolata negatio affirmandi vim habet: ut sit, *nonne tulerunt?*

[e] *Pessimo exemplo publico*] Alii *pessimo exemplo:* Rhenanus addidit *publico* ex cod. Borbetom. Harum ego lectionum utramvis malim, quam quæ Gronovio, licet nullis veteribus libris subnixa, blanditur, *pessimo publico.* Ita quidem locutus est Tacitus, sed semel opinor, et solus.

[f] *Quam relegationem pati*] Hæc ad plebeios, qui injuriam patiantur, superiora, 'indignam connubio haberi,' ad patricios, injuriam plebi facientes, referuntur. Ceterum *relegatio,* minor pœna est quam exilium, sive aquæ et ignis interdictio, quæ postea in deportationem mutata est. Hoc enim genere civitas amittitur, non relegatione. Ideoque Ovid. de Tristib. hæc distinguit.

[g] *Enubere sinendo*] Non permittendo ut extra patriciorum ordinem nubant eorum filiæ ac sorores, quæ in ipsorum potestate sunt, *ne permettant pas qu'elles se mesallient.*

patriciorum ista libido est.[7] Nemo invitum pactionem nuptialem quenquam facere coëgisset. Verum enim vero lege id prohiberi, et connubium tolli Patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est. Cur enim non confertis,[g] ne sit connubium divitibus ac pauperibus? Quod privatorum consiliorum ubique semper fuit, ut, in quam cuique fœminæ convenisset domum, nuberet; ex qua pactus esset vir domo, in matrimonium duceret; id vos sub legis superbissimæ vincula conjicitis, qua dirimatis societatem civilem, duasque ex una civitate faciatis. Cur non sancitis, ne vicinus patricio sit plebeius? ne eodem itinere eat? ne idem convivium ineat? ne in foro eodem consistat? Quid enim in re est aliud, si plebeiam patricius duxerit, si patriciam plebeius? quid juris tandem mutatur? nempe patrem sequuntur liberi. Nec, quod nos ex connubio vestro petamus, quicquam est, præterquam ut hominum, ut civium numero simus: nec, vos (nisi in contumeliam ignominiamque nostram certare juvat) quod contendatis, quicquam est.

5. 'Denique utrum tandem populi Romani, an vestrum summum imperium est? Regibus exactis, utrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta est? Oportet licere populo Romano, si velit, jubere legem. An, ut quæque rogatio promulgata erit, vos delectum pro pœna decernetis? et simul ego tribunus vocare tribus in suffragium cœpero; tu statim consul sacramento juniores adiges,[h] et in castra educes? et minaberis plebi, minaberis tribuno? Quid, si[8] non, quantum istæ minæ adversus plebis consensum valerent, bis jam experti essetis? scilicet, quia nobis consultum volebatis, certamine abstinuistis. An ideo non est dimicatum, quod, quæ pars firmior, eadem modestior fuit?[i] Nec nunc erit certamen, Quirites. Ani-

[g] *Cur enim non simul fertis legem? &c.*
[h] *Juventutem coges ad jusjurandum militare?*
[i] *Quod pars quæ validior erat, eadem moderatior quoque fuerit?*

—6 *Nubere* Ms. Veith.—7 Vulg. *patriciorum libido est.*
8 'Ernesti *quid si* pro *quasi* dictum, vel ita legendum putabat.' *Rupert.*

mos vestros illi tentabunt semper, vires non experientur. Itaque ad bella ista,[9] seu falsa, seu vera sunt, consules, parata vobis plebes est, si, connubiis redditis, unam hanc civitatem tandem facitis; si coalescere, si jungi miscerique vobis privatis necessitudinibus possunt; si spes, si aditus ad honores viris strenuis et fortibus datur; si in consortio, si in societate rei publicæ esse, si, quod æquæ libertatis est, in vicem annuis magistratibus parere atque imperitare licet.[k] Si hæc[10] impediet aliquis, ferte sermonibus, et multiplicate fama bella; nemo est nomen daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in re publica honorum, nec in privata connubii societas est.'

6. Cum in concionem et consules processissent, et res a perpetuis orationibus in altercationem vertisset;[l] interroganti tribuno, 'cur plebeium consulem fieri non oporteret?' ut fortasse vere, sic parum utiliter in præsens certamen respondit,[11 h] 'quod nemo plebeius auspicia haberet.[i] Ideoque decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur.' Plebes ad id maxime indignatione exarsit, quod auspicari, tanquam invisi Diis[k] immortali-

[k] *Si per magistratus annuos, qui omnibus pateant, licebit unicuique per vices parere, atque imperare.*

[l] *Concionum et continuorum sermonum loco successissent rixæ atque altercationes intercisæ.*

—9 Legendum monet Sigon. ex vet. lib. *Ita ad bella ista.*—10 Idem legit *Sin hæc.*

11 'Pro *respondit* forte leg. *responderunt*, sc. consules, vel *respondetur*, vel *respondebatur*; nisi excidit nomen alterius consulum. Bauerus monet, *respondit* dictum esse pro *responderunt*, aut supplendum *consul*, sc. ex consulibus.

NOTÆ

[h] *Respondit*] Consul haud dubie: sed uter, Genuciusne an Curtius, non explicat.

[i] *Quod nemo plebeius auspicia haberet*] Id verum: nam lege Romuli sacra, cumque his auspicandi jura, solis patriciis commissa fuisse paulo ante observatum est. Sed hæc responsio, parum accommodata ad tempus, auxit seditionem, quam sedare oportebat.

[k] *Tanquam invisi Diis*] Divinationis genus omne a Deo est, ut et nomen ipsum innuit, et rei natura evincit. Est enim divinatio vis quædam cognoscens et explicans signa futurorum, quæ hominibus a Diis portendantur, ut Chrysippus apud Cicero-

bus, negarentur posse. Nec ante finis contentionum fuit, (cum et tribunum acerrimum auctorem plebes[12] nacta esset, et ipsa cum eo pertinacia certaret,) quam victi tandem Patres, ut de connubio ferretur,[m] consensere: ita maxime rati contentionem de plebeiis consulibus tribunos aut totam deposituros, aut post bellum dilaturos esse; contentamque interim connubio plebem paratam delectui fore. Cum Canuleius victoria de Patribus et plebis favore ingens esset,[n] accensi alii tribuni ad certamen pro rogatione sua summa vi pugnant, et, crescente in dies fama belli, delectum impediunt. Consules, cum per senatum, intercedentibus tribunis,[o] nihil agi posset, consilia principum[13] domi habebant. Apparebat, aut hostibus,[14] aut civibus de victoria concedendum[1] esse. Soli ex consularibus Valerius atque Horatius non intererant consiliis. C. Claudii sententia consules armabat in tribunos: Quintiorum Cincinnatique et Capitolini sententiæ abhorrebant a cæde violandisque,[m] quos, fœdere icto cum plebe, sacrosanctos accepissent. Per hæc consilia eo deducta res est, ut tribunos militum consulari potestate[n] promiscue ex Pa-

[m] *Ut rogaretur ac perferretur lex de promiscuis inter ordines nuptiis.*
[n] *Potentia et fama esset auctus.* [o] *Eo quod tribuni pl. obsisterent.*

Neutrum satis placebit.' *Rupert.*—12 *Plebs* Gronov. Doujat. Crevier.—13 Malebat Gronov. *concilia principum.*—14 Legendum monet Sigon. ex vet.

NOTÆ

nem definit. Ejusmodi sunt auspicia, auguria, et alia ejusmodi. Ideo plebeii auspicandi et per aves prædicendi facultatem sibi penitus ademtam ita interpretabantur, ac si Deorum beneficiis indigni dicerentur.

[1] *De victoria concedendum*] Remittendam condonandamque, vel hostibus vel civibus, victoriam, *qu'il falloit se départir de la pretension de la victoire, en faveur des ennemis ou du peuple.*

[m] *Violandisque*] Sententia est, abhorruisse illos ab offendendis per vim tribunis, quos per leges concordiæ cum plebe initæ tanquam inviolabiles susceperant; *qu'ils avoient reconnus et acceptés pour sacrés et inviolables.*

[n] *Ut tribunos militum consulari potestate*] Hoc initium hujus dignitatis ex commento C. Claudii, qui cum plurium sententiæ de consulatu cum plebe communicando cedendum necessario videret, hoc temperamentum suggessit, ut duorum consulum loco crearentur in annum proximum tribuni militum, tres patricii, plebeii

tribus ac plebe creari sinerent; de consulibus creandis nihil mutaretur. Eoque contenti tribuni, contenta plebs fuit. Comitia tribunis consulari potestate tribus creandis[o] indicuntur. Quibus indictis, extemplo, quicumque aliquid seditiose dixerat aut fecerat, quam[15] maxime tribunicii, et prensare homines, et concursare toto foro candidati cœpere: ut patricios desperatio primo, irritata plebe, adipiscendi honoris, deinde indignatio, si cum his gerendus esset honos, deterreret. Postremo coacti tamen a primoribus petiere, ne cessisse possessione[16] rei publicæ viderentur. Eventus eorum comitiorum docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatisque, alios, secundum deposita certamina, incorrupto judicio esse: tribunos enim omnes patricios creavit populus, contentus eo, quod ratio habita plebeiorum esset. Hanc modestiam æquitatemque et altitudinem animi ubi nunc in uno inveneris, quæ tum[17] populi universi fuit?

7. Anno trecentesimo decimo,[p] quam urbs Roma condita

lib. *Apparebat autem aut h.*—15 'Τὸ *quam* redundat, atque illud *et* rectius afuerit, ut simpl. otiosum: neque enim distributionem facit cum altero *et*, sed idem fere indicat.' *Bauer.* Vid. Not. Var.—16 Conj. Rupert. *possessionem.*—17 *Tunc* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

totidem, qui consulari potestate rempub. gererent. Finito autem eorum annuo imperio, consuleretur Senatus et populus, consules more solito ex patriciis, an iterum tribunos militum ex utroque ordine fieri vellet. Eam vero sententiam per Valerium, Horatium, aliosque plebi acceptos Senatores, coram tribunis plebis in Senatu proponi curavit. Quod ideo factum, ut nec plebs consules sui ordinis haberet, et tamen hac summi magistratus temporaria participatione deliniretur, sicque ad delectum extemplo nomina daret. Sed pro sex utroque ex ordine tribunis, plebs tribus patriciis contenta fuit.

o *Tribus creandis*] Tres quidem tantum creati sunt. Verum ita lex lata erat, ut sex creare liceret, nec promiscue, sed æquali numero ex utroque ordine, ut ex Dionysio retulimus nota proxima.

p *Anno trecentesimo decimo*] Plerique ex lapidibus Capitolinis, tribunos militum consulari potestate anno 309. sive cum Zonara, coss. M. Genucio et C. Curtio, primum creatos censent. Glareanus an. 311. Me non pigebit Livium hic sequi, præsertim cum certum sit hos tribunos, quod vitio, et minus recte servatis auspiciis creati essent, tertio mense, sive ex Dionysio post 73. dies, abdicasse,

erat, primum tribuni militum pro consulibus magistratum ineunt, A. Sempronius Atratinus, L. Atilius, T. Cæcilius;[18] quorum in magistratu concordia domi pacem etiam foris præbuit. Sunt, qui propter adjectum Æquorum Volscorumque bello et Ardeatium defectioni Veiens bellum, quia duo consules obire tot simul bella nequirent, tribunos militum tres creatos dicant, sine mentione promulgatæ legis de consulibus creandis ex plebe, et imperio et insignibus consularibus usos. Non tamen pro firmato jam stetit magistratus ejus jus; quia tertio mense, quam inierunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere; quod C. Curtius, qui comitiis eorum præfuerat, parum recte tabernaculum[19] cepisset.[q] Legati ab Ardea[20] Romam venerunt, ita de injuria querentes,[r] ut, si demeretur ea, in fœdere atque amicitia mansuros, restituto agro, appareret. Ab se-

18 Alii legunt *Clœlius*.—19 Conj. Valesius, *rite tabernaculum*.—20 Vulg.

NOTÆ

eorumque in locum suffectos consules, quos Dionysius jam laudatus et Zonaras in unum eundemque cum his tribunis annum conjiciunt: ille in fine lib. XI. ait annum 3. fuisse Olympiadis 84. Archonte Athenis Diphilo. Non igitur cum Genucio et Curtio, sed cum sequentibus consulibus in eundem annum concurrunt.

Anno trecentesimo decimo] Designati nempe sunt tribuni hoc anno, sed magistratum gesserunt sequente. Vide Henr. Dodwellum diss. X. de Cyclis et Chron. Dionysiana. Quia tamen tertio mense abierunt magistratu, annus signatur nomine consulum postea creatorum. *J. Clericus.*

q *Parum recte tabernaculum cepisset*] Inter cetera centuriatorum comitiorum solennia, illud inprimis observabatur, ut magistratus comitia habiturus, post peracta sacra, et captata intra pomœrium cum augure auspicia, extra urbem tabernaculum caperet tanquam dux exercitus, atque in eo sederet captandorum adhuc auspiciorum causa, eumque cives armati, sub signis, et in suis quique centuriis, sequerentur. Sed in capiendo locandove tabernaculo vitium committi censebatur, si is, priusquam pomœrium transgrederetur, auspicia non consuluisset, aut si adversa apparuissent. Quod ubi contigerat, nihil actum videbatur, decernebantque augures, ut qui sic vitio creati essent, magistratum deponerent, uti ex Dionysio Halic. lib. II. Cic. III. de Legib. et II. de Divin. Dione lib. XXXVII. Plutarcho in Marcello discimus.

Tabernaculum cepisset] Similis locutio apud Ciceronem de Nat. Deor. lib. II. c. 4. et Val. Maximum lib. I. c. 1.

r *Ita de injuria querentes*] Querebantur de agris ex testimonio Scaptii sibi abjudicatis: parati tamen, iis restitutis, et sic sublata injuria, in fœdere manere.

natu responsum est, 'judicium populi rescindi ab senatu non posse, præterquam quod nullo nec exemplo nec jure fieret,[s] concordiæ etiam ordinum causa. Si Ardeates sua tempora expectare velint,[t] arbitriumque senatui levandæ injuriæ suæ permittant, fore, ut postmodo[r] gaudeant, se iræ moderatos; sciantque, Patribus æque curæ fuisse, ne qua injuria in eos oriretur, ac ne orta diuturna esset.' Ita legati, cum se rem integram relaturos[u] dixissent, comiter dimissi. Patricii, cum sine curuli magistratu res publica esset, coiere, et interregem creavere. Contentio, consulesne, an tribuni militum crearentur, in interregno rem dies complures tenuit. Interrex ac senatus, consulum comitia; tribuni plebis et plebs, tribunorum militum ut habeantur, tendunt. Vicerunt Patres, quia et plebs, patriciis seu hunc seu illum delatura honorem, frustra certare supersedit: et principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quam quibus ut indigni præterirentur. Tribuni quoque plebis certamen sine effectu in beneficio apud primores Patrum reliquere.[p] T. Quintius Barbatus interrex consules creat L. Papirium[x] Mugillanum, L. Sempronium Atratinum. His consulibus cum Ardeatibus fœdus renovatum est. Idque monumenti est, consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inveniuntur. Credo, quod tribuni militum initio anni fuerunt,[y] eo, perinde ac si totum annum in

[p] *Inutilem contentionem remiserunt, quasi ea in re gratificarentur primoribus Senatorum.*

NOTÆ

[s] *Præterquam quod nullo nec exemplo nec jure fieret*] Nunc quidem non licebat Senatui acta populi aut plebis rescindere, idque ad concordiam utriusque ordinis ita servari conveniebat: sed quod nullo exemplo niti hic dicitur, ad hæc tempora accommodatum. Antiquis enim temporibus paulo aliter se rem habuisse ostendimus ex Halicarnasseo lib. II. c. 6.

[t] *Sua tempora expectare velint*] Significat tempus commodum Senatui ad id perficiendum, occasionem, καιρόν.

[u] *Rem integram relaturos*] An rem totam suis renuntiaturos, an potius rem in integro relicturos, et eodem statu reportaturos, quo ante ipsorum discessum fuisset?

[x] *L. Papirium*] Eodem anno, quo primi tribuni militum creati abdicarunt, suffecti sunt consules in reliquum annum, id est, in novem fere menses.

imperio fuerint, suffectis his consulibus, prætermissa nomina consulum horum. Licinius Macer[z] auctor est, et in fœdere Ardeatino, et in linteis libris[a] ad Monetæ[b] inventa.[2] Et foris, cum tot terrores a finitimis ostentati essent, et domi otium fuit.

8. Hunc annum (seu tribunos modo,[c] seu tribunis suffectos consules quoque habuit) sequitur annus haud dubiis consulibus, M. Geganio Macerino iterum, T. Quintio Capitolino quintum consulibus.[3]* Idem hic annus censuræ initium fuit,[d] rei a parva origine ortæ: quæ deinde tanto incre-

Legati ab Ardeatibus.—1 Gronov. Doujat. Crevier. *postmodum.*—2 Vulg. *ad Monetæ inventos.*

3 'Voss. Rott. et Helm. *consule.* Sed utrumque est a mala manu. Suffecerat Livio, *sequitur annus haud dubiis consulibus .... Capitolino quintum. Idem hic a.*' J. F. Gronov. Notat et Rupert. vocem *consulibus* delendam

NOTÆ

[z] *Quod tribuni militum initio anni fuerunt*] Summi magistratus, qui annum inchoaverant, nomen ei dabant in fastis; licet in discursu anni alii sufficerentur.

[2] *Licinius Macer*] Annalium sive rerum Romanarum libros scripsit C. Licinius Macer, et qui cum an. U. C. 665. quæsturam gessisset, a Cicerone prætore accusatus repetundarum, voluntaria morte periit, teste eodem Cicerone lib. I. epistolar. ad Atticum, et Plut. in Cicer.

[a] *In linteis libris*] Veteres, etsi plerumque tabulis cera oblitis, membranisve ad scribendum uterentur, tamen alia quoque materia usi sunt, tela etiam in id adhibita. Testis Plinius lib. XIII. c. 11. 'in Palmarum' (aut malvarum) 'foliis primo scriptitatum: deinde quarundam arborum libris: postea publica monumenta plumbeis voluminibus; mox et privata linteis confici cœpta, aut cereis.' Alludit Auson. Ep. 23. 'per licia texta querelas Edidit, et tacitis mandavit crimina telis.' Ea Carbasina volumina vocantur a Martiano Capella lib. II. de nupt. Philologiæ. Chartæ autem, quæ nunc papyri nomine apud nos in usu, quid aliud quam textilia in linteis, aut xylinis, alicubi etiam bombycinis panniculis, sive centonibus, folia? In Monetæ itaque æde libri lintei servabantur, in quibus continebantur Romani imperii fata atque historia. Noster infra cap. 20.

Linteis libris] Vide hac de re Henr. Dodwellum in explicatione antiqui Diarii, subjecti prælectionibus Camdenianis. Meminit horum librorum Livius et infra c. 13. *J. Clericus.*

[b] *Ad Monetæ*] Ædes Junonis Monetæ in arce erat, ubi fuerat ædium M. Manlii Capitolini area. Liv. lib. VII. c. 28.

[c] *Seu tribunos modo*] In aliis Romanorum annalibus tribuni tantum militum, in aliis consules soli hoc anno memorabantur, in paucis utrique teste Dionysio: qui se posteriorum sententiam secutum affirmat ex fide sacrorum librorum.

* A. U. C. 311.

[d] *Hic annus censuræ initium fuit*]

mento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ[e] penes eam regimen, senatus, equitumque centuriæ,[f] decoris dedecorisque discrimen[4] sub ditione ejus magistratus, publicorum jus privatorumque locorum,[5] vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. Ortum autem initium rei est, quod in populo, per multos annos[g] incenso, neque differri census poterat,[q] neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere.[r] Mentio illata ab senatu est,[6] 'Rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu egere: cui scribarum ministerium, custodiæque et tabu-

[q] *Non relato in tabulas censuales.*
[r] *Nec consulibus operæ pretium esse videbatur ei rei incumbere. Vel Consules ei negotio dare operam non poterant.*

videri.—4 'Non male Stroth. emend. *senatus, equitum, centuriæ,* vel potius, quod in quibusdam Mss. legitur, *centuriarum,* (aut *centuriarumque*) *decoris dedecorisque discrimen;* nisi malis *descriptio.*' Rupert.—5 Inserunt *et* Edd. a Sigon. ad Drak.—6 Conj. Pighius, *M. illata ab consulibus in senatu est,*

NOTÆ

Censum, a Servio Tullio rege institutum, et ipse sæpius, et post Tarquinium consules hactenus egerant. Sed hi, bello ac tribuniciis certaminibus distracti, salubrem hunc morem jamdiu intermiserant: cum tamen ea res necessaria omnibus videretur, deque ea consules ad Senatum referrent, placuit creari censores, qui huic tantum negotio vacarent. Hi magistratus initio quinquennales paulatim auctoritatem suam ad alia porrexerunt.

[e] *Ut morum disciplinæque Romanæ*] Ideo magistri quoque morum dicebantur censores, quorum munia Cic. lib. III. de Legib. describit hac lege proposita: 'Censores populi ævitates' (ætates), 'sobolcs, familias, pecuniasque censento. Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor, populique partes in tribus distribuunto. Exin pecunias, ævitates, ordines partiuntor: equitum peditumque prolem describunto: cœlibes esse prohibento: mores populi regunto: probrum in Senatu ne relinquunto: bini sunto: magistratum quinquennium habento.' Vide et Plut. in Catone majore, et Paulo Æmilio.

[f] *Equitumque centuriæ*] Equitum apud Romanos duo fuere genera: alii medium inter Senatores et vulgus civium ordinem constituebant: alii equis suis merebant, peditibus oppositi. Utrique in centurias divisi: sed hic de prioribus sermo est, qui in equestrem ordinem lecti erant a censoribus, assignato equo publico, datoque aureo annulo, quo a reliqua plebe, ut angusto clavo a Senatoribus, distinguebantur.

[g] *Per multos annos*] A L. Cornelii et Q. Fabii consulatu an. U. 295. per annos ferme XVII. ut observat Dionys.

larum cura,[7] cui arbitrium formulæ censendi subjiceretur.'[s] Et Patres, quanquam rem parvam, tamen, quo plures patricii magistratus in re publica essent, læti accepere: id, quod evenit, futurum credo etiam rati, ut mox opes eorum, qui præessent, ipsi honori jus majestatemque adjicerent. Et tribuni, (id quod tunc erat,) magis necessariam, quam speciosi ministerii procurationem intuentes, ne in parvis quoque rebus incommode adversarentur, haud sane tetendere.[t] Cum a primoribus civitatis spretus honor esset, Papirium Semproniumque,[h] quorum de consulatu dubitabatur,[8][i] ut eo magistratu parum solidum consulatum explerent, censui agendo[k] populus suffragiis præfecit. Censores ab re appellati sunt.

9. Dum hæc Romæ geruntur, legati ab Ardea veniunt, pro veterrima societate renovatoque fœdere recenti auxilium prope eversæ urbi implorantes. Frui namque pace, optimo consilio cum populo Romano servata, per intestina arma non licuit; quorum causa atque initium traditur ex certamine factionum ortum: quæ fuere eruntque pluribus

[s] *Penes quem magistratum esset potestas in scribas eorumque ministerium, librorum item censualium tum conficiendorum tum custodiendorum cura, cum facultate arbitrandi qua formula in censum quisque referendus esset.*

[t] *Nequaquam contenderunt, ne viderentur etiam in minimis quibusque Senatui reluctare.*

probantibus Stroth. et Rupert.—7 Conj. Rupert. *et tabularum cura custodiaque.*—8 Idem legendum monet *dubitatur* e Ms. Lovel. 4. et edd. vett. ante Ald.

NOTÆ

[h] *Papirium Semproniumque*] Superioris anni consules. Cic. loco paulo ante dicto scripsit, L. Papirium Mugillanum, qui consul fuit cum L. Sempronio Atratino, antea censorem cum eodem fuisse. Qua in re librarii vitium arguit Sigonius. Sed et auctor ipse memoria labi potuit: quod ipse aliquando de se in veteri historia confitetur.

[i] *Quorum de consulatu dubitabatur*] Miror non additam hujus dubitationis causam. Ego de ipsa dubitatione facile dubitaverim, cum jure, nemine refragante, creati menses aliquot gesserint. Si mutare liceat, pro *dubitabatur* non ægre reposuerim *demebatur*. Cum enim mense Decembri iniissent, auctore Dionys. annum solidum non impleverant, ut Noster quoque subjicit.

[k] *Censui agendo*] Et vero undecimum lustrum ab his conditum Sigonius ex sequentibus lustris conjicit, notatque ex Varrone et Livio censores inter se sortiri solitos, uter lustrum conderet; et qui condidisset, eum fere collegæ postponi solitum.

populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive, quæque alia in Deum iras,[l] velut ultima publicorum malorum, vertunt. Virginem plebeii generis, maxime forma notam, petiere juvenes:[9] alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui et ipsi ejusdem corporis erant;[u] nobilis alter, nulla re, præterquam forma, captus. Adjuvabant eum optimatium studia, per quæ in domum quoque puellæ certamen partium penetravit. Nobilis superior judicio matris esse, quæ quam splendidissimis nuptiis jungi puellam volebat. Tutores, in ea quoque re partium memores,[m] ad suum tendere. Cum res peragi intra parietes nequisset, ventum in jus est. Postulatu audito matris tutorumque, magistratus secundum parentis arbitrium dant jus nuptiarum.[n] Sed vis potentior fuit. Namque tutores, inter suæ partis homines de injuria decreti palam in foro concionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt. Adversus quos infestior coorta optimatium acies sequitur accensum injuria juvenem. Fit prælium atrox. Pulsa plebs, nihil Romanæ plebi similis,[o] armata ex urbe profecta, colle quodam capto, in agros optimatium cum ferro ignique excursiones facit: Urbem quoque, omnis etiam expertem ante certaminis,[10] [p]

[u] *Qui, tutores, ipsi quoque plebeii generis atque ordinis erant.*

9 'Vox *duo* ante *juvenes* excidisse videtur.' *Doering.*—10 'Cum Drak. forte leg. *omnis etiam experte ante certaminis multitudine, &c.* vel *omnis etiam*

NOTÆ

[l] *Quæque alia in Deum iras*] Et alia, quæ homines, ex suis vitiis orta, transferunt ad Deos, eorumque iræ assignant; sibi ipsis, qui vera eorum causa sunt, parcentes.

[m] *In ea quoque re partium memores*] Partium plebeiarum studium in hoc quoque retineutes, eum, qui ejusdem secum ordinis erat, omni ope tuebantur.

[n] *Dant jus nuptiarum*] Significat ex matris arbitrio pronuntiatum cui filia nuberet.

[o] *Nihil Romanæ plebi similis*] Intellige quantum ad modestiam in nobiles eorumque bona, quibus Ardeates non pepercere, ut pepercerat patriciorum corporibus ac rebus plebs Romana duabus in montem Sacrum secessionibus. Ceterum quod ad partium studium attinet, satis utraque plebs similis, et quod armatæ ex suis quæque urbibus profectæ collem occuparunt.

[p] *Omnis etiam expertem ante certaminis*] Quomodo urbs antea omnis

multitudine opificum ad spem prædæ evocata, obsidere parat. Nec ulla species cladesque belli abest; velut contacta civitate rabie duorum juvenum, funestas nuptias ex occasu patriæ petentium. Parum parti utrique domi armorum bellique est visum. Optimates Romanos ad auxilium urbis obsessæ, plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos excivere.[11] Priores Volsci duce Æquo Clœlio [12] [q] Ardeam venere,[13] et mœnibus hostium vallum objecere. Quod ubi Romam est nuntiatum, extemplo M. Geganius consul, cum exercitu profectus, tria millia passuum ab hoste locum castris cepit, præcipitique jam die curare corpora milites jubet. Quarta deinde vigilia signa profert: cœptumque opus adeo approperatum est, ut, sole orto, Volsci firmiore se munimento ab Romanis circumvallatos, quam a se urbem, viderent. Et alia parte consul muro Ardeæ brachium [r] injunxerat;[14] [s] qua ex oppido sui commeare possent.[t]

expertam ante certaminis, ut passim 'expertus' jungitur genitivo.' *Rupert.* Vid. Not. inf.—11 *Excitavere* Gronov.—12 *Cluilio* Gronov. Doujat. Crevier. —13 *Venerant* Gronov. *venerunt* Doujat. Crevier.—14 Sigonius de suo *immiserat.* Vid. Not. Var.

NOTÆ

certaminis expers, si prælium atrox in ea inter nobilitatem et plebem, sique hæc armis pulsa? Quid si pro *expertem* una literula mutata legamus *expertes*, id est, cives locupletes qui neutrarum hactenus partium fuerant; quos tamen, cum optimatibus urbe inclusos, plebs, evocatis ex ea opificibus ac sellulariis, obsedit, non contenta in agros adversariorum grassari.

[q] *Duce Æquo Clœlio* [*Cluilio*] Non nunc primum Volsci subsidio Æquorum usi. Hic Cluilius, ex Æquis dux ascitus, eadem opinor ex gente fuit ex qua Gracchus Clœlius, qui Minucium consulem obsedit, tandemque T. Quintio Cincinnato deditus est, l. III. c. 28. Cluiliorum certe et Clœliorum nomen haud multum diversum, si vera pronuntiatio servetur.

[r] *Muro Ardeæ brachium*] Brachium valli species est. Accedit, opinor, ad munitionis illud genus quod nostris, *ligne de communication.* Id Lucan. ita describit: 'Fontesque et pabula campi Amplexus fossa, densas tollentia pinnas Cespitibus crudaque extruxit brachia terra.' Pinnæ his brachiis attribuuntur, quod cervis, id est, ferreis furcis tricipitibus aut quadricipitibus per intervalla intextis firmarentur. Brachii autem nomen eadem de causa inditum, qua sinuosi terrarum mariumve flexus brachia dicuntur: quod nempe brachii seu cubiti in speciem curventur.

[s] *Injunxerat*] Sigonius de suo, *immiserat;* quod nec Modio nec Gronovio probatur. Apud Nostrum eadem

10. Volscus imperator,[u] qui ad eam diem, non commeatu præparato, sed ex populatione agrorum rapto in diem frumento aluisset militem, postquam septus vallo repente inopem omnium rerum videt,[15] [x] ad colloquium consule evocato, 'si solvendæ obsidionis causa venerit Romanus, abducturum se inde Volscos,' ait. Adversus ea consul, 'victis conditiones accipiendas esse, non ferendas,'[x] respondit; 'neque, ut venerint ad oppugnandos socios populi Romani suo arbitrio, ita abituros Volscos esse. Dedi imperatorem, arma poni,' jubet, 'fatentes victos se esse, et[16] imperio parere. Aliter, tam abeuntibus quam manentibus se hostem infensum, victoriam potius ex Volscis, quam pacem infidam, Romam relaturum.' Volsci exiguam spem in armis,[17] alia undique abscissa, cum tentassent,[y] præter cetera adversa loco quoque iniquo ad pugnam congressi, iniquiore ad fugam,[z] cum ab omni parte cæderentur, ad

[x] *Victos debere leges pacis accipere, non dare.*

15 Vulg. *repente inops omnium rerum erat.*—16 *Et* del. Crevier.—17 *In*

NOTÆ

forma lib. v. 'Vineæque tantum non injunctæ mœnibus essent.' l. x. 'opere ac vineis demum injunctis muro.' 'Injungere' enim hic est adjungere, *avancer auprès.* Sumitur et pro immittere, vel annectere, ut in lege XII. Tabularum 'de tigno injuncto.'

[t] *Qua ex oppido sui commeare possent*] Per 'suos' intellige optimates Ardeatium, quibus opem laturus advenerat Geganius.

[u] *Volscus imperator*] Cluilius nempe, qui antea Æquus dux vocatur. Sed Æquus a patria, Volscus ab exercitu cui imperabat.

[x] *Repente inopem omnium rerum videt*] Militem scilicet, quem hactenus rapto frumento aluisse dicitur.

[y] *Volsci exiguam spem in armis, alia undique abscissa, cum tentassent*] Hoc vult: cum Volsci, ademta omni alia spe, experiri voluissent eam salutis viam et spem quæ sola atque admodum tenuis ipsis supererat, in armis scilicet, si forte vi perrumpere possent Romanas munitiones, &c. Quod 'spem tentasse Volscos' ait, hoc dicendi genere significat id quod sperabant fieri posse: ejus generis exempla profert Gronovius ex eod. Liv. lib. XXVI. 'Inde alia spes ab eo tentata est;' et lib. XXXVII. 'Tentata interim spe auxilii ab Antiocho.' Frustra Sigonius hic vocem *ponentes* interserit, quasi sit; *Volsci exiguam spem in armis ponentes.* Frustra pro accusativo legitur in auferendi casu *exigua spe.* Neutra enim ratione erit quo referas *cum tentassent;* nisi *alia undique abscissa* in neutro pluralis numeri sumas. Sed quid erit *tentare alia abscissa?*

preces a certamine versi, dedito imperatore traditisque armis, sub jugum missi, cum singulis vestimentis ignominiæ cladisque pleni dimittuntur. Et cum haud procul urbe Tusculo consedissent, vetere Tusculanorum odio inermes oppressi dederunt pœnas, vix nuntiis cædis [18] relictis. Romanus [19] Ardeæ turbatas seditione res, principibus ejus motus securi percussis, bonisque eorum in publicum Ardeatium redactis, composuit: demtamque injuriam judicii [a] tanto beneficio populi Romani Ardeates credebant; senatui superesse aliquid ad delendum publicæ avaritiæ monumentum videbatur. Consul triumphans in Urbem redit, Clœlio duce Volscorum [20] ante currum ducto, prælatisque spoliis, quibus dearmatum exercitum hostium sub jugum miserat. Æquavit, quod haud facile est, Quintius consul togatus armati gloriam collegæ: quia [1] concordiæ pacisque domesticam curam, jura infimis summisque moderando, ita tenuit, ut eum et Patres severum consulem, et plebs satis comem crediderint. Et adversus tribunos auctoritate plura, quam certamine, tenuit.[y] Quinque consulatus, eodem tenore gesti, vitaque omnis, consulariter acta, verendum pæne ipsum magis, quam honorem, faciebant. Eo [z] tribunorum militarium nulla mentio his consulibus fuit.

11. Consules creant [a] M. Fabium Vibulanum, Postu-

[y] *Obtinuit, pervicit, non tam contentione quam propria gravitate.*

[z] *Efficiebant ut majorem venerationem ex persona sua quam ex dignitate alliceret. Ideo, &c.*

[a] *Consules prioris anni novos consules eligi curant.*

armis ponentes ex suo codice legit Sigon.—18 Idem ex vet. lib. *cladis*.—19 Add. *consul* Edd. omnes præter Campan. Sigon. Crevier. Drak.—20 *Rediit, Cluilio Volscorum duce* Gronov. Doujat. Crevier.—1 *Qua* Edd. ante Sigon. *qui* Sigon. all. *domesticæ* legit Jac. Gronov.

NOTÆ

[z] *Iniquo ad pugnam congressi, iniquiore ad fugam*] Locus ad pugnam iniquus erat, quod ancipiti prælio decernendum esset, urgentibus hinc Romanis a fronte, inde obsessis a tergo: iniquior ad fugam, quæ non nisi perruptis Romanorum munitionibus patebat.

[a] *Demtamque injuriam judicii*] De agro inter Ardeates et Aricinos controverso, lib. III. cap. ult.

mum Æbutium Cornicinem.* Fabius et Æbutius consules, quo majori gloriæ rerum, domi forisque gestarum, succedere se cernebant,[b] (maxime autem memorabilem annum[b] apud finitimos socios hostesque esse, quod Ardeatibus in re præcipiti tanta foret cura subventum,) eo impensius, ut delerent prorsus ex animis hominum infamiam judicii, senatus consultum fecerunt, ut, quoniam civitas Ardeatium intestino tumultu redacta ad paucos esset, coloni eo præsidii causa[c] adversus Volscos scriberentur. Hoc palam relatum in tabulas,[d] ut plebem tribunosque falleret judicii rescindendi consilium initum. Consenserant autem, ut, multo majore parte Rutulorum colonorum, quam Romanorum, scripta, nec ager ullus divideretur, nisi is, qui interceptus judicio infami erat; nec ulli prius Romano ibi, quam omnibus Rutulis divisus esset, gleba ulla agri assignaretur. Sic ager ad Ardeates rediit. Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Æbutius Elva. Qui, per minime[z] populare ministerium agro assignando sociis, quem populus Romanus suum judicasset, cum plebem offendissent, ne primoribus quidem Patrum satis accepti, quod nihil gratiæ cujusquam dederant; vexationes,

[b] *Quo majori gloria ob res præclare, hinc bello, hinc pace, gestas esse videbant Geganium et Quintium consules, quibus ipsi succedebant.*

NOTÆ

* A. U. C. 312.

[b] *Maxime autem memorabilem annum*] Repete ex anterioribus, *cernebant.*

[c] *Coloni eo præsidii causa*] De jure civium Romanorum qui in colonias mittebantur videndus inter ceteros A. Gell. lib. XVI. cap. 13.

[d] *Hoc palam relatum in tabulas*] Mens consulum erat, ut ager, Ardeatibus ereptus iniquo populi Romani judicio, iisdem redderetur: quod tribuni plebis non erant probaturi. Igitur in Senatusconsulto non nisi colonorum Roma Ardeam mittendorum mentio facta. Et quia colonis agri erant assignandi, dividi tantum jussus est ager ille quem populus possessoribus Ardeatibus ademtum Romani juris illo judicio fecerat. Verum tacito quasi Senatusconsulto tribus Senatoribus, quibus deducendæ coloniæ munus incumbebat, mandatum ut in assignandis tot jugeribus, quot unicuique per Senatusconsultum attribui debebant, prius Rutulorum omnium, veterum scilicet Ardeæ incolarum, quam novorum colonorum Roma profectorum, rationem haberent.

ad populum jam die dicta ab tribunis, coloni ascripti,[3] remanendo in colonia,[e] quam testem integritatis justitiæque habebant, vitavere.

12. Pax domi forisque fuit et hoc et insequente[4] anno, C. Furio Pacilo[5] et M. Papirio Crasso consulibus.* Ludi, ab decemviris, per secessionem plebis a Patribus, ex senatus consulto voti, eo anno facti sunt. Causa seditionum nequicquam a Pœtelio[6] quæsita. Qui, tribunus plebis iterum ea ipsa denuntiando factus, neque, ut de agris dividendis plebi referrent consules ad senatum, pervincere potuit; et, cum magno certamine obtinuisset, ut consulerentur Patres, consulum an tribunorum placeret comitia haberi, consules creari jussi sunt. Ludibrioque erant minæ tribuni, denuntiantis se delectum impediturum; cum, quietis finitimis, neque bello, neque belli apparatu opus esset. Sequitur hanc tranquillitatem rerum annus, Proculo Geganio Macerino, L. Menenio Lanato consulibus,† multiplici clade ac periculo[f] insignis, seditionibus, fame, regno prope per largitionis dulcedinem in cervices accepto. Unum afuit bellum externum: quo si aggravatæ res essent, vix ope Deorum omnium resisti[7] potuisset.[g] Cœpere a fame

2 Vulg. *præter minime.*—3 ' *Colonis* Edd. a Paris. 1573. ad Crevier. quæ lectio facilior videtur: at recepta [*coloni*] in plurimis optimisque Mss. extat.' *Stroth.* ' *Colonis ascripti.* Voss. 1. *ascuti*, et in margine *ascitis.* Voss. 2. cum duobus Pall. *colonia scripti.* Rott. *coloni ascripti.*' J. F. Gronov.

4 *Insequenti* Gronov. Doujat. Crevier.—5 Vulg. *Pacilio.*—6 *Petillio* Gronov. *Petilio* Doujat. Crevier.—7 *Sisti* Gronov. Crevier. Vid. inf. et Not.

NOTÆ

[e] *Remanendo in colonia*] Hi triumviri civitatem mutare maluerunt, quam Romæ causam coram populo dicere.

* A. U. C. 313.

† A. U. C. 314.

[f] *Clade ac periculo*] Clades ex fame, periculum ex affectata tyrannide; utrumque ex seditionibus.

[g] *Vix ope Deorum omnium resisti potuisset*] Sic Modius et Gruterus secundum scriptos codices, veteresque editiones: alias *vix ope Deorum omnium res sisti potuisset.* Gronovius libros omnes corruptos esse contendit, jubetque scribi *sisti potuisset:* quam quidem loquendi formam pro eo quod est ' rem salvam esse,' aut ' servari non potuisse,' et elegantem, et Livio usitatam non diffiteor. Sed cum agatur de bello externo, cui verbum *resisti* optime convenit, nihil est quod absque antiquorum librorum auctoritate quicquam hic moveatur.

mala, seu adversus annus frugibus fuit, seu dulcedine concionum et Urbis deserto agrorum cultu: nam utrumque traditur. Et Patres plebem desidem, et tribuni plebis nunc fraudem nunc negligentiam consulum accusabant. Postremo perpulere plebeii,[8] haud adversante senatu, ut L. Minucius præfectus annonæ[h] crearetur; felicior in eo magistratu ad custodiam libertatis futurus, quam ad curationem ministerii sui: quanquam postremo annonæ quoque levatæ haud immeritam et gratiam et gloriam tulit. Qui cum, multis circa finitimos populos legationibus terra marique nequicquam missis, (nisi quod ex Etruria haud ita multum frumenti advectum est,) nullum momentum[9] annonæ fecisset, et, revolutus ad dispensationem inopiæ,[c] profiteri cogendo frumentum, et vendere, quod usu[10] menstruo superesset, fraudandoque parte diurni cibi servitia, criminando, inde et objiciendo iræ populi frumentarios, acerba inquisitione aperiret magis, quam levaret, inopiam; multi ex plebe, spe amissa, potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus obvolutis se in Tiberim præcipitaverunt.[d]

13. Tum Sp. Mælius ex equestri ordine, ut illis temporibus, prædives, rem utilem, pessimo exemplo, pejore consilio, est aggressus. Frumento namque ex Etruria privata pecunia per hospitum clientiumque ministeria coëmto, (quæ, credo, ipsa res ad levandam publica cura annonam impedimento fuerat,) largitiones frumenti facere instituit; plebemque, hoc munere delenitam, quacumque incederet,

[c] *Cum nihil profecisset in rei frumentariæ copia inducenda, eo descendit ut exiguam ejus quantitatem, quæ in urbe erat, parcissime dispensaret.*

[d] *In Tiberim sese præcipites agere maluerunt, quam inter famis cruciatus vitam producerent.*

Var.—8 Vulg. *perpulere plebem.*—9 Vulg. *et nullum momentum.*—10 *Usui* Ms. Veith. et Edd. plurimi.

NOTÆ

[h] *L. Minucius præfectus annonæ*] Extraordinarius hic magistratus creabatur, rei frumentariæ curandæ causa, cum gravis erat annona, et alimentorum inopia urbs laborabat. Augustus ordinarium fecit magistratum ex Tranquillo, qui curatorem frumenti populo dividendi vocat.

conspectus[11] elatusque[i] supra modum hominis privati, secum trahere, haud dubium consulatum favore[12] ac spe despondentem.[k] Ipse, ut est humanus animus insatiabilis eo, quod fortuna spondet,[e] ad altiora et non concessa tendere. Et, quoniam consulatus quoque eripiendus[f] invitis Patribus esset, de regno agitare: id unum dignum tanto apparatu consiliorum et certamine,[l] quod ingens exsudandum esset, præmium fore. Jam comitia consularia instabant: quæ res eum, necdum compositis[13] maturisve satis consiliis,[m] oppressit.[g] Consul sextum creatus T. Quintius Capitolinus, minime opportunus vir novanti res:[14] collega additur ei Agrippa Menenius,* cui Lanato erat cognomen. Et L. Minucius[n] præfectus annonæ, seu refectus, seu,

[e] *Ut mens hominum contenta nunquam est iis rebus quæ sperari possunt ex sorte cujusque.*
[f] *Extorquendus esset, et quasi auferendus.*
[g] *Quæ causa fuit cur opprimeretur.*

11 Quidam vett. libb. teste Sigon. *consulis pectus gerens.*—12 Vet. lib. apud eundem, *consulatum ei favore.*—13 Idem legit *compositis rebus.*—14 *No-*

NOTÆ

[i] *Conspectus elatusque*] Conspectum dixit pro claro et conspicuo: quemadmodum lib. XXII. 'Plebeium consulem sua plebs persecuta, turba quam dignitate conspectior.' Describitur ergo Sp. Mælius sese oculis hominum conspiciendum per arrogantiam præbens, ac venditans. Quod autem pro *conspectus* ex quibusdam libris Sigonius obtrudit *consulis pectus gerens*, improbat non immerito Gronovius.

[k] *Favore ac spe despondentem*] Plebs quæ Sp. Mælium sequebatur, largitionibus frumentariis illecta, ei consulatum pro certo et favore suo destinabat, et spe augurabatur.

[l] *Dignum tanto apparatu consiliorum et certamine*] Legunt alii, *et certaminis;* non male: alii *certaminum;* quod non placet. Nam sequentia, 'quod ingens exsudandum esset,' referenda essent ad *præmium;* nemo autem dixerit *præmium exsudare.* Sensus hic est: Cum æque difficile sibi plebeio videret Sp. Mælius consulatum adversante Senatu obtinere, ac regnum; hoc præmium dignius ipsi visum est tanto apparatu consiliorum, tantoque certamine quantum ipsi in persequendo consulatu subeundum intelligebat.

[m] *Necdum compositis maturisve satis consiliis*] Jam lib. III. eadem locutione usus est Auctor: 'Querentibus legatis quæ postulata plebis essent, composito jam ante adventum legatorum consilio, ea postulavit.'

* A. U. C. 315.

[n] *Et L. Minucius*] Ne dixeris hunc quoque additum collegam Quintio; præfectus enim annonæ consulum minister potius erat quam collega. Conjunctiva itaque particula non eo

quoad res posceret, in incertum creatus.[o] Nihil enim constat, nisi in libros linteos[p] utroque anno relatum inter magistratus præfecti nomen. Hic Minucius, eandem publice[15] curationem agens,[q] quam Mælius privatim agendam susceperat, cum in utraque domo genus idem hominum[r] versaretur, rem compertam ad senatum refert, 'Tela in domum Mælii conferri, eumque conciones[16] domi habere:[s] ac non dubia regni consilia esse. Tempus agendæ rei nondum stare;[h] cetera jam convenisse; et tribunos mercede emtos ad prodendam libertatem, et partita ducibus multitudinis ministeria esse. Serius se pæne, quam tutum fuerit, ne

[h] *Nondum statum fixumque esse rei perficiendæ diem.*

vandæ rei Ms. Veith.—15 'Ita legitur ex emend. Florebelli; at in omnibus Mss. et edd. antt. *rei publicæ*, quod minus quidem aptum, sed non plane ineptum est.' *Rupert.* In Ms. Veith. est, *eandem rei procurationem agens.*

NOTÆ

referenda est, sed ad id quod sequitur: 'seu refectus, seu in incertum creatus.'

[o] *In incertum creatus*] Ab initio tanquam magistratus extra ordinem ex necessitate creatus; non in annum, ut solebant ordinarii magistratus; sed quamdiu arcta esset annona.

[d] *In libros linteos*] De his antea cap. 7. sub finem.

[q] *Eandem publice* [*rei publicæ*] *curationem agens*] Scribendum censet Gronovius *eandem publice curationem agens:* id est, publica auctoritate, publico nomine, annonam populo curans ac dividens; quemadmodum Mælius privata auctoritate: vel *ejusdem rei publicæ curationem.* Potest tamen vulgata quoque lectio ferri, atque ita explicari, ut ea pars rei publicæ, sive munus illud publicum curandum Minucio esset mandatum, quod privato consilio sibi ipse Mælius curandum suscepisset.

[r] *Cum in utraque domo genus idem hominum*] Inopia ciborum laborantes homines, tam ad L. Minucii præfecti annonæ, quam ad Sp. Mœlii largientis frumentum, ædes cum æque confluerent, a nonnullis eorum didicit Minucius quæ apud Mælium agerentur.

[s] *Conciones domi habere*] Non placent Gronovio hæ domesticæ conciones, censetque legendum *coitiones;* quod alibi Rhenanus et Sigonius Nostro restituere: idque eo magis quod mox eadem de re dicitur, 'quod eas largitiones cœtusque plebis in privata domo passi essent fieri.' Sed quid si *conciones* pro coitionibus aut cœtibus? Non enim semper concio pro oratione sumitur, sed sæpenumero pro conventu ac multitudine convocata, uti manifestum fit vel ex hoc Ciceronis loco pro Sextio: 'Consul advocat concionem, habet orationem.' Et vero unde concionis vocabulum nisi a *conciendo?* Licet autem concio proprie dicatur de multitudine publice congregata, quidni ad eam trahatur quæ privatim coit, præsertim si quis rem criminandi animo amplificet?

cujus incerti vanique auctor esset, ea deferre.'[i] Quæ postquam sunt audita, et undique primores Patrum et prioris anni consules increparent, quod eas largitiones cœtusque plebis in privata domo passi essent fieri, et novos consules, quod expectassent, donec a præfecto annonæ tanta res ad senatum deferretur, quæ consulem non auctorem solum desideraret, sed etiam vindicem;[17] tum T. Quintius, 'consules immerito increpari,' ait, 'qui, constricti legibus de provocatione ad dissolvendum imperium latis,[18] [t] nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi, haberent. Opus esse non forti solum viro, sed etiam libero exsolutoque legum vinculis. Itaque se dictatorem L. Quintium dicturum. Ibi animum parem tantæ potestati esse.' Approbantibus cunctis, primo Quintius abnuere: et, 'quid sibi vellent,' rogitare, 'qui se ætate exacta tantæ dimicationi objicerent.' Dein, cum undique plus in illo senili animo non consilii modo, sed etiam[19] virtutis esse, quam in omnibus aliis dicerent, laudibusque haud immeritis onerarent, et consul nihil remitteret; precatus tandem Deos immortales Cincinnatus, ne senectus sua in tam trepidis rebus damno dedecorive rei publicæ esset, dictator a consule dicitur. Ipse deinde C. Servilium Ahalam magistrum equitum dicit.

14. Postero die, dispositis præsidiis, cum in forum descendisset, conversaque in eum plebs novitate rei ac miraculo esset, et Mæliani[u] atque ipse dux eorum in se intentam vim tanti imperii cernerent; expertes consiliorum

[i] *Ne rem aliquam futilem ac parum certam deferret ac nuntiaret.*

Vid. Not. Var.—16 Conj. J. F. Gronov. *coitiones.*—17 'Vigenerius legerat, *indicem.*' Tan. Faber. Τὸ *etiam* abest a Ms. Veith.—18 Conj. J. F. Gronov. *natis.*—19 *Etiam* abest a Ms. Veith.

NOTÆ

[t] *Ad dissolvendum imperium latis*] Leges intelligit de provocatione ad populum et intercessione tribunorum, quæ omnem consularis imperii vim haud dubie dissolvebant.

[u] *Mæliani*] Plebeii qui pro Mælio stabant, et tyrannicorum ejus consiliorum participes erant: nam plerique plebeiorum ei quidem favebant, sed ejusmodi consiliorum ignari.

regni, 'qui tumultus,[x] quod bellum repens, aut dictatoriam majestatem, aut Quintium post octogesimum annum rectorem rei publicæ quæsisset,' rogitarent; missus ab dictatore Servilius magister equitum ad Mælium, 'Vocat te,' inquit, 'dictator.' Cum pavidus ille, 'quid vellet,' quæreret; Serviliusque 'causam dicendam esse' proponeret, 'crimenque, a Minucio delatum ad senatum, diluendum;' tunc Mælius recipere se in catervam suorum, et primum circumspectans tergiversari: postremo, cum apparitor jussu magistri equitum duceret, ereptus a circumstantibus, fugiensque, fidem plebis Romanæ implorare: et opprimi se consensu Patrum dicere, quod plebi benigne fecisset: orare, ut opem sibi ultimo in discrimine ferrent, neve ante oculos suos trucidari sinerent. Hæc eum vociferantem assecutus Ahala Servilius obtruncat:[y] respersusque cruore obtruncati, stipatus caterva patriciorum juvenum, dictatori renuntiat, vocatum ad eum Mælium, repulso apparitore concitantem mulitudinem, pœnam meritam habere. Tum dictator, 'Macte virtute,' inquit, 'C. Servili, esto, liberata re publica.'

15. Tumultuantem deinde multitudinem incerta existimatione[zo] facti[z] ad concionem vocari jussit; et, 'Mælium jure cæsum' pronuntiavit, 'etiam si regni crimine insons fuerit, qui vocatus a magistro equitum ad dictatorem non venisset. Se ad causam cognoscendam consedisse; qua cognita, habiturum fuisse Mælium similem causæ fortunam.[a] Vim parantem, ne judicio se committeret, vi coër-

NOTÆ

[x] *Qui tumultus*] Non enim creari solitus dictator, nisi belli externi, aut seditionis domesticæ vis major grave reipub. discrimen minaretur. Ut enim in tribunis tutela plebis, ita in dictatore patrum fiducia.

[y] *Ahala Servilius obtruncat*] Is postea custoditæ libertatis civium pœnas exilio suo pependisse dicitur a Valer. Max. lib. v. cap. 3.

[z] *Incerta existimatione facti*] Cum dubia esset opinio bene an male factum esset. Quemadmodum de cæde Cæsaris Tac. 1. Annal. 'Quæ aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur.'

[a] *Similem causæ fortunam*] Judicium causæ suæ conveniens: id est, si bona causa, et Mælius insons repertus esset, absolutionem; sin mala causa, atque ille reus compertus, condemnationem.

citum esse. Nec cum eo, tanquam cum cive, agendum fuisse; qui natus in libero populo inter jura legesque, ex qua urbe reges exactos sciret, eodemque anno sororis filios regis[1] [b] et liberos consulis liberatoris patriæ, propter pactionem indicatam[2] [c] recipiendorum in Urbem regum, a patre securi esse percussos; ex qua Collatinum Tarquinium consulem nominis odio abdicare se magistratu atque exulare jussum; in qua de Sp. Cassio, post aliquot annos, propter consilia inita de regno supplicium sumtum; in qua nuper decemviros bonis, exilio, capite mulctatos ob superbiam regiam; in ea Sp. Mælius spem regni conceperit. Et quis homo? quanquam nullam nobilitatem, nullos honores, nulla merita cuiquam ad dominationem pandere viam;[d] sed tamen Claudios, Cassios, consulatibus, decemviratibus, suis majorumque honoribus, splendore familiarum sustulisse animos, quo nefas fuerit: Sp. Mælium, cui tribunatus plebis magis optandus, quam sperandus, fuerit, frumentarium divitem,[e] bilibris farris[f] sperasse li-

20 Ms. Veith. *æstimatione*.—1 Sigon. delet vocem *regis*.—2 Conj. Bauer.

NOTÆ

[b] *Sororis filios regis*] Filii consulis Junii Bruti nati non erant sorore Tarquinii regis, sed ipse Brutus Tarquinia Tarquinii Prisci filia, Superbi sorore, aut amita, natus erat. Filii ergo consulis duo pronepotes Tarquinii Prisci, Superbi sororis ad summum nepotes. Sed filiorum appellatione sæpe nepotes ceterique liberi intelliguntur. De Juniis itaque solis, Bruti consulis filiis, hæc accipienda: quæ autem de *regis* nomine delendo, de Vitelliis Aquiliisque et Collatino consule habent Glareanus et Sigonius, ea pro non scriptis habenda. Nam de Collatino mox Noster seorsim.

[c] *Propter pactionem indicatam*] Pactionem ab ipsis initam, indicatam a Vindicio servo, lib. II. cap. 4.

[d] *Pandere viam*] An alludere voluit ad vocabuli proprietatem? Pandendi quippe verbum a pane dando derivat apud Nonium Varro, quod eis 'qui ope indigerent, et ad asylum Cereris confugissent, panis daretur; et nunquam fanum talibus clauderetur.'

[e] *Frumentarium divitem*] Cujus nulla esset alia dignatio, nullum meritum, quam quod mercator frumenti opes, quibus abundabat, in eam negotiationem impenderet.

[f] *Bilibris farris*] Omissis Rhenani, Glareani, Sigonii lectionibus, et conjecturis variis, nomen *bilibris* adjective ne sumas; sed a *bilibra* substantivo dedue, quod formatur ut 'selibra,' ut 'bilanx' et 'bimensis.' Et cum Gronovio intellige duas frumenti libras, sive singulas bilibras multis e

bertatem[3] se civium suorum emisse, ciboque objiciendo ratum victorem finitimorum omnium populum in servitutem perlici posse: ut, quem senatorem concoquere civitas[4] vix posset, regem ferret,[k] Romuli conditoris, ab Diis orti, recepti ad Deos, insignia atque imperium habentem. Non pro scelere id magis, quam pro monstro, habendum. Nec satis esse sanguine ejus expiatum, nisi tecta parietesque, intra quæ tantum amentiæ conceptum esset, dissiparentur; bonaque, contacta[5] pretiis regni mercandi, publicarentur.[g] Jubere itaque, quæstores vendere ea bona atque in publicum redigere.'

[k] *Et existimasse fore ut populus Romanus, vicinorum omnium victor, oblatis in diem cibis attrahi posset in servitutem: ut Sp. Mælium, quem Senatorem fieri vix ferre civitas posset, eum regem pateretur.*

propter pactionem initam.—3 Vulg. *vilibus farris libris s. l.* Vid. Not. Var.—4 '*Senatorem ferre civitas* Ms. Veith. cum aliis, ex interpretatione.' *Doering.* —5 Conj. Tan. Faber. *contracta.*

NOTÆ

plebe datas a Mælio. Hinc patet Veteres frumentum non solum admetiri, sed etiam appendere solitos: quod lex etiam XII. tabularum ostendit, cum vincto, si suo vivere nequeat, ab eo qui vinctum tenet singulas in dies libras farris dari jubet: quam quantitatem videtur Sp. Mælius suis plebeiis duplicare voluisse. Farris porro generali nomine quodvis frumentum, proprie ador intelligitur. Sed et farina nonnunquam eodem nomine significatur.

Bilibris farris] Hoc est, ut recte Gronovius, duabus libris farris, aut tritici, viritim, aut per familias divisis. Glossæ antiquæ: 'Bilibre, χοῖνιξ.' Chœnix tamen quatuor libras Romanas et aliquanto plus tritici continuisse censetur. Vide Ed. Bernardum de pond. et mens. *J. Clericus.*

[g] *Bonaque, contacta pretiis regni mercandi, publicarentur*] Faber suspicatur legendum *contracta:* id est, 'quæ contracta,' inquit, 'ab eo fuerant, ut pretio sibi regnum pararet.' Esset igitur *pretiis* idem atque, ad pretia, de quo viderint eruditi: et *contrahi bona*, pro eo quod est parari, acquiri, haud facile quis dixerit. Mihi elegantior Livii sententia videtur futura, si nihil mutetur. Possunt enim intelligi, *bona contacta pretiis regni mercandi*, sensu quo dictum a Nostro, 'Si diem contactum religione, insignemque nomine ejus loci timeant Romani.' Ut *contacta* dicantur quasi pestifera, et contagione quadam laborantia ob nefandum eorum usum. Possunt et *contacta bona* dici, id est, delibata jam sumtibus ad regnum mercandum factis, quæ cum prava domini voluntate in populum aliqua ex parte erogata sint, nihil fiet contra æquitatem si omnia publicentur. Rhenanus similem indicat locum ex lib. II. cap. 4. 'Ut contacta regia præda.'

16. Domum deinde, ut monumento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplo jussit. Id Æquimælium[6] appellatum[h] est. L. Minucius bove aurato[7] extra portam Trigeminam est donatus,[i] ne plebe quidem invita, quia frumentum Mælianum, assibus in modios æstimatum,[k] plebi divisit. Hunc Minucium, apud quosdam auctores, transisse a Patribus ad plebem, undecimumque tribunum plebis cooptatum seditionem, motam ex Mæliana cæde, sedasse, invenio. Ceterum vix credibile est, numerum tribunorum Patres augeri passos, idque potissimum exemplum a patricio homine introductum; nec deinde id plebem concessum semel obtinuisse, aut certe tentasse. Sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum paucis ante annis lege cautum,[l] ne tribunis collegam cooptare liceret.[l] Q. Cæcilius,

[l] *Nec probabile est plebem id postea non obtinuisse, aut saltem tentasse, si semel ipsi concessum fuisset. Præsertim vero ex eo falsi arguitur titulus tribuni pl. Minucii domesticæ imagini ascriptus, quod paucis ante annis constitutum lege fuerat ne liceret tribunis plebis collegam sibi asciscere.*

6 Vulg. *Æquimelium.*—7 'Vir doctus in Misc. Obss. t. v. p. 210. sq. conjiciebat post *aurato* excidisse verba *et statua.* Alii h. l. legendum putant *bove aratore* s. *aratorio*, vel *bove tauro*, vel *binis æris*, vel *bove et agro* s. *auro* s. *arvo* s. *ac*

NOTÆ

[h] *Æquimælium appellatum*] Quasi dicas solo æquatam Mælii domum. Fuit autem Æquimælium inter Velabrum et Capitolium ad tabernas laneas.

[i] *L. Minucius bove aurato . . . donatus*] Plin. lib. XVIII. cap. 3. et lib. XXXIV. cap. 5. statua donatum refert, idque stipe a populo collata. Idcirco suspectus est Lipsio hic locus I. Elector. cap. 8. Unde refelli videtur quod Valer. lib. II. et Ammian. XIV. negant statuam auratam in Italia visam priusquam a M. Acilio Glabrione patri poneretur in æde Pietatis: id fuit an. U. C. 562. Addit Lips. vetustum ipsius codicem præferre *bn. auro*: cujus correctionem ernit, *bove et agro.* Pro quo Gron. *bove et arvo.*

Bove aurato] *Statuam* vocat Plinius l. XVIII. c. 3. An fuit simulacrum bovis deauratum? indicent doctiores. *J. Clericus.*

Extra portam Trigeminam] Eadem est cum Ostiensi inter Aventinum ac Cœlium montes: unde via Ostiam ducit, qua parte annona Romam adverso Tiberi vehebatur. Nunc *Porta di San Paolo.*

[k] *Assibus in modios æstimatum*] Ut modius asse uno constaret, id est, si æs grave intelligatur, nostratis hodiernæ monetæ assibus ferme 13. cum dimidio. Sed videtur Livius ad sui temporis asses respicere, quorum singuli novem denarios Gallicos haud superabant. Capit autem modus sedecim sextarios, sive tertiam amphoræ partem, id est, libras 26. cum 8. unciis Romanis: *environ un boisseau*

Q. Junius, Sext. Titinius,[8] soli ex collegio tribunorum neque tulerant de honoribus Minucii legem; et criminari nunc Minucium, nunc Servilium apud plebem, querique indignam necem Mælii non destiterant. Pervicerunt igitur, ut tribunorum militum potius, quam consulum, comitia haberentur; haud dubii, quin sex locis [9] [m] (tot enim jam creari licebat)[n] et plebeii aliqui, profitendo se ultores fore Mælianæ cædis, crearentur. Plebs, quanquam agitata multis eo anno et variis motibus erat, nec plures, quam tres, tribunos consulari potestate creavit, et in iis L. Quintium Cincinnati filium: ex cujus dictaturæ invidia tumultus quærebatur. Prælatus suffragiis Quintio Mam. Æmilius, vir summæ dignitatis. L. Julium tertium creant.*

17. In horum magistratu Fidenæ, colonia [o] Romana, ad Lartem Tolumnium [p] Veientium regem ac Veientes [q] defe-

prato.' Rupert. Vid. Not. Var.—8 Alii legunt *Titinnius.*—9 Vulg. *haud dubie, quin sex lectis.* Vet. lib. ap. Sigon. *haud dubia spe, quin.*

NOTÆ

mesure de Paris, pesant vingt de nos livres, ou environ.

[l] *Lege cautum*] Hanc cautionem nusquam in Livio lectam antea, nec Treboniæ legi anno 307. latæ assignari posse, contendit Glar. Revera lex Trebonia cavebat tantum, ut qui magistratus tribuniciis comitiis præesset, non ante desineret, quam decem tribuni plebi facti essent, (lib. III. cap. 65.) nec aperte undecimum addi vetabat. Sed cum hæc lex a Trebonio lata fuerit abolendæ alterius legis causa, quæ tribunos, si qui numero deessent, ab iis qui rite creati erant cooptari juberet, (cap. 64.) sequitur posteriori lege hanc ipsis potestatem fuisse ademtam: neque plebi ipsi numerum excedere licuisse. Et fatendum, quod innuit hic Livius, et lib. VIII. palam notat, sæpe a posteris nobilium vitiatam memoriam falsis imaginum titulis, dum familia ad se quæque famam rerum gestarum, honorumque, fallente mendacio, trahunt.

[m] *Quin sex locis*] Ald. et aliæ edd. *sex lectis*, id est, si sex tribuni mil. electi essent. Sed veteres habent *locis:* Gall. *s' il y avoit six places à remplir.* Et probat Gronov. exemplis aliquot: veluti mox, 'primoribus patrum splendore gratiaque ad petendum præparatis, omnia loca obtinuere.'

[n] *Tot enim jam creari licebat*] Quo jure aut qua lege non explicat: sed ex Dionysio antea ostendimus id jam ab initio licuisse, supra cap. 6.

* A. U. C. 316.

[o] *Fidenæ, colonia*] Albanorum primum, deinde Romanorum colonia, deductis ab ipso Romulo anno U. C. 13. duobus millibus et quingentis colonis, Plutarcho auctore. Vide lib. I. cap. 14. et 27.

[p] *Ad Lartem Tolumnium*] *Tolumnius* nomen proprium est, *Lar* appellativum, ni fallor, quod regem significa-

cere. Majus additum defectioni scelus. C. Fulcinium, Clœlium Tullum, Sp. Antium,[10] L. Roscium, legatos Romanos, causam novi consilii[r] quærentes, jussu Tolumnii interfecerunt. Levant quidam regis facinus. In tesserarum prospero jactu[s] vocem ejus ambiguam, ut occidi jussisse videretur, ab Fidenatibus exceptam, causam mortis legatis fuisse. Rem incredibilem; interventu Fidenatium, novorum sociorum, consulentium de cæde ruptura jus gentium, non aversum ab intentione lusus animum;[m] nec deinde in horrorem versum facinus.[11] [t] Propius est fidem,[n] obstringi Fidenatium populum, ne respicere spem ullam ab Romanis posset, conscientia tanti sceleris voluisse.[o] Legatorum, qui

[m] *Ejus mentem ab intenta in ludum cogitatione non fuisse abductam.*

[n] *Verisimilius est, et fide dignius.*

[o] *Ut Fidenatium populus, post tantum scelus perpetratum, ejus conscientia deterreretur quo minus iterum respiceret ad Romanos, aut spei quicquam reliquum haberet pacis cum eis reconciliandæ.*

10 Vulg. *C. Julium Tullum Sp. Nautium.* In Ms. Veith. est: *majusque addunt defectioni scelus et Cai. Fulcrinium, Clodium Tullum.*—11 Vet. lib. ap.

NOTÆ

bat apud Etruscos. Lar vero ejusmodi, sive rex, semel ad Fanum Voltumnæ suffragiis communibus duodecim Etruriæ populorum creatus, dum viveret eum honorem usurpabat; cum annui essent Lucumones, sive dictatores, cujusque populi. Vid. Liv. lib. I. cap. 8.

[q] *Ac Veientes*] De Veiis et Veientibus vid. lib. I.

[r] *Novi consilii*] Defectionis ad Veientes.

[s] *In tesserarum prospero jactu*] Quæ vox Tolumnio exciderit non dicit Liv. forte quod Latina verba Etruscis ejus verbis non satis responderent. Dixerit forte *jacta est alea, vicimus, perierunt,* aut quid simile, ad adversarios quibuscum luderet directo sermone.

[t] *Nec deinde in horrorem versum facinus*] Veteres quidam libri *ac deinde in errorem versum facinus:* quod Sigonio placet, quasi incredibile videatur tanti facinoris causam in errorem conjectam. Sed meliores codices apud Gronov. pro altera lectione stant: quæ magis videtur Livii menti convenire. Cum enim dixisset, incredibile sibi videri quod de causa ejus cædis, quasi non jussu regis, sed per imprudentiam factæ, nonnullis memoretur; causas subjicit duas cur id sibi parum verisimile videatur: alteram ex eo tempore petitam, quod præcessit legatorum cædem, quo non debuerit rex, de re tam atroci a novis sociis consultus, cum collusoribus jocari, ac socios sine certo et meditato responso dimittere: alteram ex eo quod subsecutum est, quod scilicet audita tam dira joci sui interpretatione, ex qua jus gentium crudeliter violatum esset, non exhorruerit ejusmodi facinus, ex quo in eum hominis

Fidenis cæsi erant, statuæ publice in Rostris [u] positæ sunt. Cum Veientibus Fidenatibusque, præterquam finitimis populis, ab causa etiam tam nefanda bellum exorsis, atrox dimicatio instabat. Itaque ad curam summæ rerum, quieta plebe tribunisque ejus, nihil controversiæ fuit, quin consules crearentur M. Geganius Macerinus tertium et L. Sergius Fidenas;* a bello credo, quod deinde gessit, appellatum.[12] Hic enim primus cis Anienem [x] cum rege Veientium secundo prælio conflixit, nec incruentam victoriam retulit. Major itaque ex civibus amissis dolor, quam lætitia fusis hostibus fuit. Et senatus, ut in trepidis rebus, dictatorem dici Mam. Æmilium jussit. Is magistrum equitum ex collegio prioris anni,[y] quo simul tribuni militum consulari potestate fuerant, L. Quintium Cincinnatum, dignum parente juvenem, dixit. Ad delectum a consulibus habitum centuriones veteres belli periti adjecti,[13] [z] et numerus amissorum proxima pugna expletus. Legatos Quintium Capitolinum et M. Fabium Vibulanum sequi se dictator jussit. Cum potestas major,[a] tum vir quoque potestati par, hostes ex agro Romano trans Anienem summovere: [b]

Sigon. *ac deinde in errorem versum facinus.*—12 *Appellatus* Ms. Veith. et Edd. ante Drak.—13 Quidam legunt *allecti:* vocem *periti* delendam pu-

NOTÆ

nefarii titulus atque infamia redundaret; nec saltem id apud hostes excusaverit.

[u] *Statuæ publice in Rostris*] Honoris genus, quo Græci et Romani auctores præclari alicujus facinoris remunerari soliti. Sic equestri statua donatam vidimus Cloeliam lib. II. c. 13. et cap. proxime superiori erectum in honorem Minucii auratum bovem. Atque hoc præmii genus in iis maxime locum habebat, qui mortem pro patria oppetiissent, veluti Atheniensium atque Alexandri Magni judicio in equitibus qui in pugna Marathonia, quique ad Granicum ceciderant; et Romanorum nunc jussu in his legatis.

* A. U. C. 317.

[x] *Cis Anienem*] In agro scilicet Romano: nec procul ab Urbe.

[y] *Ex collegio prioris anni*] Num rectius, *ex collegis prioris anni?*

[z] *Centuriones veteres belli periti adjecti*] Præfert Gronovius *adlecti*, optatque deleri vocem *periti*. Ut dicantur *Centuriones veteres belli allecti*, quemadmodum apud Tac. 'vetus militiæ,' 'vetus operis ac laboris.'

[a] *Cum potestas major*] Hæc duo cognita hostibus eos ad castra ultra Anienem transferenda impulerunt. Hinc dictator creatus, cujus maxima apud Romanos potestas; inde virtus Æmilii, cui delatum illud summum imperium.

collesque inter Fidenas atque Anienem ceperunt, referentes castra; nec ante in campos degressi[14] sunt, quam legiones auxilio Faliscorum[15] venerunt.[p] Tum demum castra Etruscorum pro mœnibus Fidenarum posita. Et dictator Romanus haud procul inde ad confluentes consedit[c] in utriusque ripis amnis, qua sequi munimento poterat, vallo interposito. Postero die in aciem eduxit.

18. Inter hostes variæ fuere[16] sententiæ. Faliscus,[d] procul ab domo[e] militiam ægre patiens, satisque fidens sibi, poscere pugnam: Veienti Fidenatique plus spei in

[p] *Quam Faliscorum legiones advenerunt in auxilium Veientium et Fidenatium.*

tabat J. F. Gronov.—14 Vulg. *digressi.*—15 Legit Cuperus, *auxilia Faliscorum.*

NOTÆ

[b] *Trans Anienem summovere*] Repulerunt, *ils les chasserent au delà de la riviere.* Non vi, opinor, sed fama, cogendo eos pedem referre.

[c] *Ad confluentes consedit*] Dictator, transmisso et ipse Aniene, qua is in Tiberim influit, ripas primum utriusque amnis occupavit; tum ad hostes accessit, eos ita insecutus, ut vallo adversus eorum impetus atque insidias objecto tutus esset.

[d] *Faliscus*] Inter duodecim Etruriæ populos non postremi fuere Falisci, ab Argivis orti, deductore Haleso, quem plerique Agamemnonis filium memorant. Eorum urbs Falerii sive Falerium; quanquam Strabo Falerium et Faliscum, veluti duo diversa oppida, distinguit; ut et Solinus Faliscam et Falerios; sed hi soli ex Veteribus. Livius certe, aliique Romani, urbem Falerios, populum agrosque Faliscos semper appellant. Hos Virgilius aliique Æquos cognominarunt, id est, justos: 'quia,' inquit Servius, 'populus Romanus, missis decemviris, ab ipsis jura Fecialia et nonnulla supplementa xii. tabularum accepit, quas ab Atheniensibus habuerant.' Fecialia tamen jura ante decemviros habuere Romani, quæ ab Æquis sive Æquicolis Cis-Tiberinis tempore Anci Marcii acceperant, Dionysio teste lib. II. nec admodum probabile Italos, Argis ortos, leges ab Atheniensibus petiisse. Faliscorum urbs, Falerii, duplex fuit: altera vetus, loco edito ac munito ad Tiberim sita, sed a Manlio Torquato eversa, ubi nunc *Civita Castellana:* altera nova, postea in plano posita, cujus ruinæ pristinum fere servant nomen. Falari enim vocantur, arbitro Holstenio, a quo nec abhorret Cluverius: licet Antonius Massa, de Orig. et rebus Faliscorum, patriam suam *Galese* loco prisci Faleriorum oppidi successisse velit.

[e] *Procul ab domo*] Paulo quidem illi longius domo aberant quam Veientes, quam Fidenates: sed cum ipsorum oppidum vix triginta passuum millibus ab urbe Roma abesset, non admodum longinqua hæc militia dici poterat.

trahendo bello esse. Tolumnius, quanquam suorum magis placebant consilia, ne longinquam militiam non paterentur[17] [f] Falisci, postero die se pugnaturum edicit. Dictatori ac Romanis, quod detrectasset pugnam hostis, animi accessere: posteroque die, jam militibus castra urbemque se oppugnaturos frementibus, ni copia pugnæ fiat, utrimque acies inter bina castra in medium campi procedunt. Veiens, multitudine abundans, qui inter dimicationem castra Romana aggrederentur, post montes circummisit. Trium populorum exercitus ita stetit instructus, ut dextrum cornu Veientes, sinistrum Falisci tenerent, medii Fidenates essent. Dictator dextro cornu adversus Faliscos, sinistro contra Veientem Capitolinus Quintius intulit signa. Ante mediam aciem cum equitatu magister equitum processit. Parumper silentium et quies fuit, nec Etruscis, nisi cogerentur, pugnam inituris, et dictatore arcem Romanam respectante,[g] ut ab auguribus, simul aves rite admisissent, ex composito tolleretur signum.[q] Quod simul conspexit,[18] primos equites clamore sublato in hostem emisit. Secuta peditum acies ingenti vi conflixit. Nulla parte legiones Etruscæ sustinuere impetum Romanorum. Eques maxime

[q] *Ut, prout convenerat, augures signum ederent statim atque aves addixissent, et prosperum augurium se ostendisset.*

16 *Fuere variæ* Gronov. Doujat. Crevier.—17 'Exturbaverat alteram negationem Sigonius, nec illa in pluribus Mss. apud Drak. apparet: sed recte illam vindicavit Gronovius, qui locutionem 'non pati aliquid' pro, aliquid tanquam onus ferendum detrectare, recusare, multis exemplis illustravit.' *Doering.* Vid. Not. Var.—18 *Quod simul ubi* Ms. Veith. et Edd. ante Ald. *Quod ubi consp.* Edd. ab Ald. ad Drak.

NOTÆ

[f] *Ne longinquam militiam non paterentur*] Negationem alteram perperam exturbaverat Sigon. Est enim *ne non paterentur* idem ac, ne pati nollent; ut lib. xxxv. 'Sed metuens ne dilationem res non pateretur.' Hæc autem causa Tolumnio fuit pugnæ præter animi sui sententiam properandæ.

[g] *Arcem Romanam respectante*] Itane Æmilius diem horamque prælii auguribus prædicere potuerat? Et adeone acutis oculis erat, ut ad quatuor aut quinque millia passuum positus signum ex Capitolio elatum videre posset? Non enim minus quinque milliaribus Fidenæ ab urbe distabant.

resistebat; equitumque longe fortissimus ipse rex, ab omni parte effuse sequentibus obequitans Romanis, trahebat certamen.

XIX. Erat tum inter equites tribunus militum [h] A. Cornelius Cossus,[i] eximia pulchritudine corporis, animo ac viribus par, memorque generis, quod, amplissimum [k] acceptum, majus auctiusque reliquit posteris. Is cum ad impetum Tolumnii, quacumque se intendisset, trepidantes Romanas videret turmas, insignemque eum regio habitu volitantem tota acie cognosset,[19] 'Hiccine est,' inquit, 'ruptor fœderis humani violatorque gentium juris? Jam ego hanc mactatam victimam (si modo sancti quicquam in terris esse Dii volunt) legatorum manibus dabo.' Calcaribus subditis, infesta cuspide in unum fertur hostem. Quem cum ictum equo dejecisset, confestim et ipse hasta innisus se in pedes excepit.[r] Assurgentem ibi regem umbone resupinat, repetitumque sæpius cuspide ad terram affixit.[l] Tum exsangui detracta spolia; caputque abscissum [20] victor spiculo gerens, terrore cæsi regis hostes fundit. Ita equitum quoque fusa acies, quæ una fecerat anceps certamen. Dictator legionibus fugatis [1] instat, et ad castra compulsos cædit. Fidenatium plurimi locorum notitia

[r] *Ita desilit ex equo innixus hastæ, ut utroque simul pede terræ insisteret.*

19 Vulg. *cognovisset.*—20 Al. *abscisum.*—1 *Fugatis legionibus* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[h] *Tribunus militum*] Non ille quidem tribunus militum consulari potestate, quales hoc anno nulli; sed unus ex tribunis legionum, qui nempe legionariæ cohorti præerant. Valerius tamen Maximus lib. III. c. 2. et qui de viris illustribus scripsit, hunc Cossum magistrum equitum nominant: Noster cap. prox. seq. suspicatur, et quidem probabilius, opima spolia ab eo, non hoc anno, sed in consulatu relata, annis abhinc novem.

[i] *A. Cornelius Cossus*] Cognomen Cossi quid significet, et cur inditum, aperit Festus. 'Cossi,' inquit, 'ab antiquis dicebantur natura rugosi corporis homines, atque aspera facie:' idque 'a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi appellantur.'

[k] *Memorque generis, quod, amplissimum*] Corneliorum antiqua ex eo nobilitas colligi potest, quod ab hac gente nomen una ex 35. populi tribubus acceperit.

[l] *Ad terram affixit*] Vel *afflixit.*

effugere in montes. Cossus, Tiberim cum equitatu transvectus, ex agro Veientano ingentem detulit prædam ad urbem. Inter prælium et ad castra Romana pugnatum est adversus partem copiarum,[l] ab Tolumnio, ut ante dictum est, ad castra missam. Fabius Vibulanus corona primum vallum defendit:[m] intentos deinde hostes in vallum, egressus dextra principali,[n] cum triariis repente invadit. Quo pavore injecto, cædes minor, quia pauciores erant; fuga non minus trepida, quam in acie, fuit.

XX. Omnibus locis re bene gesta, dictator senatus consulto jussuque populi triumphans in Urbem rediit. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus, spolia opima regis interfecti gerens. In eum milites carmina incondita,[o] æquantes eum[2] Romulo, canere. Spolia in æde Jovis Feretrii prope Romuli spolia, quæ, prima[3] opima appellata,[p] sola ea tempestate erant, cum solenni dedicatione dono fixit. Averteratque in se a curru dictatoris civium ora, et celebritatis ejus diei fructum prope solus tulerat. Dictator coronam auream libram pondo ex publica pecunia, populi jussu, in Capitolio Jovi donum posuit. Omnes ante

[l] *Eodem tempore quo prælium committebatur, pugnatum quoque est circa castra Romanorum.*

2 *Cum* Gronov. 1679. et Ms. Veith.—3 'Vocem *prima* abundare censet

NOTÆ

[m] *Corona primum vallum defendit*] 'Corona' urbem 'cingere' atque 'oppugnare' sæpe invenies. At corona defendere castra ab hoste oppugnata, minus usitatum. Respondet nimirum oppugnationi defensio: et militibus per castrorum ambitum dispositis, geminatisque quoad licebat ordinibus, corona institnebatur, ut per extimum ambitum urbis oppugnatæ.

[n] *Egressus dextra principali*] Castrorum apud Romanos quatnor erant portæ: Prætoria a fronte, a tergo Decnmana, ad dextram lævamque Principales duæ, a principiis dictæ, quæ inter utramque, aut a militibus secundi ordinis, sive principibus circa tendentibus.

[o] *Carmina incondita*] De carminibus et jocis triumphalibus dictum ante.

[p] *Quæ, prima opima appellata*] Vocem *prima* redundare Sigonius ait, quod prima dici non potnerint, quamdiu secunda non relata: sed et prima dicuntur quæ nihil antecedit, etiamsi nihil sequatur, ut probat Glar. et prima nunc dici cœpernnt, quæ hactenus sola fuerant.

me auctores secutus, A. Cornelium Cossum tribunum militum secunda spolia opima Jovis Feretrii templo [q] intulisse, exposui. Ceterum, præterquam quod ea rite opima spolia habentur, quæ dux duci detraxit, nec ducem novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur; titulus ipse, spoliis inscriptus, illos meque[4] arguit, consulem ea Cossum cepisse. Hoc ego cum Augustum Cæsarem, templorum omnium conditorem aut restitutorem,[r] ingressum ædem Feretrii Jovis, quam vetustate dilapsam refecit, se ipsum in thorace linteo † scriptum legisse audissem;[5 s] prope sacrilegium ratus sum, Cosso spoliorum suorum Cæsarem, ipsius templi auctorem, subtrahere testem.[6] Qui si ea in re sit error,[7 t] quod tam veteres annales, quodque magistratuum libri, quos linteos [u] in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores, nono post demum anno[8] cum

Sigonius. Non ego. Vide lib. I. Observ. 7.' *J. F. Gronov.*—4 ' Verba *illos meque* ejicienda crediderim, ut sensus sit, *titulus ipse spoliis inscriptus arguit*, indicat, ostendit, &c.' *Rupert.*—5 Ms. Veith. *Hæc ego .... conditorem ac restitutorem .... delapsam refecit.* ' *Legisse audissem.* Videtur excidisse *dicentem:* aut scribendum, *refecit, ipsum.*' J. F. Gronov.—6 Vulg. *Cossum sp. s. Cæsaremque ipsius t. a. s. t.*—7 ' Lege, *quis ea in re sit error.* Vel τὸ *si* intel-

NOTÆ

[q] *Jovis Feretrii templo*] De hoc templo lib. I. c. 10.

[r] *Templorum omnium conditorem aut restitutorem*] Exstruxit inter alia Augustus ædem Jovis tonantis in Capitolio, ædem item Martis ultoris, templum Apollinis in Palatio, aliaque sub nominibus alienis, ex Suet. c. 29. dedicavit et templum Jani quadrifrontis, auctore Servio. Multa etiam refecit servatis auctorum nominibus, in quibus ædem quoque Jovis Feretrii, atque ad civitatem publicis operibus ornandam principes viros adhortatus est.

† *In thorace linteo*] Tolumnio detracto. Ejusmodi enim thoracibus utebantur, etiam contra tela. Vide Læv. Torrentium, et Is. Casaubonum ad Galbam Suetonii c. 19. *J. Clericus.*

[s] *Legisse audissem*] Gronovio videtur excidisse *dicentem:* aut scribendum *ipsum*, non *seipsum.*

[t] *Qui si ea in re sit error*] Quasi dicat: qui error si in eo versetur, quod Cossus hoc tempore ac tribunus militum spolia opima de Tolumnio retulisse dicitur; aut in eo quod tum veteres annales, tum libri magistratuum Cossum non nisi nono post anno consulem habent; ea tamen communis omnium et recepta opinio est. Quæ ex eo quoque confirmari potest, quod non videatur tam clara pugna tamque illustris victoria in annum abhinc nonum cadere posse.

[u] *Libri, quos linteos*] De his supra c. 7.

T. Quintio Penno A. Cornelium Cossum consulem habeant, existimatio communis omnibus est. Nam etiam illud[9] accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri posset, quod imbelle triennium ferme pestilentia inopiaque frugum circa A. Cornelium consulem fuit: adeo ut quidam annales, velut funesti, nihil præter nomina consulum suggerant. Tertius ab consulatu Cossi annus tribunum eum militum consulari potestate habet; eodem anno magistrum equitum: quo in imperio alteram insignem edidit pugnam equestrem. Ea libera conjectura est.[x] Sed, ut ego arbitror, vana versare in omnes opiniones licet:[t] cum auctor pugnæ, recentibus spoliis in sacra sede positis, Jovem prope ipsum, cui vota erant, Romulumque intuens, haud spernendos[y] falsi tituli testes, se[10] A. Cornelium Cossum consulem scripserit.

XXI. M. Cornelio Maluginense, L. Papirio Crasso consulibus,* exercitus in agrum Veientem ac Faliscum ducti: prædæ abactæ hominum pecorumque: hostis in agris nusquam inventus, neque pugnandi copia facta. Urbes tamen non oppugnatæ, quia pestilentia populum invasit. Et seditiones domi quæsitæ sunt, nec motæ tamen, ab Sp. Mælio tribuno plebis; qui, favore nominis moturum se aliquid ratus, et Minucio diem dixerat, et rogationem de publicandis bonis Servilii Ahalæ tulerat; falsis criminibus a Minucio circumventum Mælium arguens, Servilio cædem civis indemnati objiciens. Quæ vaniora ad populum ipso auc-

[t] *Ea quæ falsa sunt flecti possunt in varias opiniones.*

lige pro *an* positum.' *J. F. Gronov.*—8 Vulg. *septimo .... anno.*—9 Vet. lib. ap. Sigon. *nam et illud.*—10 *Sese* Edd. ante Drak.

NOTÆ

[x] *Ea libera conjectura est*] An scilicet Cossus tribunus militum consulari potestate, ac magister equitum fuerit, atque in hoc magisterio insignem pugnam equestrem ediderit, eamque alteram ac diversam, an eandem cum illa cujus ante mentio; vel utrum hæc priori an posteriori tempore gesta sint.

[y] *Haud spernendos*] Qua figura dixit alibi, 'Polybius non contemnendus auctor.' Extenuationes hæ loco amplificationis sunt.

* A. U. C. 318.

tore fuere.[z] Ceterum magis vis morbi ingravescens curæ erat, terroresque ac prodigia; maxime quod crebris motibus terræ ruere in agris nuntiabantur tecta. Obsecratio[a] itaque a populo, duumviris præeuntibus, est facta. Pestilentior inde annus, C. Julio iterum et L. Virginio consulibus,* tantum metum[11] vastitatis[b] in Urbe agrisque fecit, ut non modo prædandi causa quisquam ex agro Romano non exiret, bellive inferendi memoria[c] Patribus aut plebi esset; sed ultro Fidenates, qui se primo aut oppido aut montibus aut muris tenuerant, populabundi descenderent in agrum Romanum. Deinde, Veientium exercitu accito, (nam Falisci perpelli ad instaurandum bellum, neque clade Romanorum, neque sociorum precibus, potuere,) duo populi transiere Anienem; atque haud procul Collina porta[d] signa habuere. Trepidatum itaque, non in agris magis, quam in Urbe, est. Julius consul in aggere murisque explicat copias. A Virginio senatus in æde Quirini consulitur. Dictatorem dici Q. Servilium[12] placet, cui Prisco[13] alii, alii Structo fuisse cognomen tradunt. Virginius, dum collegam consuleret, moratus, permittente eo, nocte dictatorem dixit. Is sibi magistrum equitum Postumum Æbutium Elvam dicit.

22. Dictator omnes luce prima extra portam Collinam

11 'Vox *metum* vel expungenda cum Tan. Fabro, vel pro ea *tum* rescribendum videtur.' *Doering*. 12 '*Q. Servilium* e multis edd. et tabulis Capitol. recepi pro *A. Servil.*' Rupert.—13 Vulg. *cuique Prisco*.

NOTÆ

[z] *Quæ vaniora ad populum ipso auctore fuere*] Quid ergo est quod Cic. et Valer. Maxim. lib. v. c. 3. testatur, 'Ahalam, cum magister equitum Sp. Mælium regnum affectantem occidisset, custoditæ libertatis civium exilio suo pœnas pependisse.'

[a] *Obsecratio*] Obsecrare est, precari atque obtestari per sacra. Obsecrationis nomen ad Deos relatum Pontificii juris proprium esse videtur. Hinc Cicer. de Arusp. resp. 'constituendæ nobis sunt procurationes et obsecrationes.'

* A. U. C. 319.

[b] *Tantum metum vastitatis*] Tanaquill. Faber expungit τὸ *metum*; recte, opinor. Fuit enim non tantum *metus*, sed revera *vastitas*.

[c] *Bellive inferendi memoria*] *Memoria* pro cura et solicitudine.

[d] *Collina porta*] Eadem et Quirinalis a Vicino monte, et Salaria a vectura salis, adhuc *Salara*.

adesse jubet. Quibuscumque vires suppetebant ad arma ferenda, præsto fuere: signa ex ærario promta[e] feruntur ad dictatorem. Quæ cum agerentur, hostes in loca altiora concessere. Eo dictator agmine infesto subit: nec procul Nomento[f] signis collatis, fudit Etruscas legiones, compulit indè in urbem Fidenas, valloque circumdedit. Sed neque scalis capi poterat urbs alta et munita, neque in obsidione vis ulla erat, quia frumentum non necessitati modo satis, sed copiæ quoque, abunde ex ante convecto sufficiebat. Ita, expugnandi pariter cogendique ad deditionem spe amissa, dictator in locis, propter propinquitatem notis, ab aversa parte urbis maxime neglecta, quia suapte natura tutissima erat, agere in arcem cuniculum instituit. Ipse, diversissimis locis subeundo ad mœnia quadrifariam diviso exercitu, qui alii aliis succederent ad pugnam, continenti die ac nocte prælio ab sensu operis hostes avertebat; donec, perfosso a castris monte, erecta in arcem via est; intentisque Etruscis ad vanas a certo periculo minas, clamor supra caput hostilis captam urbem ostendit.[u] Eo anno C. Furius Pacilus[14] et M. Geganius[g] Macerinus censores villam publicam[h] in campo Martio probaverunt:[i] ibique primum census populi est actus.[k]

[u] *Hostes distinebat, ne cuniculum fieri sentirent aut suspicarentur; donec, monte cuniculis suffosso, via subterranea ex castris facta est qua ascensus in arcem datus. Ita dum Etrusci et Fidenates, ad fictos Romanorum assultus et inania terriculamenta intenti, a vero, ex arce insidiis capienda, periculo abstrahebantur, ea per cuniculum expugnata, clamor hostilis super eorum capita exortus docuit captam quoque urbem esse.*

14 Vulg. *Pacilius.*

NOTÆ

[e] *Signa ex ærario promta*] Erat igitur ærarium pro armamentario, in quo signa et arma servabantur.

[f] *Nec procul Nomento*] De hoc antea.

[g] *C. Furius Pacilus et M. Geganius Macerinus*] Hæc secunda est censura quinquennio a prima.

[h] *Villam publicam*] Hanc villam publicam in Campo Martio ad publicos usus ædificatam Varro lib. III. de Re Rust. scribit, veluti 'ut ibi cohortes ad delectum consuli adductæ considerent, ibique arma ostenderent.'

Villam publicam] Qua excipiebantur legati, aliaque fiebant, de quibus vide Varronem de R. R. lib. III. c. 2. Probasse eam dicuntur, quod architectis ædificandam locatam et perfectam inspexissent, eamque talem esse dixissent, qualem optaverant.

23. Eosdem consules insequenti anno * refectos, Julium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur:[1] neuter, tribunos militum eo anno fuisse,[m] traditum a scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet: et Tubero incertus veri est. Sed inter cetera[15 n] vetustate incomperta, hoc quoque in incerto positum. Trepidatum in Etruria est post Fidenas captas, non Veientibus solum exterritis metu similis excidii, sed etiam Faliscis memoria initi primo cum iis belli; quanquam rebellantibus non affuerant. Igitur cum duæ civitates, legatis circa duodecim populos[16] missis,[o] im-

15 Muretus legit, *sit inter cetera*, probantibus Doujat. et Rupert.—16 Vulg. *circa viginti duos populos.* ' Videri posset præferenda lectio trium Mss. *decem populos:* sed *duodecim p.* eodem modo accipiam, quo ' Pindarus novemque

NOTÆ

Vide lib. I. in Verrem c. 54. et 55. *J. Clericus.*

[i] *Probaverunt*] Censorum enim erat publica opera, quæ mancipibus faciendа locabantur, perfecto opere probare aut improbare.

[k] *Ibique primum census populi est actus*] Atqui objicit Glareanus, census in Campo Martio ab ipso primum Servio Tullio rege actus jamdiu fuerat. Reponit Sigonius, actum quidem fuisse alias in Campo Martio: sed nunc primum in hac villa publica.

* A. U. C. 320.

[l] *Et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur*] Veteres hi fuere rerum Romanarum scriptores. Sed mirum, si uterque secuti eosdem libros, tamen diversos consules eodem anno edebant.

[m] *Tribunos militum eo anno fuisse*] Diodorus Siculus lib. XII. hanc sententiam amplexus, tres tribunos militum consulari potestate hoc anno edidit, corruptis admodum nominibus. Fieri potest, ut et consules et tribuni eodem anno fuerint, alteris abdicantibus, quemadmodum anno 310. supra c. 7. Sic nihil vetat quin et C. Julius, L. Virginius consules, et M. Manlius, Q. Sulpicius Prætextatus, et Cornelius Cossus, (sic enim opinor scribendum esset,) vel ante, vel post, intra eundem annum tribuni militum fuerint.

[n] *Sed inter cetera*] Muretus recte, ni fallor, *sit inter cetera.*

[o] *Circa duodecim populos missis*] Alias perperam *XXII. populos.* Sed duodecim fuisse Etruriæ populos ex Marone, aliisque, non semel indicavimus: quanquam non diffiteor, præter hos principes populos, fuisse alios minores.

petrassent, ut ad Voltumnæ fanum[p] indiceretur omni Etruriæ concilium; velut magno inde tumultu imminente, senatus Mam. Æmilium[q] dictatorem iterum dici jussit. Ab eo A. Postumius Tubertus magister equitum est dictus; bellumque tanto majore, quam proximo,[17] conatu[r] apparatum est, quanto plus erat ab omni Etruria periculi, quam ab duobus populis fuerat.

24. Ea res aliquanto expectatione omnium tranquillior fuit. Itaque cum renuntiatum a mercatoribus esset, negata Veientibus auxilia, jussosque suo consilio bellum initum suis viribus exequi, nec adversarum rerum quærere socios, cum quibus spem integram communicati non sint;[18] tum dictator, ne nequicquam creatus esset, materia quærendæ bello gloriæ ademta, in pace aliquid operis edere, quod monumentum esset dictaturæ, cupiens, censuram minuere parat; seu nimiam potestatem ratus, seu non tam magnitudine honoris, quam diuturnitate, offensus. Concione itaque advocata, 'rem publicam foris gerendam,' ait, 'tutaque omnia præstanda, Deos immortales suscepisse:[x] se, quod intra muros agendum esset, libertati populi Romani consulturum. Maximam autem ejus custodiam esse, si magna imperia diuturna non essent; et temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non posset.[s] Alios ma-

[x] *Deos immortales suscepisse ipsos publicas res foris administrandas, omniaque, in iis quæ ad bellum pertineant, in tuto collocasse.*

Lyrici' dixit Petron. Sat. II. ubi vide Burm.' *Drak.*—17 'Gronovius legendum conjiciebat *proxime*, bene.' *Stroth.*

NOTÆ

[p] *Ad Voltumnæ fanum*] Ibi totius Etruriæ conventus habitos jam præmonuimus, quemadmodum Latinorum ad caput aquæ Ferentinæ. Fanum Voltumnæ (quam alii *Vulturnam*, Giraldus *Vertunam*, Etruscorum Deam, facit) ibi fuit ubi nunc *Viterbo:* medio inter Tarquinios, Cære, Veios, Falerios, Volsinios, præcipuas Etruriæ australis urbes, situ, ideoque ad hæc concilia percommodo.

[q] *Mam. Æmilium*] Qui 6. loco dictator quadriennio ante creatus fuerat, nunc iterum octavam dictaturam gessit Mam. Æmilius M. F. Mamercinus.

[r] *Tanto majore, quam proximo, conatu*] Legi vult Gronovius *quam proxime:* ut mox infra: 'majore tamen conatu quam alias unquam.'

[s] *Quibus juris imponi non posset*] Quibus modus potestatis non posset

gistratus annuos esse, quinquennalem censuram: grave esse,[19] iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere. Se legem laturum, ne plus, quam annua ac semestris, censura esset.' Consensu ingenti populi legem postero die pertulit, et, 'ut re ipsa,' inquit, 'sciatis Quirites, quam mihi diuturna non placeant imperia, dictatura me abdico.' Deposito suo magistratu, modo aliorum magistratui imposito, fine alteri,[20 t] cum gratulatione ac favore ingenti populi domum est reductus. Censores, ægre passi, Mamercum, quod magistratum populi Romani minuisset, tribu moverunt, octuplicatoque censu ærarium fecerunt.[u] Quam rem ipsum ingenti animo tulisse ferunt, causam potius ignominiæ intuentem,[x] quam ignomi-

18 *Communicari non sirint* emend. Jac. Gronov.—19 Vulg. *quinquennalem censuram gravem esse.*—20 ' Edd. omnes præter Campani et Mss. plurimi optimique, in quibus et Veith. addunt verba *fine alteri*, at, cum plane sensu careant, neque extent in 7. aliis codd. quanquam iis minoris auctoritatis, ea

NOTÆ

imponi. Sed quidni censorium jus, perinde ac consulare, moderari licuisset? Forte quod censores neque magistratuum, neque judiciorum comitia haberent, quibus de capite civium decernerent? Quinetiam ab iis notati non tantum per successores, sed et per judices causa cognita, vel per populum restitui poterant. Et a Cic. pro Cluent. atque Valer. Max. lib. II. c. 9. memorantur Senatu a Censoribus moti duo, qui ipsi postea censores facti, C. Geta, et M. Valerius Messala. 'Rubore' enim 'excitati, omnibus viribus incubuerunt, ut digni civibus viderentur, quibus dari potius quam objici censura deberet.' Idem hic Æmilius, ob hanc ipsam legem postea tribu motus a censoribus, nihilominus dictator tertium est creatus.

[t] *Fine alteri*] Hæc duo vocabula vel dele cum Sigonio, tanquam glossema aliis verbis exponere volentis illud, *modo aliorum magistratui imposito:* vel lege *fine anni*, quod offert Gronovius.

[u] *Octuplicatoque censu ærarium fecerunt*] Ærarii proprie qui ærea opera fabricant: sed ærarius fieri, aut in ærarios referri dicebatur ex Asconio, qui nullum aliud jus civitatis retinebat, quam ut pro capite suo tributi nomine æra penderet: ita ut qui ærarius factus esset, is non solum suffragio urbano, sed etiam stipendiis militaribus spoliatus esset. Iidem censores Æmilii censum in octuplum auxerunt, ut pro ejus ratione conferre majus tributum cogeretur. Verum non diu stetit hoc eorum judicium.

Octuplicato censu ærarium] Tribu motum inter ærarios retulit, eique octies gravius tributum imposuit. Vide J. Fred. Gronovium de pec. vet. lib. IV. c. 1. *J. Clericus.*

[x] *Causam potius ignominiæ intuentem*] Non pœna, quæ in insontem cadere potest, sed causa pœnæ, crimen puta, infamem revera facit. Unde ex jurisconsultorum sententia, 'ictus

niam; primores Patrum, quanquam deminutum censuræ jus noluissent,[y 1] exemplo acerbitatis censoriæ offensos: quippe cum se quisque diutius ac sæpius subjectum censoribus fore cerneret, quam censuram gesturum. Populi certe tanta indignatio coorta dicitur, ut vis a censoribus nullius auctoritate, præterquam ipsius Mamerci, deterreri quiverit.

25. Tribuni plebis, assiduis concionibus prohibendo consularia comitia, cum res prope ad interregnum perducta esset, evicere tandem, ut tribuni militum consulari potestate crearentur: victoriæ præmium, quod petebatur, ut plebeius crearetur, nullum fuit. Omnes patricii creati sunt, M. Fabius[z] Vibulanus, M. Foslius,[2] L. Sergius Fidenas.* Pestilentia eo anno aliarum rerum otium præbuit. Ædis[3] Apollini pro valetudine populi vota est. Multa duumviri ex libris,[a] placandæ Deum iræ, avertendæque a populo pestis causa, fecere: magna tamen clades[b] in Urbe

omisi.' *Stroth.* Vid. inf. et Not. Var.—1 'Pro *noluissent* plures codd. et edd. vett. *voluissent*, sed perperam.' *Doering.*

2 Vulg. *M. Folius.*—3 '*Ædes* vulgariori forma Edd. ante Drak. et Ms.

NOTÆ

fustium infamiam non importat, sed causa propter quam id pati quis meruit, si ea fuit quæ infamiam damnato irrogat.' Adeo ut 'qui majori pœna afficitur quam legibus statuta est,' infamis non fiat; idque hac eleganti ratione, quod 'duriori sententia cum reo transactum de existimatione ejus videatur.'

[y] *Deminutum censuræ jus noluissent*] Sic ex Vossii cod. et quibusdam editionibus Gronov. Alii habent *voluissent:* quod forte verum: sed tunc *quanquam deminutum censuræ jus voluissent* ita erit accipiendum, ut Livius velit, primores Senatorum, cum etiam antea voluissent censorum potestatem coërceri, tanto magis id probasse, ubi hoc severitatis exemplum non sine magna offensione viderunt.

[z] *M. Fabius*] Hic M. Fabius Vibulanus ante novem annos consul fuerat, filius Q. Fabii ter consulis et decemviri legum scribendarum, a quo Fabii Ambusti.

* A. U. C. 321.

[a] *Duumviri ex libris*] De duumviris sacrorum sive sacris faciundis, deque libris Sibyllinis, egimus lib. III. c. 10. Vide et lib. V. c. 13.

[b] *Magna tamen clades*] Gronovius scopas dissolutas hic notat. Nihil tamen præter consuetum historico stylum. Et satis constat ac sibi cohæret oratio, si ita invertas, *magna tamen clades accepta* (supple *est*) *per hominum pecorumque perniciem, &c.*

agrisque, promiscue hominum pecorumque pernicie, accepta. Famem cultoribus agrorum[c] timentes[4] in Etruriam Pomptinumque agrum et Cumas, postremo in Siciliam quoque frumenti causa misere. Consularium comitiorum nulla mentio habita est. Tribuni militum consulari potestate omnes patricii creati sunt, L. Pinarius Mamercinus, L. Furius Medullinus, Sp. Postumius Albus.* Eo anno vis morbi levata, neque a penuria frumenti, quia ante provisum erat, periculum fuit. Consilia ad movenda bella in Volscorum Æquorumque conciliis, et in Etruria ad fanum Voltumnæ, agitata. Ibi prolatæ in annum res, decretoque cautum, ne quod ante concilium fieret; nequicquam Veiente populo querente, eandem, qua Fidenæ deletæ sint, imminere Veiis fortunam. Interim Romæ principes plebis, jam diu nequicquam imminentes spei majoris honoris, dum foris otium esset,[5] cœtus indicere in domos tribunorum plebei, ibi secreta consilia agitare: queri, 'se a plebe adeo spretos, ut, cum per tot annos tribuni militum consulari potestate creentur, nulli unquam plebeio ad eum honorem aditus fuerit. Multum providisse suos majores, qui caverint, ne cui patricio[d] plebeii magistratus paterent; aut patricios habendos fuisse tribunos plebei.[6] Adeo se suis etiam sordere, nec a plebe minus, quam a Patribus con-

Veith. in quo et *fecit* pro *præbuit.*' Stroth.—4 'Cum Gronov. forte leg. *promiscua*, et *famem incultu agrorum timentes.*' Rupert. Vocem *deficientibus* ante *cultoribus* excidisse putabat Doujat. 'Crevier. ante *cultoribus* unam alteramve vocem excidisse suspicatur: v. c. *absumtis ea clade cultoribus agrorum.*' Doering.—5 *Cum . . . esset* emend. J. F. Gronov.—6 Vet. lib. *alioquin patricios ha-*

NOTÆ

[c] *Famem cultoribus agrorum*] De his non immerito dubitat idem Gronovius. Cur enim Romani famem agrestibus potius quam toti urbi timuerint? Videtur aliquid deesse: quod suspicatur scribendum, *Famem incultu agrorum timentes*, dum melius quid occurrat, amplector: nisi si quis voce una inserta mallet, *deficientibus cultoribus agrorum.*

* A. U. C. 322.

[d] *Ne cui patricio*] Prudenter cautum a majoribus suis fuisse aiunt, ne ulli patricio liceret tribuno plebis esse; quod si lege nominatim cautum non fuisset, fore ut tribunatus patriciis fere semper deferretur: quandoquidem plebis primores a plebe ipsa despiciantur.

temni.'[7] Alii purgare plebem, culpam in Patres vertere: 'eorum ambitione artibusque fieri, ut obseptum plebi sit ad honorem iter. Si plebi respirare ab eorum mixtis precibus minisque liceat, memorem eam suorum [e] inituram suffragia esse, et parto auxilio imperium quoque asciturum.' Placet, tollendæ ambitionis causa, tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum[8] [f] addere † petitionis liceret causa. Parva nunc res, et vix serio agenda videri possit, quæ tunc ingenti certamine Patres ac plebem accendit. Vicere tamen tribuni, ut legem perferrent: apparebatque, irritatis animis, plebem ad suos studia inclinaturam: quæ

bendos fuisse tribunos plebi.—7 'In Rottendorfiano invenio: *nec ad plebem minus quam a P. c.* quod valde blanditur.' *J. F. Gronov.*—8 Alii unico vocabulo *investimentum.*

NOTÆ

[e] *Memorem eam suorum*] Futurum ut plebs plebeiorum in suffragiis ferendis rationem haberet, modo libera sit a precibus potentiorum, quæ minis mistæ pro jussis sunt. Quodsi hac in re auxilium plebi detur a tribunis, eam magistratum quoque, cui cohæreat imperium, sibi suisque sumturam.

[f] *Ne cui album in vestimentum*] Qui magistratum petebant, alba toga induti comparebant, et populum prensabant; indeque candidatorum nomen. Rhenan. ex scripto exemplari legit, unico vocabulo, *investimentum*, idque Hotoman. et Giphanius sequuntur. Exponit autem vestimentum exterius, quod supra alteram vestem inducitur: quod Romanorum veterum habitus haud facile pati videtur. *Investiendi* verbum Latinum agnoscit Rhen. idem, ut quo Plin. per metaphoram saltem usus sit, atque inde peti existimat jurisconsultorum posteriorum *investituram.* Gronov. post Lipsium vocem illam in duas dividit: et prohibitum hoc plebiscito ne album in vestimentum adderetur, hoc est, ne qui magistratus peterent togam arte dealbarent, et candidiorem redderent, prout moris erat. Vestitus quidem Romanorum vulgaris, præsertim in officiis urbanis, albus fuit: unde apud Juvenalem, 'Niveosque ad fræna Quirites.' Sed qui honores ambiebant, albo illo, id est, simplici et nativo lanæ colore, non contenti, togis suis candorem quendam, atque adeo fulgorem conciliabant, indita creta: quo pertinet illud Persii 'cretata ambitio.' Idcirco Polybius candidatorum hanc vestem λαμπρὰν dicere maluit, splendentem scilicet, quam λευκὴν, id est, 'albam.' Sed quid in plebis primores emolumenti ex ea lege, quid in patricios incommodi, non video: nisi quis probet solis patriciis licuisse in ejusmodi candida sive splendida veste honores petere.

† *Album in vestimentum addere*] Creta vestem dealbare, ut recte J. F. Gronovius, quem vide, ut et Oct. Ferrarium de R. V. lib. 1. c. 21. *J. Clericus.*

ne libera essent, senatus consultum factum est, ut consularia comitia haberentur.

26. Tumultus causa fuit, quem ab Æquis et Volscis Latini atque Hernici nuntiarant. T. Quintius L. F. Cincinnatus (eidem et Penno cognomen additur) et C. Julius Mento consules facti:* nec ultra terror belli est dilatus. Lege sacrata,[g] quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat, delectu habito, utrimque[h] validi exercitus profecti in Algidum convenere. Ibique seorsum Æqui, seorsum Volsci, castra communivere; intentiorque, quam unquam ante, muniendi exercendique militem cura ducibus erat. Eo plus nuntii terroris Romam attulere. Senatui dictatorem dici placuit: quia, etsi sæpe victi populi, majore tamen conatu, quam alias unquam, rebellarent:[9] et aliquantum Romanæ juventutis morbo absumtum erat. Ante omnia pravitas consulum[10] discordiaque inter ipsos[i] et certamina in consiliis omnibus terrebant. Sunt, qui male pugnatum ab his consulibus in Algido auctores sint,

9 Vet. lib. apud Sigon. *rebellarant.*—10 Vet. lib. apud eundem *privata con-*

NOTÆ

* A. U. C. 323.

g *Lege sacrata*] Hæc sacrata lex non Romanorum fuit, quales in gratiam tribunorum plebis latæ: sed Æquorum et Volscorum; qua sacrabantur, ac devovebantur, opinor, capita eorum qui militiæ nomina dare recusarent.

h *Utrimque*] Hinc ex Æquis, inde ex Volscis.

i *Pravitas consulum discordiaque inter ipsos*] Sigon. substituerat *privata consulum discordia quæ inter ipsos erat.* Priorem ac veriorem lectionem restituit Gronov. et pluribus probat *pravitatem*, etsi proprie de vitiis corporis dicatur: (ut cum Horat. ait, 'pravo vivere naso,' et 'pravis fultum male talis:') tamen ad animi vitia translatam hanc vocem: (ut apud eundem, 'frustra vitium vitaveris illud, Si te alio pravum detorseris:') ita ut *pravus* opponatur recto. Sed præter illam generalem significationem, specialius de invidia, malignitate, et pertinacia, tanquam de fœdissimo vitio, dici notat: quemadmodum infra lib. IX. 'Collegæ nunc temeritas, nunc pravitas impedimento aut damno fuit.' Et apud Tacit. III. Annal. 'Incusato Lollio, quem auctorem C. Cæsari pravitatis et discordiarum arguebat.' Nominis autem originem e Græco fonte trahit: quasi *pravus* dicatur non quidem a nomine πρᾶος, uti Julio Scaligero visum; sed a παραβὰς, quod Æoles, ut et Attici, mutato α in ο, ut alibi sæpe, παραβὸς efferrent.

eamque causam dictatoris creandi fuisse. Illud satis constat, ad alia discordes in uno adversus Patrum voluntatem consensisse, ne dicerent dictatorem: donec, cum alia aliis terribiliora afferrentur, nec in auctoritate senatus consules essent, Q. Servilius Priscus, summis honoribus egregie usus,[k] 'Vos,' inquit, 'tribuni plebis, quoniam ad extrema ventum est, senatus appellat, ut in tanto discrimine rei publicæ dictatorem dicere consules pro potestate vestra cogatis.'[l] Qua voce audita, occasionem oblatam rati tribuni augendæ potestatis secedunt, proque collegio pronuntiant, 'placere, consules senatui dicto audientes esse: si adversus consensum amplissimi ordinis ultra tendant, in vincula se duci eos jussuros.' Consules ab tribunis, quam ab senatu, vinci maluerunt; proditum a Patribus summi imperii jus, datumque sub jugum tribuniciæ potestati consulatum memorantes, siquidem cogi aliquid[m] pro potestate[m] ab tribuno consules, et (quo quid ulterius privato timendum foret?) in vincula etiam duci possent. Sors, ut dictatorem diceret, (nam ne id quidem inter collegas convenerat,) T. Quintio evenit. Is A. Postumium Tubertum, socerum suum, severissimi imperii virum, dictatorem dixit: ab eo L. Julius magister equitum est dictus. Simul edicitur et justitium: neque aliud tota Urbe agi, quam bellum apparari:[n] cognitio vacantium militiæ munere[o] post bellum differtur. Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda.

NOTÆ

[k] *Summis honoribus egregie usus*] Hic Q. Servilius Priscus, P. Servilii consulis filius, consulumque nepos ac pronepos, an. 319. Dictator Fidenis expugnatis cognomen Fidenatis meruerat. Vide supra cap. 1. ubi mendose Aulus pro Quintio nominatur.

[l] *Pro potestate vestra cogatis*] Non ea sane tribunis plebis a principio in consules data potestas; sed in tuendis duntaxat adversus patriciorum impotentiam plebeiis posita.

[m] *Siquidem cogi aliquid pro potestate*] Sic Plin. in Paneg. 'Ereptumque principi illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur.'

[n] *Neque aliud tota Urbe agi, quam bellum apparari*] Valde Gronovio suspectum τὸ *agi*, quod in talibus adhibere non solet Livius lib. II. 'Et hostes quidem nihil quam perfusis vano timore Romanis citato agmine abeunt;' et lib. XXXIV. 'Per biduum nihil aliud quam steterunt parati ad pugnam.'

[o] *Cognitio vacantium militiæ munere*] Vide supra lib. III. c. 69.

Et Hernicis Latinisque milites imperati. Utrimque enixe[12] obeditum dictatori[p] est.

27. Hæc omnia celeritate ingenti acta: relictoque C. Julio consule ad præsidium Urbis, et L. Julio magistro equitum ad subita belli ministeria, ne qua res, qua eguissent in castris, moraretur,[q] dictator, præeunte A. Cornelio Pontifice[r] Maximo, ludos magnos tumultus causa vovit: profectusque ab Urbe, diviso cum Quintio consule exercitu, ad hostes pervenit. Sicut bina castra hostium, parvo inter se spatio distantia, viderant, ipsi quoque mille ferme passus ab hoste, dictator Tusculo, consul Lanuvio,[s] propiorem locum castris ceperunt. Ita quatuor exercitus, totidem munimenta, planitiem in medio, non parvis modo excursionibus ad prælia, sed vel ad explicandas utrimque acies satis patentem, habebant. Nec, ex quo castris castra collata sunt, cessatum a levibus præliis est; facile patiente dictatore, conferendo vires spem universæ victoriæ, tentato paulatim eventu certaminum, suos præcipere.[y] Itaque

[y] *Cum dictator non ægre pateretur, ut sui, tentando paulatim eventum certaminum, antecaperent spem victoriæ ex viribus propriis collatis cum hostium viribus.*

sulum. Vid. Not. inf. et Not. Var.—11 Vet. lib. *cogi aliquando.*—12 Mss. et veteres ante Curionem et Gryphium editiones *obniae.*

NOTÆ

[p] *Enixe obeditum dictatori*] Mss. et veteres ante Curionem et Gryphium editiones, *obnixe:* quod Terentii quoque est in Andr. 'Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia facturum.'

[q] *Ne qua res, qua eguissent in castris moraretur*] Vult curasse Postuminum ne quid earum rerum, quibus indigerent in castris milites, eis moram afferret: omniaque ipsis ab Urbe, consulis et magistri militum cura, sumministrarentur.

[r] *Præeunte A. Cornelio Pontifice*] Sive dedicandum, sive vovendum templum, aut quid aliud, id conceptis verbis fieri oportebat, quæ solis Pontificibus cognita. Idcirco formulam Pontifex voventi aut dedicanti præibat.

[s] *Dictator Tusculo, consul Lanuvio*] Tusculi et Lanuvii situm et nomen hodiernum exposuimus lib. I. Cave autem castra dictatoris apud Tusculum, consulis apud Lanuvium fuisse putes: utraque circa Algidum, ubi bina hostium castra parvo inter se spatio distantia, a quibus mille passus Romani sua et ipsi bina castra posuere, intermedia planicie. Sed dictator ea parte tendebat quæ Tusculo propior; consul Lanuvium versus: ita ut ille Tusculo quinque circiter millibus passuum abesset, hic

hostes, nulla in prælio justo[t] relicta spe, noctu adorti castra consulis, rem in casum ancipitis eventus committunt. Clamor subito ortus non consulis modo vigiles, exercitum deinde omnem, sed dictatorem quoque ex somno excivit. Ubi præsenti ope res egebant, consul nec animo defecit,[13] nec consilio: pars militum portarum stationes firmant: pars corona vallum cingunt.[u] In alteris apud dictatorem castris, quo minus tumultus est, eo plus animadvertitur, quid opus facto sit. Misso extemplo ad castra subsidio,[14][x] cui Sp. Postumius Albus legatus præficitur, ipse parte copiarum[y] parvo circuitu locum maxime secretum[z] ab tumultu petit, unde ex nec opinato[15] aversum hostem invadat. Q. Sulpicium legatum præficit castris: M. Fabio legato[z] assignat equites. Nec ante lucem movere jubet manum,[a] inter nocturnos tumultus moderatu difficilem. Omnia, quæ vel alius imperator prudens et impiger in tali re præciperet ageretque, præcipit ordine atque agit. Illud eximium consilii animique specimen, et neutiquam vulgatæ laudis, quod ultro ad oppugnanda castra hostium,[b] unde majore agmine profectos exploratum fuerat,

[z] *Devium, et a certaminis loco quam maxime remotum.*

13 *Deficit* Gronov. Doujat. Crevier.—14 Vulg. *Missum e. a. c. subsidium.*—

NOTÆ

Lanuvio fere decem.

[t] *In prælio justo*] Justum prælium appellat apertum, et sine insidiis, æquo marte palam initum.

[u] *Pars corona vallum cingunt*] Habes iterum interiorem coronam militum hostes oppugnantes repellentium, eaque de causa confertorum ad vallum.

[x] *Misso e. a. c. subsidio* [*Missum extemplo ad castra subsidium*] Ad castra Quintii consulis e castris Postumii dictatoris. Hiare hic orationem Gronovius putat, atque ex Mss. reponit *misso subsidio*: miror hic quoque minus memorem intercisi Liviani styli.

[y] *Ipse parte copiarum*] Dictator ipse per se.

[z] *M. Fabio legato*] Plures in exercitu legati, quot scilicet legiones.

[a] *Nec ante lucem movere jubet manum*] Vetat ne Fabius equitatui præfectus ante lucem turmas loco moveat, quod equi noctu difficilius regantur.

[b] *Ad oppugnanda castra hostium*] Utrorum? nam diversi metabantur, hinc Æqui, inde Volsci. Æquorum puto fuisse. Nam cap. sequenti Volscorum castra nondum capta erant: et ad oppugnandum consulem

M. Geganium cum cohortibus delectis misit. Qui, postquam intentos homines in eventum periculi alieni, pro se incautos neglectis vigiliis stationibusque, est adortus, prius pæne cepit castra, quam oppugnari hostes satis scirent. Inde, fumo,[16] [c] ut convenerat, datum signum ubi conspectum ab dictatore est, exclamat, capta hostium castra, nuntiarique passim jubet.

28. Et jam lucescebat, omniaque sub oculis erant: et Fabius cum equitatu impetum dederat, et consul eruptionem e castris in trepidos jam hostes fecerat. Dictator autem, parte altera subsidia et secundam aciem adortus,[d] circumagenti se ad dissonos clamores ac subitos tumultus hosti[17] undique objecerat victorem peditem equitemque. Circumventi igitur jam in medio ad unum omnes pœnas rebellionis dedissent, ni Vectius Messius[18] ex Volscis, nobilior vir factis, quam genere, jam orbem volventes[e] suos increpans clara voce, 'Hic præbituri,' inquit, 'vos telis hostium[f] estis indefensi, inulti? Quid igitur arma habetis? aut quid ultro bellum intulistis; in otio tumultuosi, in bello segnes? Quid hic stantibus spei est? an Deum ali-

15 *Ex inopinato* Mss. nonnulli.—16 Alii pro *fumo* conj. *flamma*, vel *e summo*, vel *e tumulo*.

17 Vid. Not. Var.—18 Sigonius suspicatur scribendum, *Vettius Metius*.—

NOTÆ

ardentiores videntur Æqui fuisse, quod in suis finibus bellum gereretur.

[c] *Inde, fumo*] Hæret Tanaq. Faber, num *flamma*, quæ signum magis nocturnum est, fumus diurnum. Potest tamen et sereno cœlo fumus noctu pro signo esse.

[d] *Subsidia et secundam aciem adortus*] Gallice: *Donnant sur le corps de réserve et sur la seconde ligne de l'armée ennemie, qui attaquoit les lignes du consul Fabius.*

[e] *Jam orbem volventes*] Id est, se circumagentes in globum, ut nullibi hostibus terga darent, sed adversos ipsi undique adversi repellerent. Ita apud Cæsarem lib. IV. de Bell. Gall. 'Jusserunt pronuntiari ut impedimenta relinquerent, atque in orbem consisterent.' Qui enim undique urgentur, cum pauci a longe pluribus se circumventos vident, solent in orbem pugnare, ut militum terga tuta sint. Alibi Livius id vocat 'in orbem se tutari.' Cui respondet Gallicum, *Faire face de tous côtés.*

[f] *Hic præbituri, inquit, vos telis hostium*] Alias *perituri*, et mox *progressum*. Utrumque recte videtur emendasse Rhen. in *præbituri*, et *prægressum*.

quem protecturum vos, rapturumque hinc putatis? Ferro via facienda est. Hac, qua me prægressum videritis, agite, qui visuri domos, parentes, conjuges, liberos estis, ite mecum. Non murus, nec vallum; sed armati armatis obstant. Virtute pares, necessitate, quæ ultimum ac maximum telum est, superiores estis.' Hæc locutum exequentemque dicta redintegrato clamore secuti, dant impressionem, qua Postumius Albus cohortes objecerat: et moverunt victorem,[g] donec dictator, pedem jam referentibus suis, advenit: eoque omne prælium versum est. Uni viro Messio[19] [h] fortuna hostium innititur. Multa utrimque vulnera, multa passim cædes est. Jam ne duces quidem Romani incruenti pugnant. Unus Postumius, ictus saxo, perfracto capite,[20] acie excessit. Non dictatorem humerus vulneratus, non Fabium prope affixum equo femur, non brachium abscisum consulem ex tam ancipiti prælio summovit.

29. Messium impetus per stratos cæde hostes cum globo fortissimorum juvenum extulit ad castra Volscorum,[a] quæ nondum capta erant. Eodem omnis acies inclinatur.[b] Consul, effusos usque ad vallum persecutus, ipsa castra vallumque aggreditur: eodem et dictator alia parte copias admovet. Non segnior oppugnatio est, quam pugna fuerat. Consulem signum quoque intra vallum injecisse ferunt, quo milites acrius subirent; repetendoque signo primam impressionem factam. Et dictator, proruto[i] vallo,[i] jam in

[a] *Messius facto impetu perrupit usque ad castra Volscorum per mediam hostium stragem.*

[b] *Tota vis certaminis in eam partem defertur.*

19 Legit Faber *uni Vectio Messio.*—20 'Scripserat Livius, *ictu saxi præfracto capite.*' Idem.

NOTÆ

[g] *Moverunt victorem*] Loco scilicet; id est, repulerunt, seu potius impulerunt Postumium Album, a cujus cohortibus premebantur. *Ils pousserent, ils firent reculer les ennemis.*

[h] *Uni viro Messio*] Legit Faber, *uni Vectio Messio*, nulla vel necessitate, vel operæ pretio.

[i] *Proruto vallo*] Ex Mss. et vett. edd. ita melius, quam *perrupto*, aut, *prorupto*, id est, disjecto.

castra prælium intulerat. Tum abjici passim arma,[2] ac dedi hostes cœpti. Castrisque et his[k] captis, hostes, præter senatores, omnes venumdati sunt. Prædæ pars sua cognoscentibus Latinis[l] atque Hernicis reddita: partem sub hasta[m] dictator vendidit: præpositoque consule castris, ipse, triumphans invectus Urbem, dictatura se abdicavit. Egregiæ dictaturæ tristem memoriam[n] faciunt, qui filium ab A. Postumio, quod, occasione bene pugnandi captus, injussu decesserit[3] præsidio, victorem securi percussum tradunt. Nec libet credere; et licet, in variis opinionibus.[4][o] Et argumento est, quod 'imperia Manliana,' non 'Postumiana,' appellata sint: cum, qui prior[p] auctor tam sævi ex-

1 Al. *perrupto* et *prorupto*.—2 *Arma passim* Gronov. Doujat. Crevier.—3 Vulg. *discesserit*.—4 'Distinguenda et legenda verba hæc aliter videntur, *Nec libet credere, nec licet in variis opinionibus*.' Cuperus.

NOTÆ

[k] *Castrisque et his*] Volscorum etiam castris.

[l] *Pars sua cognoscentibus Latinis*] Pars prædæ, quam socii Romanorum Latini Hernicique suam, id est, sibi ablatam, cognoverunt, pristinis reddita dominis.

[m] *Sub hasta*] Auctiones, hasta in foro aliove celebri loco posita, per præconem fieri tritum; atque ita publice bona prædamque hostilem venumdari. Unde hasta pro auctione. Ut, 'quos non illa infinita Pompeii hasta satiavit.' Cic.

[n] *Egregiæ dictaturæ tristem memoriam*] Valer. Max. lib. II. cap. 2. et de Postumio et de Torquato id memorat: itemque Diodorus lib. XII. et A. Gell. lib. XVII. cap. 21. ubi bis fallitur, et cum Postumium Torquatum nominat, (quod Manlii postea cognomen fuit,) et cum hostes tunc populi Romani Fidenates dicit. Idem lib. I. cap. 13. 'Postumiana imperia' conjungit cum Manlianis; ex Livio, ni fallor, contra Livii mentem.

[o] *Nec libet credere; et licet, in variis opinionibus*] Liv. noluit credere, quamvis ob varias opiniones liceret. Hæc interpretatus non essem, nisi Glareanus testaretur a se non plane intelligi.

Nec libet credere; et licet, in variis opinionibus] Licet, nempe, *non credere* propter auctorum dissensum; quibus consentientibus fidem derogare vix liceret. *J. Clericus.*

[p] *Cum, qui prior*] Duo affert argumenta cur credibile non putet a Postumio dictatore filium securi percussum: alterum quod Postumius prior Manlio fuerit, a quo filium, quod contra præscriptum pugnasset, interemtum constat: unde si et Postumius eadem inhumanitate in filium sæviisset, proverbio ipse potius quam Manlius causam fuisset daturus. Primi enim rei cujusque auctores earum titulum præcipiunt in utramque partem. Alterum argumentum est, quod Manlius *imperiosi* cognomine notatus ex eo fuerit, Postumius nulla ejusmodi nota aspersus. Tristis nota, est nota odiosa, ad infamiam aut invidiam pertinens: sic litera tristis est litera *d*, apud Latinos damnatio-

empli foret, occupaturus insignem titulum crudelitatis fuerit. 'Imperioso' quoque Manlio cognomen inditum; Postumius nulla tristi nota est insignitus. C. Julius consul ædem Apollinis, absente collega, sine sorte[q] dedicavit: ægre id passus Quintius, cum, dimisso exercitu, in Urbem redisset, nequicquam in senatu est conquestus. Insigni magnis rebus anno additur, nihil tum ad rem Romanam pertinere visum, quod Carthaginienses, tanti hostes futuri,[r] tum primum per seditiones Siculorum ad partis alterius auxilium in Siciliam exercitum trajecere.

30. Agitatum in Urbe ab tribunis plebis, ut tribuni militum consulari potestate crearentur; nec obtineri potuit. Consules fiunt L. Papirius Crassus, L. Julius.* Æquorum legati fœdus ab senatu cum petissent, et pro fœdere deditio ostentaretur,[c] inducias annorum octo[s] impetraverunt. Volscorum res, super acceptam in Algido cladem, pertinaci certamine inter pacis bellique auctores in jurgia et seditiones versa. Undique otium fuit Romanis. Legem

[c] *Et loco fœderis, significaret Senatus, se deditionem Æquorum expectare ac velle.*

NOTÆ

nis index auctore Asconio.

[q] *Sine sorte*] Quæ ad collegas æque pertinent, nisi inter se convenerint collegæ, sorti committi solent.

[r] *Carthaginienses, tanti hostes futuri*] Quamdiu longo maris tractu divisi a Romanis Carthaginienses fuere, societatem mutuo coluerunt: ubi utrique in Sicilia bellare cœperunt, hostes facti. Carthaginiensium in Siciliam trajectum quibus auctoribus in hunc annum conjecerit Liv. nosse juvaret. Diodorus recte l. XI. incitante Xerxe Persarum rege, insulam invadere tentasse, ducemque ipsorum Amilcarem cum centum quinquaginta hominum millibus ad Himeram eodem die, quo prælium ad Thermopylas commissum est, interfectum memorat, consulibus Sp. Cassio, et Proc. Virginio; id est, an. ab U. C. 268. et sic annos quinque supra quinquaginta ante hos consules. Quodsi non de hoc primo ingressu loqui Nostrum dixerimus, sed de eo tempore quo seditionibus incolarum vocati in eam navigarunt; nec sic quidem convenient tempora. Idem enim Diod. Sic. lib. XIII. post Thucydidem, excitos ab Egestanis Pœnos, profligatis in Sicilia post vanam Syracusarum obsidionem Atheniensibus, et Annibalis Pœnorum ducis adventum confert in annum 22. belli Peloponnesiaci, qui cum anno Urbis 343. concurrit.

* A. U. C. 324.

[s] *Inducias annorum octo*] Atenim iidem Æqui post annos sex novas inducias triennales impetrarunt; quibus nihil opus, si adhuc hæ priores durabant. Glar. videndum ait num, hic *VI. annorum*, pro *VIII.* legendum.

de mulctarum æstimatione[t] pergratam populo, cum ab tribunis parari consules unius ex collegio proditione excepissent,[d] ipsi præoccupaverunt ferre. Consules L. Sergius Fidenas iterum, Hostus[5] Lucretius Tricipitinus.* Nihil dignum dictu actum his consulibus. Secuti eos consules A. Cornelius[u] Cossus, T. Quintius Pennus iterum.† Veientes in agrum Romanum excursiones fecerunt. Fama fuit, quosdam ex Fidenatium juventute participes ejus populationis fuisse: cognitioque ejus rei L. Sergio, et Q. Servilio, et Mam. Æmilio permissa. Quidam Ostiam relegati, quod, cur per eos dies a Fidenis afuissent, parum constabat. Colonorum additus numerus,[x] agerque iis bello interemtorum

[d] *Consules cognovissent et quasi expiscati essent, prodente uno ex collegio tribunorum plebis.*

NOTÆ

[t] *Legem de mulctarum æstimatione*] De hac re mulctatitia plures latæ leges reperiuntur. Primo lege P. Valerii Poplicolæ apud Plut. constitutum fuerat, ut qui consulibus non paruisset, quinque boum ac duarum ovium mulctam solveret. 2. Sp. Tarpeio Capitolino, et A. Aterio vel Æternio coss. anno post Romam conditam 300. Lege idcirco Tarpeia, vel Ateria, sive Æternia dicta, cautum est, si Dionysio Halicarnasseo fides, (qui Ternium pro Æternio nominat,) ut liceret omnibus magistratibus suæ majestatis læsæ reos mulctare. Antea quippe id solis consulibus licebat. Verum mulctæ modus non ipsorum arbitrio relictus est, sed præfinitus ne duos boves, triginta oves excederet; contra tamen Festus et A. Gellius, incitatos qui per contumaciam abessent, supremam mulctam institutam esse aiunt duarum ovium, sive arietum, (nam oves genere masculino appellabantur,) triginta boum; pro copia scilicet boum, et ovium penuria, apud veteres Italos. Sed quoniam ejusmodi mulctæ pecoris armentique a magistratibus dictæ, ob diversum ex ovium boumque varia qualitate pretium, inæquales admodum erant, prodiit biennio post lex 3. T. Menenio Lanato, et P. Sextio Capitolino consulibus; qua certum pretium his dictum est, in singulas oves æris deni sive decem asses librales, in boves singulos centeni. Quod tamen prioribus legibus iidem auctores ascribunt, Plutarchus Valeriæ, Festus et A. Gellius Tarpeiæ, quidam huic Quartæ latæ consulibus L. Papirio, L. Julio. Noster sane eam de mulctarum æstimatione fuisse memorat.

* A. U. C. 325.

[u] *A. Cornelius*] Hic ille est A. Cornelius Cossus, qui spolia opima de Larte Tolumnio retulit ex vulgata sententia an. 318. Livii judicio hoc ipso anno, uti cap. 20. est observatum.

† A. U. C. 326.

[x] *Colonorum additus numerus*] Jam enim a Romuli temporibus eo deducta fuerat colonia.

assignatus. Siccitate[6] eo anno plurimum laboratum est: nec cœlestes modo defuerunt aquæ, sed terra quoque, ingenito[7] humore egens,[y] vix ad perennes suffecit amnes. Defectus alibi aquarum circa torridos fontes rivosque stragem siti pecorum morientium dedit; scabie alia absumta: vulgatique[8] contactu in homines morbi, et primo in agrestes ingruerant servitiaque. Urbs deinde impletur. Nec corpora modo affecta tabo,[9] [z] sed animos quoque multiplex religio, et pleraque externa, invasit; novos ritus sacrificandi[10] vaticinando inferentibus in domos, quibus quæstui sunt capti superstitione animi: donec publicus jam pudor[a] ad primores civitatis pervenit, cernentes in omnibus vicis sacellisque peregrina atque insolita piacula pacis Deum exposcendæ. Datum inde negotium ædilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio, colerentur. Iræ adversus Veientes in insequentem[11] annum,* C. Servilium Ahalam, L. Papirium Mugillanum consules,[b] dilatæ sunt. Tunc quoque, ne con-

5 Vulg. *Hostius.*—6 Vet. lib. ap. Sigon. *Et siccitate.*—7 Vid. Not. inf.—8 *Vulgarique* Edd. a Grut. ad Drak.—9 *Tabe* Ms. Veith.—10 *Sacrificando*

NOTÆ

[y] *Ingenito humore egens*] Tan. Faber indicat *ingenuo*, tanquam Ovidianum et Lucretianum.

[z] *Affecta tabo*] *Tabo* dixit pro *tabe*. Hæc tamen aliquantum diversa. *Tabes* enim maciem et languorem proprie significat, quo corpus defluens extenuatur, et sensim consumitur. *Tabus* autem, vel potius, in casibus obliquis, *tabi*, et *tabo*, pus est ac putridus cruor.

[a] *Publicus jam pudor*] Eo scilicet res prorruperat, ut pudere primores cœpisset. Romani enim jamdiu publice recepta sacra miro studio colebant, nova aliunde introduci ægre patiebantur, quod sic dissolvi facile religionem putarent, quemadmodum disserit apud Nostrum Postumius consul lib. XXXIX.

* A. U. C. 327.

[b] *In insequentem annum . . . consules, &c.*] In annum sequentem, cui a consulibus C. Servilio, L. Papirio nomen. Hanc lectionem ex Vossiano codice ceteris anteponit Gronovius. Ut Livius *annum*, *consules* dixerit eleganti appositione: quemadmodum apud Ovid. 'Turba, ruunt in me, luxuriosa, proci.' Vel ita intelligi potest, ut præpositio repetita censeatur, *in insequentem annum, inque consules, &c.* Nec tamen quicquam vetat retineri vulgatam scripturam, *iræ . . . . in insequentem annum*, C. Servilio Ahala, L. Papirio Mugillano consulibus, *dilatæ*, id est, in annum quo futuri erant hi consules.

festim bellum indiceretur, neve exercitus mitterentur, religio obstitit.[c] Fetiales prius mittendos ad res repetendas censuere. Cum Veientibus nuper acie dimicatum ad Nomentum et Fidenas fuerat: induciæque inde, non pax, facta: quarum et dies exierat, et ante diem rebellaverant. Missi tamen fetiales: nec eorum, cum more patrum jurati[d] repeterent res, verba sunt audita. Controversia inde fuit, utrum populi jussu indiceretur bellum, an satis esset senatus consultum.[12 e] Pervicere tribuni, denuntiando impedituros se delectum, ut consules de bello[13 f] ad populum ferrent. Omnes centuriæ jussere. In eo quoque plebs superior fuit, quod tenuit, ne consules in proximum annum crearentur.

Edd. a Froben. ad Crevier.—11 Vulg. *in sequentem.* Vid. Not. Var.—12 Legit Sigon. *senatusconsulto.*—13 Mss. et vett. edd. *ut Quintius consul de bello.* Vid. inf. et Not. Var.

NOTÆ

[c] *Religio obstitit*] Plures erant belli Veientibus inferendi causæ, omnes idoneæ: religioni tamen Romanis fuit exercitum in eos mittere, nisi prius rebus repetitis, indictoque palam bello.

[d] *Fetiales... cum more patrum jurati*] Antiqua formula res repetendi ac belli more Romano indicendi refertur a Liv. lib. I. cap. 32.

[e] *An satis esset senatus consultum*] Sigon. *Senatusconsulto.* Illud nihil pejus Gronovio videtur. Sed unde nata circa hoc bellum indicendum controversia, cum belli pacisque arbitrium a temporibus usque Romuli penes populum universum fuisset? Ideo forte quod non tam a Romanis, quam a Veientibus, hoc bellum ortum; et videbatur magis defensionis quam aggressionis causa fieri. Quia tamen res repeti censuerant Patres, aut eam religionem fetiales injecerant, auctoritate Senatus tanquam de novo bello interposita, rem comitiis committendam, nec sufficere Senatusconsultum tribuni non omnino sine causa contendebant.

[f] *Ut consules de bello*] Mss. et vett. edd. *Ut Quintius consul de bello ad populum ferret.* Sigonius Quintii mentionem improbat, quod is non hoc, sed priori anno consul fuisset: ideoque legit, *ut consules..... ferrent:* eumque hac in re audiendum putat Gronovius: ego vero ambigo. Licet enim iræ adversus Veientes in Servilium et Papirium consules dilatæ dicantur; id de bello gerendo intelligi potest: nec inde sequitur consilia quoque belli in horum consulum annum dilata fuisse. Quapropter potuit Quintius extremo consulatu suo ad populum referre de bello indicendo. Quod Gronovius ex margine Vossiani codicis pro *ut consules* haud dubie legendum censet, *ni consules ad populum ferrent;* id vix tanti est. Si enim referas ad 'impedituros delectum, ni consules,' &c. recte se res habebit: si referas ad priora, 'pervicere tribuni ut consules ferrent,' nihilo deterius fuerit.

31. Tribuni militum consulari potestate quatuor creati sunt,* T. Quintius Pennus ex consulatu,[14] [g] C. Furius, M. Postumius, A Cornelius Cossus. Ex iis Cossus præfuit Urbi. Tres, delectu habito, profecti sunt Veios, documentoque fuere, quam plurium imperium bello inutile esset. Tendendo ad sua quisque consilia, cum aliud alii videretur, aperuerunt ad occasionem locum hosti. Incertam namque aciem, signum aliis dari receptui, aliis cani jubentibus,[15] invasere opportune Veientes:[e] castra propinqua turbatos ac terga dantes accepere. Plus itaque ignominiæ, quam cladis, est acceptum. Mœsta civitas fuit,[16] vinci insueta: odisse tribunos, poscere dictatorem, in eo verti spes civi-

[e] *Hostibus locum præbuerunt utendi occasione rei bene gerendæ. Veientes enim opportune aggressi sunt exercitum Romanorum fluctuantem ac dubium cui duci parendum esset: cum alius receptui cani juberet, alii signum pugnæ dari.*

14 'Voces *ex consulatu*, quamvis in omnibus Mss. appareant, suspectæ videntur Dukero et Drakenborchio.' *Doering*. Forte delenda esse hæc verba censet Rupert.—15 Post *dari* distinguit Kreyssigius: *signum aliis dari, receptui aliis cani jubentibus*.—16 *Fuit* del. Elzev. Gronov. Crevier. all. recentt.—

NOTÆ

* A. U. C. 328.

[g] *Ex consulatu*] Proximi ante hunc annum consules a Livio memorantur C. Servilius Ahala et L. Papirius Mugillanus: unde notat Sigonius in quibusdam libris aliena manu super *ex consulatu* scriptum esse *ter consul:* sed temere inquit: jam enim non nisi bis consul fuerat. Quod consentaneum cum Livii calculo. At Diodorus, post consulatum cum Cornelio Cosso gestum, sequenti anno eundem consulem facit cum A. Sempronio, atque hunc consulatum interserit ante C. Servilium et L. Papirium consules. Quod si admittas, adjiciendus erit annus unus ad summam. Ut ut sit, intelligendum Sigonius ait, Quintium anno postquam consul fuit tribunum militum consulari potestate factum, habita ratione ejus anni quo petivit, non quo gessit, hunc scilicet militum tribunatum. Mihi sane dubium non est quin *ex consulatu* idem sonet ac post consulatum. Sed hæc loquendi forma aliquando inter ea quæ ante, quæque post gesta sunt, intervallum recipit: nec absolute requirit ut posterius cum priori continuetur. Ut cum dicimus 'ex eo die,' 'ex rupibus nactus planiciem,' &c. Nec tamen nego plurimum hic esse ambagium: quæ fortasse tolli possent, si conjectura esset Servilium Ahalam et Papirium Mugillanum consules quidem designatos fuisse, aliqua tamen ex causa non gessisse consulatum: contra Quintium Pennum ante hunc annum ter fuisse consulem, ut Diodorus scripsit. Sic enim omnia facile conciliarentur quæ sive in rebus, sive in temporum designatione, absurda apparent.

tatis. Et cum ibi quoque religio obstaret, ne non posset[17] nisi ab consule dici dictator, augures consulti eam religionem exemere. A. Cornelius dictatorem Mam. Æmilium[h] dixit: et ipse ab eo magister equitum est dictus. Adeo, simul fortuna civitatis virtute vera eguit, nihil censoria animadversio effecit,[18] quo minus[i] regimen rerum ex notata indigne domo peteretur. Veientes, re secunda elati, missis circum Etruriæ populos legatis, jactando tres duces Romanos ab se uno prælio fusos, cum tamen nullam publici consilii societatem movissent,[f] voluntarios undique ad spem prædæ asciverunt.[19] Uni Fidenatium populo rebellare placuit: et, tanquam[20] nisi ab scelere bellum ordiri nefas esset, sicut legatorum antea, ita tum novorum colonorum cæde imbutis armis, Veientibus sese conjungunt. Consultare inde principes duorum populorum, Veios an Fidenas sedem belli caperent. Fidenæ visæ opportuniores. Itaque, trajecto Tiberi, Veientes Fidenas transtulerunt bellum. Romæ terror ingens erat. Accito exercitu ab Veiis, eoque ipso ab re male gesta perculso,[i] castra locantur ante portam Collinam, et in muris armati dispo-

f Cum tamen Veientes non potuissent flectere ullam civitatem Etruriæ, quæ publico consilio cum illis fœdus vellet.

17 *Ne posset* ed. pr. probantibus J. F. Gronov. Doering.—18 Legit Sigon. *ut nihil censoria animadversio effecerit.* Tan. Faber. et J. F. Gronov. *offecit,* quod probant Doering. et Rupert.—19 Reponendum monet Sigon. ex vet. lib. *adsciverant.* Conj. Rupert. *adciverunt.*—20 'Vett. libb. plerique habent *et qui tanquam.* Suspicor igitur legendum, *itaque tanquam,* ut ex *et* et *qui* fiat *itaque.*' Sigon.—1 Vid. Not. Var.

NOTÆ

h *Mam. Æmilium*] Nunc decimo ad dictatorem res devoluta: eaque dignitas tertium delata huic Æmilio.

i *Nihil censoria animadversio effecit, quo minus*] Frustra Sigon. contra optimorum librorum et veterum editionum fidem, *ut nihil censori aanimadversio effecerit:* pendet enim hoc membrum a superiori, quo causa indicatur cur non obstiterit censorum nota quominus Æmilius dictator diceretur: quia scilicet ejus virtute opus erat hoc tempore ad res restituendas. Igitur *simul atque,* id est, *statim atque fortuna civitatis vera virtute eguit, nihil censoria animadversio offecit.* Ita enim melius auctore Tan. Fabro, quam ut vulgo legitur *effecit;* quod Gronovius exemplis comprobat.

siti, et justitium in foro, tabernæque clausæ: fiuntque omnia castris, quam urbi, similiora.

32. Tum trepidam civitatem, præconibus per vicos dimissis, dictator ad concionem advocatam increpuit, 'quod animos ex tam levibus fortunæ momentis suspensos gererent, ut, parva jactura accepta, quæ ipsa non virtute hostium, nec ignavia Romani exercitus, sed discordia imperatorum, accepta sit, Veientem hostem sexies [2] victum,[k] pertimescant, Fidenasque prope sæpius captas quam oppugnatas.[1] Eosdem et Romanos et hostes esse, qui per tot sæcula fuerint: eosdem animos, easdem corporis vires, eadem arma gerere. Se quoque eundem dictatorem Mam. Æmilium esse, qui ante [3] Veientium Fidenatiumque, adjunctis Faliscis, ad Nomentum exercitus fuderit: et magistrum equitum A. Cornelium eundem in acie fore, qui priore bello tribunus militum,† Larte Tolumnio rege Veientium in conspectu duorum exercituum occiso, spolia opima Jovis Feretrii templo intulerit. Proin memores,[4] secum triumphos, secum spolia, secum victoriam esse, cum hosti-

2 '*Toties* pro *sexies* multi Mss. et sane sæpius, quam sexies, victi Veientes: *septies* edd. antt. ante Ald. *sexcenties* conj. Klock. proverbiali locutione, ut 'millies' v. 4.' *Rupert.*—3 *Antea* Gronov. Doujat. Crevier.—4 Vulg. *Pro-*

NOTÆ

[k] *Veientem hostem sexies victum*] Quærit Sigonius num legendum potius *toties victum*, ut in plerisque antiquis libris: præsertim cum sæpius quam sexies victi Veientes fuerint. Quadrat tamen cum hoc numero quod mox sequitur, 'septimam infelicem defectionem:' et quod App. lib. v. ait Veientes septies rebellasse, uti Glareanus notat; apud quem tamen legebatur *septies victum:* additque idem ex Livio ostendi posse novies cum Veientibus hactenus dimicatum: sed pugnas post amissum Cremeræ præsidium pro una victoria computare Auctor videtur. Ego duodecies ferme cum eis bellatum reperio, a Romulo ad hæc tempora: plus quam sexies victos non video.

[1] *Fidenasque prope sæpius captas quam oppugnatas*] A Romulo captæ fuerant irruptione Rom. exercitus qui fugientes Fidenates insequebatur, lib. I. c. 14. Quia tamen T. Æbutio, C. Vetusio coss. obsessæ fuerant, non captæ, lib. II. c. 19. idcirco adjecit *prope sæpius.*

† *Tribunus militum*] Mirum est a Livio ita loquentem induci Mamercum Æmilium, cum antea c. 20. dubium, aut etiam falsum esse ostendat, ab A. Cornelio Cosso tribuno mil. spolia opima esse relata. *J. Clericus.*

bus scelus legatorum contra jus gentium interfectorum, cædem in pace Fidenatium colonorum, inducias ruptas, septimam infelicem defectionem, arma caperent. Simul[5] castra castris conjunxissent, satis confidere, nec sceleratissimis hostibus diuturnum ex ignominia exercitus Romani gaudium fore; et populum Romanum intellecturum, quanto melius de re publica meriti sint, qui se dictatorem tertium dixerint; quam eos, qui,[m] ob ereptum censuræ[6] regnum, labem secundæ dictaturæ suæ imposuerint.' Votis deinde nuncupatis profectus, mille et quingentos passus citra Fidenas castra locat: dextra montibus, læva Tiberi amne septus. T. Quintium Pennum legatum[n] occupare montes jubet, occultumque id jugum capere, quod ab tergo hostibus foret.[g] Ipse postero die, cum Etrusci pleni animorum ab pristini[7] diei meliore occasione, quam pugna,[h] in aciem processissent, cunctatus parumper, dum speculatores referrent, Quintium evasisse in jugum propinquum arci Fidenarum, signa profert:[o] peditumque aciem instructam pleno gradu[p] in hostem inducit: magistro equi-

[g] *Et occulte occupare verticem illum montis, qui erat hostibus a tergo.*

[h] *Non tam ob pugnam qua ante aliquot dies præclare pugnassent, quam ob præclaram occasionem rei gerendæ quam habuerant.*

inde memores.—5 Vulg. *defectionem. Arma caperent: simul.*—6 'Voc. *eos* delendum, vel leg. *censores*, quod jam alii monuere.' *Rupert.* Vid. Not. Var.—

NOTÆ

[m] *Quam eos, qui*] Deleri istud *eos* merito jubet Tan. Faber: sin minus, solœcismus fuerit, *melius* meriti sint, *quam eos.* Legendum itaque *quam qui ob ereptum censuræ regnum.*

[n] *T. Quintium Pennum legatum*] Eundem qui eo anno inter tribunos militum consulari potestate primum obtinebat locum, jam sæpius consul. Is igitur ex tribuno mill. ex consule nuper, nunc legatus sub dictatore.

[o] *Signa profert*] Et *signa* militaria et *proferendi* verbum varie sumuntur. Hic ita videntur accipienda, ut dictator Æmilius, aliquamdiu cunctatus, jusserit deinde pedites cum aquilis et manipulis in hostes progredi.

[p] *Pleno gradu*] Id est, nec cursu effuso, nec lento passu, sed militari gradu, et paulo grandiore. Hoc sensu Panegyricus, 'gradu pleno ferentes agmina quadratæ legiones.' Nam ut est apud A. Gell. lib. I. cap. 11. 'tum et gradu clementi et silentio est opus, cum ad hostem itur, in conspectu longinquo procul distantem: cum vero prope ad manus ventum est, tum jam e propinquo hostis et impetu propulsandus est, et clamore terrendus.'

tum præcipit, ne injussu pugnam incipiat: se, cum opus sit, equestri auxilio[8] [q] signum daturum. Tum ut memor regiæ pugnæ, memor opimi doni, Romulique ac Jovis Feretrii, rem gereret. Legiones impetu ingenti confligunt. Romanus odio accensus, impium Fidenatem, prædonem Veientem, ruptores induciarum, cruentos legatorum infanda cæde, respersos sanguine colonorum suorum, perfidos socios, imbelles hostes compellans, factis simul dictisque odium explet.

33. Concusserat primo statim congressu hostem; cum repente, patefactis Fidenarum portis, nova erumpit acies, inaudita ante id tempus invisitataque:[9] ignibus armata ingens multitudo,[r] facibusque ardentibus tota collucens, velut fanatico instincta cursu, in hostem ruit: formaque insolitæ pugnæ Romanos parumper exterruit. Tum dictator, magistro equitum equitibusque, tum ex montibus Quintio accito, prælium ciens, ipse in sinistrum cornu, quod, incendio similius[10] quam prælio,[s] territum cesserat flammis, accurrit: claraque voce, 'Fumone victi,' inquit, 'velut examen apum loco vestro exacti, inermi cedetis hosti? Non ferro extinguetis ignes? non faces has ipsas pro se quisque, si igni, non telis, pugnandum est, ereptas ultro inferetis? Agite, nominis Romani ac virtutis patrum vestræque memores, vertite incendium hoc in hostium urbem; et suis

7 Vulg. *ac pristini.*—8 Legendum notat Tan. Faber *equestri vexillo.*
9 *Inusitataque* Edd. ante Drak.—10 In Ms. Veith. est *similis* pro *similius.*

NOTÆ

q *Equestri auxilio*] Legendum Tanaq. Faber affirmat *equestri vexillo*, quod vexilla, tunc et citeriori tempore, equitum essent. Huic ego sententiæ accedere non possum: nec quæ tunc fuerint equitum signa, hic anxie quæro. Sed ex contextu mihi colligere videor eam Æmilii dictatoris mentem, ut primo loco concurrerent legiones; quæ si equitum auxilio egerent, magister equitum eis cum equitatu adesset: tempus equestris auxilii peditibus mittendi sibi reservaret, signoque dato, (quodcumque tandem signum esset de quo inter eos convenisset,) id magistro equitum significaret.

r *Ignibus armata ingens multitudo*] Imitatio Gedeonis: nisi quod hic, trecentis contentus militibus, divina potius ope, quam arte humana nixus.

flammis delete Fidenas, quas vestris beneficiis placare non potuistis. Legatorum hoc vos vestrorum colonorumque sanguis, vastatique fines monent.' Ad imperium dictatoris mota cuncta acies: faces partim emissæ excipiuntur, partim vi eripiuntur: utraque acies armatur igni. Magister equitum et ipse novat pugnam equestrem. Frænos ut detrahant equis,† imperat: et ipse princeps, calcaribus subditis evectus, effræno equo[11] in medios ignes infertur: et alii concitati equi libero cursu ferunt equitem in hostem. Pulvis elatus mixtusque fumo lucem ex oculis virorum equorumque aufert. Ea, quæ militem terruerat, species nihil terruit equos. Ruinæ igitur similem stragem eques, quacumque pervaserat,[12] dedit. Clamor deinde accidit novus. Qui cum utramque mirabundam in se aciem vertisset, dictator exclamat, 'Quintium legatum et suos ab tergo

Vid. inf. et Not. Var.—11 Vet. lib. apud Sigon. *effræni equo.*—12 Idem conj.

NOTÆ

[s] *Quod incendio similius quam prælio*] Sigonio videtur *similius* dictum pro *verisimilius.* Lipsius et Gruterus delent. Ms. Palatinus *melius.* Gronovius reponendum conjicit *incendio verius quam prælio.* Mihi, si conjecturæ locus, non minus arrideat *facilius territum,* quod paulo minus distat a *similius.* Alioqui *quod* ad sinistrum cornu, *similius* ad genus certaminis pertinet.

† *Frænos ut detrahant equis*] Mirum profecto strategema, idque pluribus de rationibus; nam 1. equus sine fræno in nullam certam partem ab equite dirigi potest, nec recta fertur in confertos hostes, qui vel fuste, aut clamore solo eum abigere possent. 2. Equitum turmæ sic plane dissipantur, ut agnoscit postea Livius. Itaque fractus fuisset, eo strategemate, impetus turmarum, equitibus hic illic palantibus, nec equos regere valentibus. 3. Circumagi non potuissent equi, nec reduci in aciem, si ex ea exissent, et equites in avia territi facile rapuissent. 4. Facillime ejusmodi equitatus a frænato disjectus fuisset, mirumque est equites hostium hoc non tentasse. Non minus mira sunt, quæ postea habet eloquentissimus scriptor, specie, qua territi fuerant milites, territos non fuisse equos, cum nullum fere animal facilius terreatur, et præsertim flamma. Nec magis placet equitem, quem liberi fræuis dispulissent equi, terrori fuisse fugientibus hostibus; neque enim ejusmodi eques facile sequi fugientes poterat. Scio Numidas habuisse equos effrænos; sed hic sermo est de equis fræno assuetis, nec Numidarum equitatus, sine frænis, frænato fuit æquiparandus. Expendant hæc lectores, videantque an non forte Livius securius æquo sit superiores secutus. *J. Clericus.*

hostem adortos:' ipse, redintegrato clamore, infert acrius signa. Cum duæ acies, duo diversa prælia, circumventos Etruscos et a fronte et ab tergo urgerent, neque in castra retro, neque in montes, unde se novus hostis objecerat, iter fugæ esset, et equitem passim liberi frænis distulissent equi,[13] [t] Veientium maxima pars Tiberim effusi petunt. Fidenatium qui supersunt, ad urbem Fidenas tendunt. Infert pavidos fuga in mediam cædem:[u] obtruncantur in ripis:[14] alios, in aquam compulsos, gurgites ferunt:[i] etiam peritos nandi lassitudo et vulnera et pavor degravant; pauci ex multis tranant. Alterum agmen fertur per castra in urbem. Eadem[15] et Romanos sequentes impetus rapit: Quintium maxime, et cum eo degressos modo de montibus, recentissimum ad laborem militem, quia ultimo prælio advenerat.

34. Hi, postquam mixti hostibus portam intravere, in muros evadunt; suisque capti oppidi signum ex muro tollunt. Quod ubi dictator conspexit, (jam enim et ipse in deserta hostium castra penetraverat,) cupientem militem discurrere ad prædam, spe injecta majoris in urbe prædæ, ad portam ducit; receptusque intra muros, in arcem, quo ruere fugientium turbam videbat, pergit. Nec minor cædes in urbe, quam in prælio, fuit;[16] donec, abjectis armis, nihil

[i] *Alii in flumen adacti absorbentur vorticibus.*

pervasit.—13 '*Distulissent* dedi ex conjectura certissima Gronovii, probata etiam a Drakenborchio. Vulgo in Edd. omnibus est *dispulissent:* in Ms. Veith. autem *et equitum passim liberis frænis dispulissent equi.*' Stroth.—14 Quidam vett. libb. *Residui pavidi f. in medium cædem obtruncantur in ripis.*—15 *Eodem* Edd. ante Drak. et Ms. Veith.

NOTÆ

[t] *Liberi frænis distulissent* [*dispulissent*] *equi*] Gronovius scribi vellet *distulissent*, quod et Latinum est, et huic loco convenire potest, ut huc illuc dispersi fuerint hostes ab equitatu Romano: nec tamen male convenit *dispulissent*, id est, loco pulsos in fugam dedissent.

[u] *Infert pavidos fuga in mediam cædem*] Hæc de Fidenatibus accipio, qui post primum conflictum superstites urbem suam petebant: quia enim secundum Tiberim Fidenæ, et spatium inter ipsorum castra Tiberim et Fidenas a Quintianis occupatum erat, ubi fugacium cædes fiebat, illac quoque fugientes plerique circa Tiberis ripas cæsi, alii summersi.

præter vitam petentes, dictatori deduntur. Urbs castraque diripiuntur. Postero die singulis captivis ab equite ad centurionem sorte ductis, et, quorum eximia virtus fuerat, binis, aliis sub corona venumdatis, exercitum victorem opulentumque præda triumphans dictator Romam reduxit: jussoque magistro equitum abdicare se magistratu, ipse deinde abdicat die sextodecimo,[x] reddito in pace imperio, quod in bello trepidisque rebus acceperat. Classi [17] quoque ad Fidenas pugnatum [y] cum Veientibus, quidam annales [18] retulere: rem æque difficilem atque incredibilem; nec nunc lato satis ad hoc amne; [z] et tum aliquanto, ut a veteribus accepimus, arctiore; nisi in trajectu forte fluminis prohibendo, aliquarum navium concursum in majus (ut fit) celebrantes, navalis victoriæ vanum titulum appetivere.

16 Voces *quam in prælio fuit* in plerisque codd. non extant.—17 'Plerique edidere *Classibus*, et fuere, qui 'classes' in quibusdam annalibus, a Livio male intellectis, copias, impr. equestres, dictas putarent.' *Rupert.* Vid. Not. Var.—18 Vulg. *quidam in annales.*

NOTÆ

[x] *Abdicat die sextodecimo*] Repetito L. Quintii Cincinnati exemplo, l. III. c. 29.

[y] *Classi* [*classibus*] *quoque ad Fidenas pugnatum*] Si de classe navali accipias, obstat ratio hic statim adducta. Tanaquil. Faber *classes* alia significatione dictas ab annalium scriptoribus putat. *Classes* enim in numero plurativo pro equestribus copiis usurpabant. Quanquam quæ ex Virgilio profert II. Æneid. 'Classibus hic locus,' et 'scio me Danais e classibus unum,' forte ad naves Græcorum trahi possent. Non tamen ejus in hac re sententiam in dubium revoco, qui sciam 'procinctas classes' pro instructa acie, sive exercitu armato, dici apud Gell. lib. I. c. 11. et lib. X. c. 25. et auctore Festo *classem* prius dictam hominum, quam navium, multitudinem. Nec fieri posse nego ut in priscis historiæ auctoribus interpretandis hallucinatus aliquando Livius fuerit.

Classibus ad Fidenas pugnatum] Extat elegantissima Tan. Fabri epistola, quæ est 47. lib. I. ubi ostendit Livium in antiquioribus, quibus utebatur, scriptoribus, non intellexisse vocem *classes;* quæ apud priscos Romanos tam terrestrem, quam navalem exercitum, significabat. Qua de re vide etiam quæ collegit Joan. Ger. Vossius, in Etymologico. *J. Clericus.*

[z] *Nec nunc lato satis ad hoc amne*] Tiberis ne posterioribus quidem temporibus, Augusto scilicet imperante, ad veram navalem pugnam satis lato erat alveo. Olim autem angustior adhuc fluebat.

35. Insequens annus tribunos militares consulari potestate habuit, A. Sempronium Atratinum, L. Quintium Cincinnatum, L. Furium Medullinum, L. Horatium Barbatum.* Veientibus annorum viginti induciæ datæ, et Æquis triennii, cum plurium annorum petissent. Et ab seditionibus urbanis otium fuit. Annum insequentem, neque bello foris, neque domi seditione insignem, ludi bello voti [a] celebrem, et tribunorum militum apparatu, et finitimorum concursu, fecere. Tribuni consulari potestate erant Ap. Claudius Crassus, Sp. Nautius Rutilus, L. Sergius Fidenas, Sex. Julius Julus.† Spectaculum comitate etiam hospitum, ad quod publico consensu venerant,[b] advenis gratius fuit.[19] Post ludos conciones seditiosæ tribunorum plebi fuerunt,

19 ' Corruptus est hic locus, de quo ut lector melius judicare possit, ascribenda erit lectionis varietas una cum conjecturis a viris doctis propositis. In plurimis codd. habetur *hospitium* pro *hospitum;* in quinque codd. est *ad quam* pro *ad quod*, in uno *at quam*, in duobus *quam* sine *ad*, in uno *ad quam vel quod*, in uno *et quod*, in quatuor vel quinque *ad quod*, in uno *Spectaculi comitate hospitium etiam, quod publico consensu venerat, advenis gratius fuit;* in uno, *ad quam consenserant consilio, consensu publico venerant, advenis gratius afuit.* Etiam in quatuor aliis est *affuit.* Rhenanus legendum putabat, *Spectaculum comitate etiam hospitii, in quam consilio publico consenserant, adv. gr. f.* Gronovius et cum eo Drakenborchius, *Spectaculum comitate etiam hospitii, in quam publice consenserant, adv. gr. f.* Legi etiam posset, reliquis intactis, *ad quos.* Sed magis placet levi transpositione legere: *Comitate etiam hospitum, spectaculum, ad quod, &c.* vel: *Spectaculum, ad quod publico consensu venerant, comitate etiam*

NOTÆ

* A. U. C. 329.

[a] *Ludi bello voti*] Vota enim dictator Æmilius Roma discedens nuncupaverat supra c. 32. Qui autem ludi fuerint non explicat. Opinor decursiones equestres exemplo Romuli.

† A. U. C. 330.

[b] *Comitate etiam hospitum, ad quod publico consensu venerant* [*convenerant*] Rhenan. ex veteri exemplari lituris notato, ubi legebatur *hospitium*, aliaque manu superscriptum erat *hospitum*, sciens quo pacto hospitii nomine Livius utatur, hanc expressit lectionem, *Spectaculum comitate etiam hospitii, in quam publico consilio consenserant, advenis gratius fuit:* intelligitque humanitatem finitimis, spectandi causa advenientibus, jussu magistratuum exhibitam. Gronovius incivile ducit intrudi vocem *consilio:* legitque *in quam publice consenserant.* Sed non minus incivile videtur deleri nomen *consensu*, quam ejus loco substitui *consilio.* Nec diffiteor sine publica auctoritate, consensu populi, factum aliquid in ejusmodi rebus fuisse. Sed non inde sequitur nihil unquam in eo genere fieri publico consilio posse. Vulgata scriptura, etsi sensu tolerabili non caret, si illud, *ad quod publico consensu venerant*, (vel *convencrant*) *advenis* attribuatur, duriorem certe habet constructionem.

objurgantium multitudinem, ‘ quod, admiratione eorum, quos odisset, stupens, in æterno se ipsa teneret servitio: et non modo ad spem consulatus in partem revocandam[c] aspirare non auderet,[k] sed ne in tribunis quidem militum creandis (quæ communia essent comitia Patrum ac plebis) aut sui aut suorum meminisset. Desineret ergo mirari, cur nemo de commodis plebis ageret: eo impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atque honos speretur. Nihil non aggressuros homines, si magna conatis magna præmia proponantur.[d] Ut quidem aliquis tribunus plebis ruat cæcus in certamina periculo ingenti, fructu nullo; ex quibus pro certo habeat, Patres, adversus quos tenderet, bello inexpiabili se persecuturos; apud plebem, pro qua dimicaverit, nihilo se honoratiorem fore, neque sperandum, neque postulandum esse. Magnos animos magnis honoribus fieri. Neminem se plebeium contemturum,[e] ubi contemni desissent.[20] Experiendam rem denique in uno aut

[k] *Non modo non auderet cogitare de parte aliqua in spe consulatus ad se trahenda, &c.*

hospitum adv. gr. f.' Stroth. Vid. Not. Var.—20 Legit Tan. Faber *neminem plebeium contemtum iri, ubi se contemnere desissent.* ‘ Forte *desisset*, nisi *nemo*, ut *quisque*, collect. dici malis.' *Rupert.*

NOTÆ

[c] *Ad spem consulatus in partem revocandam*] Dicit *in partem* pro ex parte, id est, ad resumendam spem participandi consulatus. Forte etiam *in partes*, id est, ad partes atque ordinem plebeium.

[d] *Magna conatis magna præmia proponantur*] Nam, ut est in veteri adagio, ‘ honos alit artes.'

[e] *Neminem se plebeium contemturum*] Hoc ridicule dictum opinatur Tanaq. Faber: legit itaque *neminem plebeium contemtum iri.* Hic quidem sensus planus omnino. Vereor tamen ut vir eruditus Auctoris mentem assecutus fuerit. Mihi certe videtur elegantior futura sententia, si dicant tribuni plebis fore ut plebeiorum nemo se ipse contemnat, et contemtim in rebus agendis se gerat; ubi viderit plebeios in universum contemni desiisse, eisque licere ad summa aspirare. Sic fore ut se quisque magni faciat, quo ab aliis magni fiat. Itaque seipsum contemnit qui animum suum virtutibus ornare, seque honoribus dignum præstare negligit: quod illis facile contingit, qui ad fortunam statumque suum præsentem quicquam adjicere posse desperant.

Neminem se plebeium contemturum] Hoc est, neminem plebeium tam abjecte de se ipso sensurum, ut non auderet summos honores petere, si modo se contemtum non iri a plebe sciret. *J. Clericus.*

altero esse, sitne aliquis plebeius ferendo magno honori; an portento simile miraculoque sit, fortem ac strenuum virum aliquem existere ortum ex plebe. Summa vi expugnatum esse, ut tribuni militum consulari potestate et ex plebe crearentur. Petisse viros domi militiæque spectatos: primis annis sugillatos, repulsos, risui Patribus fuisse: desisse postremo præbere ad contumeliam os. Nec se videre, cur non lex quoque abrogetur, qua id liceat, quod nunquam futurum sit. Minorem quippe ruborem fore in juris iniquitate, quam si per indignitatem ipsorum prætereantur.'

36. Hujus generis orationes, cum assensu auditæ, incitavere quosdam ad petendum tribunatum militum, alium alia de commodis plebis laturum se in magistratu profitentem. Agri publici dividendi coloniarumque deducendarum ostentatæ spes; et vectigali possessoribus agrorum imposito,[f] in stipendium militum erogandi æris. Captatum deinde tempus[g] ab tribunis militum, quo per discessum hominum ab urbe, cum Patres clandestina denuntiatione revocati ad diem certam essent, senatus consultum fieret, absentibus tribunis plebi:[1] ut, quoniam Volscos in Hernicorum agros prædatum exisse fama esset, ad rem inspiciendam tribuni militum proficiscerentur, consulariaque comitia haberentur. Profecti Ap. Claudium, filium decem-

1 *Tribunis plebis* hic et inf. Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[f] *Et vectigali possessoribus agrorum imposito*] Non tantum mercibus importandis exportandisve imponuntur vectigalia, sed et agris publicis quæ privatis certa mercede annua elocantur in longum tempus. Quæ pecunia hinc proveniret, eam in stipendium militum erogandam promittebant tribuni plebis, summæ potestati per hæc blandimenta inhiantes: cum alii publicum agrum se plebi divisuros ostentarent, alii colonias deducturos in quibus agri civibus Romanis eo deductis assignarentur.

[g] *Captatum deinde tempus*] Tribuni militum, omnes adhuc patricii, cum patriciis faverent, feriarum autumnalium captato tempore, quo tribuni plebis rure agebant, effecere ut sine ulla ipsorum intercessione clandestinum Senatusconsultum de consulibus creandis fieret, quos tunc non nisi ex patriciis legere licebat.

viri, præfectum Urbis relinquunt, impigrum juvenem, et jam inde ab incunabulis imbutum odio tribunorum plebisque. Tribunis plebi nec cum absentibus iis, qui senatus consultum fecerant, nec cum Appio,[h] transacta re, quod contenderent, fuit.[l]

37. Creati consules sunt[2] C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus.* Peregrina res, sed memoria digna, traditur eo anno facta: Vulturnum, Etruscorum urbem,[i] quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam; Capuamque ab duce eorum Capye, vel (quod propius vero est) a campestri agro appellatam. Cepere autem, prius bello fatigatis Etruscis, in societatem urbis agrorumque accepti: deinde festo die graves somno[3] epulisque incolas veteres

[l] *Non habuere tribuni plebis cum quo certare possent: non cum tribunis militum auctoribus Senatusconsulti, quia Volscos versus profecti aberant; non cum Appio Claudio præfecto Urbis, quia jam Senatusconsultum factum fuerat.*

2 *Sunt* del. Edd. ante Drak. et Ms. Veith.—3 Vulg. *gravatos somno.*—

NOTÆ

[h] *Nec cum Appio*] Videtur hic Claudius decemviri filius non idem fuisse cum Appio tribuno militum consulari potestate: si enim ex proximorum tribunorum numero esset, ipse quoque una cum reliquis auctor Senatusconsulti fuisset: quo posito si expostulandi adversus eum locus non erat, propterea quod jam transacta res esset, nec futurus fuisset locus expostulandi adversus collegas, quamvis adessent. Quod si cum in tribunis militum ejus anni cum Sigonio numerare velimus, divinandum erit absentem forte ex causa nescio qua Senatusconsulto non intervenisse.

* A. U. C. 331.

[i] *Vulturnum, Etruscorum urbem*] Capuam octo fere et quadraginta annis ante Romam conditam colligit Velleius. Condidere Tusci, et, si Servio fides, Aliternum dixere: unde Latini Vulturnum fecere, quo nomine dicitur adhuc fluvius eum tractum alluens. Serv. idem ad x. Æn. Capuæ appellationem deducit a viso Falconis augurio, qui Tusca lingua *Capys* dicitur. Noster a Capye Samnitum duce, qui hoc anno eam urbem ceperunt, vel a campestri agro seu planicie. Nam et a Capua Campani vocantur, non Capuani; quod nominis priscis incognitum. Samnites itaque, novi coloni, Etruscos veteres dominos perfide obtruncarunt postquam illi annos prope 379. urbem possederant. Capua porro quondam inter tres maximas habita Romæ tantum et Carthagini cedebat, utriusque æmula, post eversa, dein restituta. Nunc vix ejus ruinæ extant juxta vicum populosum qui *Sante Maria di Capoa*. Nova Capua altero ab illa milliari condita circa veteris Casilini ruinas, quantum abest ab veteris elegantia, dignitate, amplitudine! In ea Capys conditoris sepulcrum fuit,

novi coloni nocturna cæde adorti. His rebus actis,[4] [k] consules ii, quos diximus, Idibus Decembribus [1] magistratum occepere. Jam non solum, qui ad id missi erant, retulerant, imminere Volscum bellum; sed legati quoque ab Latinis et Hernicis nuntiabant, 'Non ante unquam Volscos nec ducibus legendis, nec exercitui scribendo, intentiores fuisse. Vulgo fremere, aut in perpetuum arma bellumque oblivioni danda, jugumque accipiendum; aut iis, cum quibus de imperio certetur, nec virtute, nec patientia, nec disciplina rei militaris cedendum esse.' Haud vana attulere: sed nec perinde Patres moti sunt; et C. Sempronius, cui ea provincia sorti [5] evenit, tanquam constantissimæ rei, fortunæ fretus,[6] [m] quod victoris populi adversus victos dux esset,[7] [n] omnia temere ac negligenter egit. Adeo

4 *His rebus actis.* Hæc verba delenda putabat J. F. Gronov.—5 *Forte* aut *sorte* Edd. ante Drak.—6 '*Tanquam constantissimæ rei, fortunæ fretus* cum Strothio, qui hoc ad Livii Patavinitatem referebat, restitui ex Mss. et edd. antt. (in plerisque tamen est *fortuna*) pro vulgata lectione, *constantissima re, fortuna*, quam Drak. non nisi in Ms. Portug. reperit.' *Rupert.* In Ms. Veith. est: *cui certe ea provincia evenit, constructissimæ rei fortuna fretus cum victores exercitum populi adversus victos duxisset: omnia.* Vid. Not. Var.—7 *Duxisset*

NOTÆ

in quo a Colonis per Cæsarem dictatorem deductis tabula reperta mortem ipsi Cæsari denuntians, apud Suet. vulgo nobis *Capouë* in Terra Laboris, quæ præcipua regni Neapolitani provincia.

[k] *His rebus actis*] Hæc tria verba, quoquo referre placuerit, sive ad Capuam inter designatorum et magistratum ineuntium consulum intervallum per Samnites interceptam, sive ad res superiori consulatu gestas: frigida esse Gronovio assentior, et nullo dispendio deleri posse.

[1] *Idibus Decembribus*] Idcirco has Idus indicat, quia non tum solennis hic ineundo consulatui dies.

[m] *Tanquam constantissimæ rei, fortunæ* [*constantissima re, fortuna*] *fretus*] Ita Mss. omnes et vett. editiones. Rhen. mutavit, *constantissimæ rei fortunæ.* Improbat Gronovius, cui persuasum non est Veteres cum dandi casu junxisse verbum *fretus;* exempla tamen ex Nostro profert Rhenanus.

[n] *Quod victoris populi adversus victos dux esset*] Nempe fere semper victoris, adversus eos qui victi ab ipso sæpius fuerant. Ceterum lubens accedo Gronovio, non modo ex Rhenani conjectura, sed etiam ex Ms. Helmstad. fide, legentis *dux esset:* nec placet *quod victoris populi exercitum adversus victos duxisset;* quod et plures codices ignorant τὸ *exercitum:* et, si verbo ducendi utendum videretur, aptius futurum hic erat *duceret*, quam *duxisset.*

ut disciplinæ Romanæ plus in Volsco[o] exercitu, quam in Romano, esset. Ergo fortuna, ut sæpe alias, virtutem est secuta. Primo prælio,[p] quod ab Sempronio incaute inconsulteque commissum est, non subsidiis firmata acie, non equite apte locato,[q] concursum est. Clamor indicium primum fuit,[r] quo res inclinatura esset. Excitatior crebriorque ab hoste sublatus; ab Romanis dissonus, impar, segnius[8] sæpe iteratus, incerto clamore[s] prodidit pavorem animorum.[9]

Gronov. Crevier.—8 *Segnis* Edd. ante Drak.—9 'Et hoc *clamor clamore prodidit* corruptum est. Sigonius volebat *incerto tenore*, Lipsius *clangore:* Klockius *sonore* vel *canore:* Gebhardus *pavore*, inepte: Jac. Gronov. *incerto etiam ore*, quod maxime placet: Gruterus plane ejicere malebat illud *incerto clamore:* Glareanus legendum putabat: *iteratus. Quo majorem incerto clamore Romanus prodidit pavorem animorum, eo ferocior, &c.*' Stroth. 'J. F. Gronovius tentabat, *incerto languore;* sed ex meo sensu quævis allatarum lectionum friget. Nisi igitur voces, *incerto clamore*, tanquam supervacuas et temere in textum importatas, ut videbatur Grutero, ejeceris, legendum omnino videtur, quod edidit Campanus: *Clamor...dissonus, impar, segnius sæpe iteratus, incertus prodidit pavorem animorum.*' Doering. '*Incerto clamore* verba importuna et forte delenda; saltem leg. *incertus clamor:* sed præstat simpl. *incertus.*' Rupert.

NOTÆ

[o] *Disciplinæ Romanæ plus in Volsco*] Latini, Volsci, vicinique alii populi, bellando cum Romanis, militari eorum disciplinæ assueverant: ut omnia apud utrosque similia essent. Vid. Nostrum lib. VIII. c. 8.

[p] *Primo prælio*] Non aliud memorat commissum ab his consulibus prælium. Ergo primum quod nihil ejusdem generis præcedit, licet nihil etiam sequatur.

[q] *Non equite apte locato*] Ad latera plerumque locari solet equitatus, indeque alarum nomen. Homerici heroës in fronte collocabant. Crassus equitum turmam ad quamque cohortem apposuit, apud Plut.

[r] *Clamor indicium primum fuit*] Clamoris ejus militaris sive ululatus, aut barritus non solum apud Barbaros, sed apud Græcos quoque et Romanos usitati. Eum Græci ἀλάλαγμον appellant, forte per onomatopœiam, quod *al al* inclamare soliti essent. Barritus vocabulum a Germanis fluxisse Lipsius ex Tacito scribit, sive a verbo *baëren*, quod apud eos sublate et ferociter clamare significat; sive a nomine *bern*, quod ursum denotat; sive denique a priore syllaba repetita, ut *bar bar* vociferentur: quemadmodum hodie Turcis iratis *bré bré* solenne est. Verum hanc postremam vocis originem Tacitus ipse refellere videtur: carmina enim a Germanis cani consueta docet: atque 'eorum relatu quem baritum,' inquit, 'vocant,' non solum 'accendunt animos,' sed etiam (quod ad Livium facit) 'futuræ pugnæ fortunam ipso cantu augurantur.'

[s] *Ab Romanis dissonus, impar, ... incerto clamore*] Paulo ante *clamor* sublatus hic repeti debet; unde erit *clamor incerto clamore*, quod nemini probari potest. Viri docti varie corrigunt. Sigonius et post eum Tanaq. Faber, *incerto tenore.* Lips. *incerto*

Eo ferocior illatus hostis, urgere scutis, micare gladiis:[m] altera ex parte nutant circumspectantibus galeæ,[t] et incerti trepidant, applicantque se turbæ. Signa nunc resistentia deseruntur ab antesignanis, nunc inter suos manipulos recipiuntur. Nondum fuga certa, nondum victoria erat. Tegi magis Romanus, quam pugnare. Volscus inferre signa, urgere aciem, plus cædis hostium videre, quam fugæ.

38. Jam omnibus locis ceditur. Nequicquam Sempronio consule objurgante atque hortante, nihil nec imperium, nec majestas valebat: dataque mox terga hostibus forent, ni Sex. Tempanius, decurio equitum, labente[10] jam re, præsenti animo subvenisset. Qui cum magna voce exclamasset,[u] 'ut equites, qui salvam rem publicam vellent, ex equis desilirent;'† omnium turmarum equitibus, velut ad consulis imperium motis, 'Nisi hæc,' inquit, 'armata cohors[11] [x] sistat impetum hostium, actum de imperio est. Se-

[m] *Micantes vibrabant gladios.*

10 *Labante* legi jubet J. F. Gronov.—11 Idem cum Schelio scribendum putabat *parmata cohors.*

NOTÆ

clangore, quod minus a clamore abscedit. Gronov. *incerto languore.* Rhen. ita legit, itaque distinguit: *ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus. Quo majorem incerto clamore Romanus prodidit pavorem animorum; eo ferocior illatus hostis.*

[t] *Nutant circumspectantibus galeæ*] Ex parte Romanorum, respectantibus huc illuc, ut in pavore, militibus, conspiciebantur nutantes, vacillantibus capitibus, galeæ; ipsi dubii quid agerent, fugere deberent, an certare; interim trepidabant: et qui ad pugnandum processerant, retrocedebant ad turbam suorum. Illata in hostes signa, partim, signiferis loco manentibus, deserebantur ab antesignanis, qui ea tueri debuerant; partim, retrocedentibus signiferis, referebantur ad suos manipulos.

[u] *Magna voce exclamasset*] Hoc quidem imperatorium officium, in decurione, si militarem disciplinam spectes, capitale. Atenim salus populi suprema lex audaciam caritate patriæ expressam vertit in laudem.

† *Ex equis desilirent*] Quid interea agebant equites Volsci? Nulline erant? Vix credibile est. Si erant, cur non impetum faciebant in hosce equites pedites factos? Vix etiam capio, qui equites levius armati cum gravi armatura potuerint confligere, quam ne legiones quidem loco movere potuerant. *J. Clericus.*

[x] *Nisi hæc, inquit, armata* [*parmata*] *cohors*] Vulgo *armata.* Gron. ex mente Schelii emendat *parmata*, qua re distinguuntur equitum turmæ a cohorti-

quimini pro vexillo cuspidem meam. Ostendite Romanis Volscisque, neque equitibus vobis ullos equites, nec peditibus esse pedites pares.' Cum clamore comprobata adhortatio esset, vadit alte cuspidem gerens. Quacumque incedunt, vi viam faciunt: eo se inferunt objectis parmis, ubi suorum plurimum laborem vident. Restituitur omnibus locis pugna, in quæ eos impetus tulit: nec dubium erat, quin, si tam pauci simul obire omnia possent, terga daturi hostes fuerint.

39. Et cum jam parte nulla sustinerentur, dat signum Volscus[12] imperator, ut parmatis, novæ cohorti hostium,[y] locus detur, donec impetu illati[13] ab suis excludantur.[n] Quod ubi est factum, interclusi equites: nec perrumpere eadem, qua transierant, posse; ibi maxime confertis hostibus, qua viam fecerant:[o] et consul legionesque Romanæ, cum, quod tegumen modo[14] omnis exercitus fuerat, nusquam viderent,[p] ne tot fortissimos viros interclusos opprimeret hostis, tendunt in quemcumque casum.[q] Diversi Volsci[r] hinc consulem ac legiones sustinere, altera fronte instare Tempanio atque equitibus. Qui cum sæpe conati nequissent perrumpere ad suos, tumulo quodam occupato, in orbem se tutabantur, nequaquam inulti. Nec pugnæ finis ante noctem fuit. Consul quoque, nusquam remisso certamine, dum quicquam superfuit lucis, hostem

[n] *Sejungantur a reliquo exercitu suorum, Romanorum scilicet.*

[o] *Cum ordines ea parte maxime densassent Volsci, qua viam sibi fecerant Romani illi equites.*

[p] *Cum non viderent strenuum equitum pedibus pugnantium globum, qui virtute sua totum exercitum paulo antea tuebatur, eique velut pro tegumento erat.*

[q] *In quodvis periculum ruunt.*

[r] *Volsci in duas contrarias partes versi.*

12 *Volscis* Grut. Gronov. Doujat.—13 Legere malit Dukerus *impetu elati.*

NOTÆ

bus peditum: hæ quippe scuto utebantur. Et ita, paulo post, iidem *parmati* dicuntur; alioqui omnes cohortes armatæ.

[y] *Ut parmatis, novæ cohorti hostium*] Equites intelligit parma, sive brevi ac rotundo clypeo, tectos; qui novo more pedites pugnabant instar cohortium.

tenuit: nox incertos diremit: tantusque ab imprudentia eventus utraque castra tenuit pavor, ut, relictis sauciis et magna parte impedimentorum, ambo pro victis exercitus se in montes proximos reciperent.[s] Tumulus tamen circumsessus ultra mediam noctem est. Quo[15] cum circumsedentibus[z] nuntiatum esset, castra deserta esse, victos rati suos, et ipsi, qua quemque in tenebris pavor tulit, fugerunt. Tempanius metu insidiarum suos ad lucem tenuit. Degressus[16] deinde ipse cum paucis speculatum, cum ab sauciis hostibus sciscitando comperisset, castra Volscorum deserta esse, lætus ab tumulo suos devocat, et in castra Romana penetrat. Ubi cum vasta desertaque omnia, atque eandem, quam apud hostes, fœditatem invenisset,[t] priusquam Volscos cognitus error reduceret,[a] quibus poterat sauciis ductis secum, ignarus quam regionem consul petisset, ad Urbem proximis itineribus pergit.

40. Jam eo fama pugnæ adversæ castrorumque desertorum perlata erat: et ante omnia deplorati erant equites, non privato magis quam publico luctu: Fabiusque consul, terrore Urbi quoque injecto, stationem ante portas agebat: cum equites, procul visi non sine terrore ab dubiis, quinam essent, mox cogniti, tantam ex metu lætitiam fecere, ut clamor Urbem pervaderet gratulantium, salvos victoresque redisse equites: et ex mœstis paulo ante domibus, quæ conclamaverant suos, procurreretur in vias; pavidæque

[s] *Propter ignoratum exitum pugnæ, &c. ambo exercitus in vicinos quisque montes se, velut victi, receperunt.*

[t] *Fœdam pariter solitudinem.*

—14 Vulg. *cum quo tegumen modo.*—15 ‘*Quo* del. Edd. a Francof. 1578. ad Crevier. In Ms. Veith. contra desideratur *est.*’ Stroth.—16 Vulg. *digressus.*

NOTÆ

[z] *Cum circumsedentibus*] Mss. omnes, et typis expressi ante Gryphium, *Quo cum circumsedentibus nuntiatum esset:* quod Gronovius probat.

[a] *Priusquam Volscos cognitus error reduceret*] Vult Tempanium, cum nesciret quo contendisset consul, abductis sauciis quos ducere secum potuit, Urbem proximis itineribus petiisse, antequam Volsci certiores facti de rerum statu, et cognito errore, qui causa fugæ ipsis fuerat, in locum pugnæ reverterentur.

matres ac conjuges, oblitæ præ gaudio decoris,[b] obviam agmini occurrerent, in suos quæque simul corpore atque animo, vix præ gaudio compotes,[17] effusæ.[u] Tribunis plebi,[18] qui M. Postumio et T. Quintio diem dixerant, quod ad Veios eorum opera male pugnatum esset, occasio visa est per recens odium Sempronii consulis renovandæ in eos invidiæ.[x] Itaque advocata concione, cum proditam Veiis rem publicam esse ab ducibus, proditum deinde, quia illis impune fuerit, in Volscis ab consule exercitum, traditos ad cædem fortissimos equites, deserta fœde castra, vociferati essent; C. Julius, unus ex tribunis, Tempanium equitem [19] vocari jussit: coramque eis, 'Sexte Tempani,' inquit, 'quæro de te,[y] arbitrerisne, C. Sempronium consulem aut in tempore pugnam inisse, aut firmasse subsidiis aciem, aut ullo boni consulis functum officio? et, tune ipse, victis legionibus Romanis, tuo consilio equitem ad pedes deduxeris restituerisque pugnam? excluso deinde ab acie nostra tibi atque equitibus num aut consul ipse subvenerit, aut miserit præsidium? postero denique die ecquid præsidii usquam habueris? an tu cohorsque in castra vestra virtute perruperitis? ecquem in castris consulem, ecquem exercitum inveneritis? an deserta castra, relictos saucios milites? Hæc pro virtute tua fideque, qua una hoc bello res publica stetit, dicenda tibi sunt hodie. Denique, ubi C. Sempronius, ubi legiones nostræ sint? desertus sis, an deserueris consulem exercitumque? victi denique simus, an vicerimus?'

41. Adversus hæc Tempanii oratio incomta fuisse dici-

[u] *Ruentes in amplexus, animoque gestientes, cum præ gaudio vix sui compotes essent.*

[x] *Instaurandæ in eos accusationis odiosæ.*

[y] *Peto abs te, ut dicas.*

17 Legit Rhenan. *compote.*—18 *Plebis* Crevier.—19 *Equitem* delendum censet Duk.

NOTÆ

[b] *Oblitæ præ gaudio decoris*] Non enim facile Romanis moribus matronæ ac virgines cum viris juvenibusque permistæ in publico visebantur.

tur; ceterum militariter gravis, non suis vana laudibus, non crimine alieno læta: ‘ Quanta prudentia rei bellicæ in C. Sempronio esset, non militis de imperatore existimationem[20 c] esse, sed populi Romani fuisse, cum eum comitiis consulem legeret.[1] Itaque ne ab se imperatoria consilia, neu consulares artes exquirerent, quæ pensitanda[d] quoque magnis animis atque ingeniis essent;[2] sed, quod viderit, referre posse. Vidisse autem se prius, quam ab acie intercluderetur, consulem in prima acie pugnantem, adhortantem, inter signa Romana telaque hostium versantem: postea se,[3] ab conspectu suorum ablatum, ex strepitu tamen et clamore sensisse, usque ad noctem extractum certamen: nec ad tumulum, quem ipse tenuerat,[4] præ multitudine hostium credere perrumpi potuisse.[e] Exercitus ubi esset, se nescire: arbitrari, velut ipse in re trepida loci præsidio se suosque sit tutatus, sic consulem servandi exercitus causa loca tutiora castris cepisse. Nec Volscorum meliores res esse credere, quam populi Romani. Fortunam[5 f] noctemque omnia erroris mutui implesse.’ Precantemque deinde, ne se fessum labore ac vulneribus tenerent, cum ingenti laude, non virtutis magis, quam moderationis, dimissum.[6]

20 *Æstimationem* Edd. ante Drak.—1 Conj. Rupert. *consulem legisset.*—2 Vult J. F. Gronov. *quæ pensitare quoque magni animi atque ingenii esset.*—3 *Se* del. Grut. Gronov. Doujat. Crevier.—4 Conj. Rupert. *quem ipse tenuerit.*—5 Majorem interpunctionem post *fortunam* habent edd. ante Doujat. Vid. inf. et Not. Var.—6 ‘ *Precantemque deinde . . . . dimissum.* In cod. Neapolit. Latinii et quibusdam priscis edd. post vocem *dimissum* additur: *accipio;* supplendum certe est ejusmodi verbum aliquod, *accipio, ferunt, tradunt,* cett. quo accusativi *precantem . . . dimissum* pendeant; nam si hæc verba

NOTÆ

[c] *Non militis de imperatore existimationem* [*æstimationem*] Quædam membranæ habent *existimationem:* et *existimatio* pro judicio a Nostro alibi, a Cicerone, Seneca, Suetonio; quod Gronov. exemplis haud necessariis confirmat.

[d] *Quæ pensitanda, &c.*] Gronov. vult, *quæ pensitare quoque magni animi atque ingenii esset:* sed eadem ex vulgata lectione sequitur sententia.

[e] *Perrumpi potuisse*] A reliquo exercitu Romano.

[f] *Nec Volscorum meliores res esse credere, quam populi Rom. fortunam, &c.*] Recte meo judicio correxit apud Gron. Schelius, interpunctione inserta ante *fortunam:* antea legebatur uno tenore, *quam populi Romani fortunam.*

Cum hæc agerentur, jam consul via Lavicana[g] ad fanum Quietis[h] erat. Eo missa plaustra jumentaque alia ab Urbe exercitum, affectum prælio[z] ac via nocturna, excepere. Paulo post in Urbem est ingressus consul, non ab se magis enixe amovens culpam, quam Tempanium meritis laudibus ferens. Mœstæ civitati ab re male gesta et iratæ ducibus M. Postumius reus objectus, qui tribunus militum pro consule ad Veios fuerat, decem millibus æris gravis[i] damnatur. T. Quintium collegam ejus,[k] quia et in Volscis consul auspicio dictatoris Postumii Tuberti, et ad Fidenas legatus dictatoris alterius Mam. Æmilii, res prospere gesserat, totam culpam ejus temporis in prædamnatum collegam transferentem, omnes tribus absolverunt. Profuisse ei Cincinnati patris memoria dicitur, venerabilis viri, et exactæ jam ætatis Capitolinus Quintius, suppliciter orans, ne se,

[z] *Ex pugna fessum.*

ad initium capitis, ‘ Adversus hæc Tempanii oratio incomta fuisse dicitur,’ referas, sequi nunc debebat *precansque deinde... demissus;* nisi quis Livium post intervallum satis longum antecedentis orationis immemorem fuisse dicere malit.’ *Doering.*

NOTÆ

[g] *Via Lavicana*] De Lavicis, seu Labico opp. unde *via Lavicana*, dictum lib. II. c. 39. Hæc porro via incipiebat a porta Esquilina, et, relictis ad dextram Lavico et Tusculo, ad Pictas Tabernas in Latinam desinebat, ex Strabone; quo posito, magis est ut Labici fuerint circa op. Colonnam, quam ad Zagarolam: Tabernæ autem Pictæ non procul Valmontone.

[h] *Ad fanum Quietis*] Fanum sive ædes Quietis extra portam Collinam memoratur in Urbis descriptione, regione 5. Ferrarius non procul ab Urbe fuisse scribit ubi nunc templum *SS. Petri, Pauli, et Marcellini.* Sed a porta Esquilina, non a Collina exit via Lavicana, ad quam Livius fanum Quietis locat.

[i] *Decem millibus æris gravis*] Quæ respondent libris 6750. Turonensibus.

Decem millibus æris gravis] Decem millibus assium libralium æris, seu decem millibus librarum Romanarum æris. Æstimant trecentis florenis pecuniæ Hollandicæ. *J. Clericus.*

[k] *Quintium collegam ejus*] Tres fuerant tribuni militum cons. pot. qui ad Veios male rem gesserant, M. Postumius, C. Furius, T. Quintius. Postumius solus damnatus est: T. Quintius ob patris Cincinnati, propriaque, et Quintii Capitolini patrui merita, absolutus, translata in collegam culpa. C. Furii nulla mentio. An quod mors eum accusationi exemisset? Glareano mirum videtur quarto demum anno reos factos, cum triennio ante magistratu abissent.

brevi reliquo vitæ spatio, tam tristem nuntium ferre ad Cincinnatum paterentur.[a]

42. Plebs tribunos plebi absentes,[1] Sex. Tempanium, A. Sellium, Sex. Antistium, et Sp. Icilium,[7] fecit; quos et pro centurionibus sibi præfecerant, Tempanio auctore, equites. Senatus, cum odio Sempronii consulare nomen offenderet,[b] tribunos militum consulari potestate creari jussit. Creati sunt L. Manlius[m] Capitolinus, Q. Antonius Merenda, L. Papirius Mugillanus.* Principio statim anni L. Hortensius tribunus plebis C. Sempronio consuli anni prioris diem dixit. Quem cum quatuor collegæ,[n] inspectante populo Romano, orarent, ne imperatorem suum innoxium, in quo nihil præter fortunam reprehendi posset, vexaret: ægre Hortensius pati, tentationem eam credens esse perseverantiæ suæ; nec precibus tribunorum, quæ in speciem modo jactentur, sed auxilio confidere reum.[c] Itaque modo ad eum conversus,

[a] *Cumque exiguum sibi vitæ spatium superesset, ne sinerent se tristem fratri suo nuntium ad Inferos ferre de filii damnatione.*

[b] *Nomine consulum offenderentur hominum animi.*

[c] *Cum crederet hæc fieri in experimentum perseverantiæ suæ; neque Sempronium reum fiduciam habere in his precibus tribunorum plebis, qui eas interim ostentationis tantum causa interponerent, sed in eorundem aperto auxilio, et intercessione, qua adversum se usuri essent.*

7 *Plebis* Gronov. Doujat. Crevier.—8 '*L. Antistium et Sex. Pompilium* alii, forte rectius.' *Rupert.* '*Spurilium* Edd. ante Sigon. et Ms. Veith. *Sex.*

NOTÆ

[1] *Tribunos plebi* [*plebis*] *absentes*] Non omnes hic nominantur tribuni plebis; decem enim creari solebant; sed ii tantum nominantur qui absentes ob egregie navatam in bello adversus Volscos operam creati sunt. Posteriorum nomina ex iis quæ Sigonius apposite disseruit emendata sunt. Glar. dispiciendum monet cur adjectum sit illud *absentes*. Credo id præter morem: consueverant enim peti magistratus, et præsentibus candidatis mandari.

[m] *L. Manlius*] Tres tantum tribunos militum consulari potestate Livius memorat hoc anno, quo ea dignitas octavum usurpata, L. Manlium Capitolinum, qui et Volso, Auli consulis N. Q. Antonium Merendam, L. Papirium Mugillanum. Deest nomen quarti. Is fuit L. Servilius Structus, quem Liv. an. 338. iterum fuisse tradit; cum tamen non appareat, quo anno primum fuerit, nisi hoc anno fuisse dicamus, quo tres tantum nominantur, cum jam quatuor quotannis cœpissent fieri: quemadmodum Sigon. indicat, qui multos alios in vulgatis libris desiderari ostendit.

* A. U. C. 332.

[n] *Quatuor collegæ*] Illi quatuor qui equis in exercitu Sempronii anno su-

'Ubi illi patricii spiritus, ubi subnisus et fidens innocentiæ animus esset?' quærebat. 'Sub tribunicia umbra consularem virum delituisse.'[o] Modo ad collegas, 'Vos autem, si reum perago, quid acturi estis? an erepturi jus populo, et eversuri tribuniciam potestatem?'[8 p] Cum illi, 'et de Sempronio et de omnibus summam populi Romani potestatem esse,' dicerent, 'nec se judicium populi tollere aut velle aut posse; sed si preces suæ pro imperatore, qui sibi parentis esset loco, non valuissent, se vestem cum eo mutaturos:' tum Hortensius, 'Non videbit,' inquit, 'plebs Romana sordidatos tribunos suos. C. Sempronium nihil moror,[q] quando hoc est in imperio consecutus, ut tam carus esset militibus.' Nec pietas quatuor tribunorum, quam Hortensii tam placabile ad justas preces ingenium, pariter plebi Patribusque gratior fuit. Non diutius fortuna Æquis indulsit, qui ambiguam victoriam Volscorum pro sua amplexi fuerant.

43. Proximo anno N. Fabio[9 r] Vibulano, T. Quintio, Capitolini filio, Capitolino[10] consulibus,* ductu Fabii, cui

Pompilium Edd. a Sigon. ad Drak.' *Stroth.* Vid. Not. Var.—8 Vulg. *et eversuri tribuniciam potestatem plebi.*

9 Vulg. *Cn. Fabio Vibulano.*—10 'Glossam sapit adjecta vox *Capitolino*, nec apparet in plurr. Mss. apud Drak. et in edd. principibus.' *Doering.*

NOTÆ

periore meruerant, et, absentes licet, tribuni plebis fuerant creati.

o *Consularem virum delituisse*] Immo *delitescere;* agitur enim in re præsenti.

p *Et eversuri tribuniciam potestatem*] Antiqua lectio apud Rhen. *et eversuri tribuni potestatem plebis:* ipse scribi jubet, *et eversuri tribuniciam potestatem plebi.* Gronovius vocem ultimam (quæ et insolentem reddit orationem, et nusquam in excerptis ejus reperiebatur) abrasit; merito: poterat tamen vetus lectio tolerari.

q *C. Sempronium nihil moror*] Solennia verba judicis reum absolventis, vel certe accusatoris eum dimittentis, atque ab accusatione desistentis.

r *N. Fabio*] Numerius Fabius Vibulanus, Q. Fabii decemviri, qui cladi Cremeranæ solus superstes fuisse putatur, filius fuit, Marci et Quinti nuper consulum frater, et M. sive Cnæi, qui et ipse post consul. Numerii autem prænomine solam ex patriciis gentem Fabiam usam fuisse docet Valer. Max. lib. x. idque ea de causa, quod trecentis sex apud Cremeram cæsis, qui unus ex ea stirpe superfuerat filiam Numerii Otacilii, Maleventani, sub eo pacto uxorem duxisset, ut quem primum filium sustulisset, ei materni avi prænomen imponeret.

sorte ea provincia evenerat, nihil dignum memoratu actum. Cum trepidam tantum ostendissent aciem Æqui, turpi fuga funduntur, haud magno consulis decore. Itaque triumphus negatur. Ceterum ob Sempronianæ cladis levatam ignominiam, ut ovans Urbem intraret, concessum est. Quemadmodum bellum minore, quam timuerant, dimicatione erat perfectum, sic in Urbe ex tranquillo nec opinata moles discordiarum inter plebem ac Patres exorta est, cœpta ab duplicando quæstorum numero. Quam rem, (ut, præter duos urbanos quæstores, duo consulibus [11 s] ad ministeria belli præsto essent,) a consulibus relatam, cum et Patres summa ope approbassent, consulibus tribuni plebis certamen intulerunt, ut pars quæstorum (nam ad id tempus patricii creati erant) ex plebe fieret. Adversus quam actionem [t] primo et consules et Patres summa ope [d] annisi sunt: concedendo deinde, ut, quemadmodum in [12] tribunis consu-

[d] *Summopere.*

Glossam esse ' haud dubie ' notat Rupert.—11 Vid. inf. et Not. Var.—12 *In*

NOTÆ

* A. U. C. 333.

[s] *Ut, præter duos urbanos quæstores, duo consulibus*] Hæc paulo planiora videntur futura, si usque ad *a consulibus relatam* parenthesi includantur. Quæstores initio a consulibns deligebantur auctore Tac. lib. XI. Sed quod adjicit, ' creatos primum a populo LXIII. anno post Tarquinios exactos ut rem militarem comitarentur; dein gliscentibus negotiis duos additos qui Romæ curarent;' non modo in tempore erratum videtur, scribendumque XXIII. anno, quod ante monuimus, sed præterea in eo peccari suspicor, quod quæstores qui rem militarem comitarentur prius creari cœptos vult, quam qui Romæ curarent. Noster contra, cujus longe probabilior ratio apparet, urbanos primum quæstores ponit; nunc præter illos duos, totidem alios, ' qui consulibus ad ministeria belli præsto essent.' Prius enim fuit ærarium quod in Urbe erat curari; posterius institui qui promtam ex ærario pecuniam in bellicos usus jussu consulum impenderent; unde origo quæstorum provincialium. Fateor ante hæc quoque tempora quæstorum in exercitu mentionem aliquoties occurrere: sed longe sæpius quæstorum urbanorum, ex quo verisimile fit, vel ipsos urbanos quæstores utroque munere olim functos esse, vel hactenus mansisse consulibus jus per homines fidos, qui quæstorum munere fugerentur, militarem pecuniam administrandi.

[t] *Adversus quam actionem*] Actio hic sumi videtur pro ea quam jurisconsulti vocant intentionem: *Contre cette pretension ou demande.*

lari potestate creandis usi sunt,[13] adæque in quæstoribus liberum esset arbitrium populi,[u] cum parum proficerent, totam rem de augendo quæstorum numero omittunt. Excipiunt omissam tribuni, aliæque subinde, inter quas et agrariæ legis, seditiosæ actiones existunt:[e] propter quos motus cum senatus consules, quam tribunos, creari mallet, neque posset per intercessiones tribunicias senatus consultum fieri; res publica a consulibus ad interregnum,* neque id ipsum (nam coire patricios tribuni prohibebant) sine certamine ingenti, redit.[f] Cum pars major insequentis anni[x] per novos tribunos plebi[14] et aliquot interreges certaminibus extracta esset, modo prohibentibus tribunis patricios

[e] *Et alia tribunorum plebis postulata seditiosa exorta sunt, atque in eorum numero petitio legis ferendæ de agro publico plebi dividendo.*

[f] *Neque ipse ad interregnum reditus sine ingenti certamine obtineri potuit: etenim conciliis patriciorum intercedebant tribuni.*

del. Gronov. Doujat. Crevier.—13 '*Usi sunt.* Jure has duas voces, ut ineptas et superfluas, delendas esse Crevierius judicavit.' *Doering.*—14 *Plebis* Gro-

NOTÆ

[u] *Ædæque in quæstoribus liberum esset arbitrium populi*] Id est, *æque.* Alias, *id æque*, perperam: sed quando Senatus concedebat ut æque ex plebe atque ex patriciis quæstores creare liceret, quid erat quod amplius quererentur tribuni plebis? Nempe ut non liberum esset populi arbitrium, qui ut tribunos militum, ita et quæstores ex solis patriciis electurus timebatur; sed ut pro dimidia parte necessario ex plebeiis crearentur.

* A. U. C. 334.

[x] *Cum pars major insequentis anni*] Si major pars anni exacta jam erat, hic annus nobis perdi videtur Glareano; quod verisimile non sit in paucos menses duntaxat creatos fuisse tribunos militum, sed in annum integrum. Hunc autem annum ad summam fastorum addendum esse, ex eo quoque probat, quod cum Veientibus datæ in annos viginti essent induciæ anno 330. res tamen ab eis repetantur an. 348. aliaque addit de anno consulatus Horatii et Valerii numerando extra decemvirorum tempus. Neque hæc conciliari posse contendit ex solenni ineundis magistratibus die, ut qui mirum in modum varius inveniatur. Verum ratio ex induciis Veientium deducta nihil, opinor, conficit. Hæ quippe non an. U. C. 330. sed biennio ante concessæ, tribunis militum A. Sempronio Atratino, ejusque collegis, supra c. 35. Hoc tamen ille humaniter, quod in unius anni discrimine nullam se facere difficultatem testatur, eaque de causa hunc annum se in sua chronologia omisisse. Omisit et Sigonius annum hujus interregni Liviani, quem summa annorum Capitolina non patitur.

coire ad prodendum interregem, modo interregem interpellantibus, ne senatus consultum de comitiis consularibus faceret; postremo L. Papirius Mugillanus, proditus interrex, castigando nunc Patres, nunc tribunos plebi, 'desertam omissamque ab hominibus rem publicam, Deorum providentia curaque exceptam,' memorabat,[y] 'Veientibus induciis[15] [z] et cunctatione Æquorum stare. Unde si quid increpet terroris,[g] sine patricio magistratu placere rem publicam opprimi? non exercitum, non ducem scribendo exercitui esse? an bello intestino bellum externum propulsaturos? Quæ si in unum conveniant,[h] vix Deorum opibus, quin obruatur Romana res, resisti posse. Quin illi, remittendo de summa quisque juris,[i] mediis[16] copularent concordiam:[a] Patres, patiendo tribunos militum pro consulibus fieri: tribuni plebis, non intercedendo, quo minus quatuor quæstores promiscue de plebe ac Patribus libero suffragio populi fierent.'

44. Tribunicia primum comitia[b] sunt habita. Creati tribuni consulari potestate omnes patricii, L. Quintius Cincinnatus tertium,[c] L. Furius Medullinus[17] iterum, M.

[g] *Si strepat aliquis terror.*
[h] *Quæ duo, bella scilicet, intestinum et externum, si forte simul concurrant.*
[i] *Quin potius de summo jure aliquid utrimque detrahentes.*

nov. Doujat. Crevier. it. paulo post, *tribunos plebis.*—15 Vulg. *Veientium induciis.*—16 Alii *remediis,* alii *mediis Diis.*
17 Vulg. *Sex. Furius Medullinus:* quidam Mss. *L. Sex. Furius M.*—

NOTÆ

[y] *Deorum providentia curaque exceptam, memorabat*] Sæpe non inelegante sumitur *excipere* pro ex alio capere ac suscipere, vel sustinere quod ab aliis datum, dimissum, derelictum, impulsum est: ita apud Cicer. 'Ex alterius oratione excipere aliud atque ille vult:' 'excipere fugientes:' et 'excipere aliquem labentem:' qui sensus est hujus loci.

[z] *Veientibus induciis*] Quidam *Veientium induciis.* Sed Livianum est: 'Veiens bellum,' 'Veiens præda,' adjective.

[a] *Mediis copularent concordiam*] Alii *remediis,* nonnulli *mediis Diis.* Melius Frobenius aliique *mediis,* id est, media quadam via, temperamento aliquo: vel ut alias apud Nostrum *mediis consiliis;* quibus usi sic controversiam deciderent, ut concordia sanciretur.

[b] *Tribunicia primum comitia*] Non tribunis plebis, sed tribunis militum creandis.

[c] *L. Quintius Cincinnatus tertium*

Manlius, A. Sempronius[18] Atratinus. Hoc tribuno comitia quæstorum habente, petentibusque inter aliquot plebeios filio Antistii tribuni plebis et fratre alterius tribuni plebis Sex. Pompilii, nec potestas, nec suffragatio horum valuit, quin, quorum patres avosque consules viderant, eos nobilitate præferrent. Furere omnes tribuni plebis, ante omnes[19] Pompilius Antistiusque, repulsa suorum accensi: 'Quidnam id rei esset?[20] non suis beneficiis, non Patrum injuriis, non denique usurpandi libidine,[k] cum liceat, quod ante non licuerit, si non tribunum militarem, ne quæstorem quidem quenquam ex plebe factum. Non valuisse patris pro filio, fratris pro fratre preces, tribunorum plebis, potestatis sacrosanctæ, ad auxilium libertatis creatæ. Fraudem profecto in re esse, et A. Sempronium comitiis plus artis adhibuisse, quam fidei. Ejus injuria queri suos honore dejectos.' Itaque cum in ipsum, et innocentia tutum et magistratu, in quo tunc erat, impetus fieri non posset, flexere iras in C. Sempronium, patruelem Atratini:[d] eique ob ignominiam

[k] *Non saltem cupidine usurpandi jus illud.*

18 Glareanus legendum esse docet, *L. Papirius.*—19 '*Ante omnes,* præ ceteris, præcipue. Sic non opus est, ut prius *omnes* ante *tribuni,* ut videbatur

NOTÆ

[*L. Quintius III.*] Quidam hoc loco non *L. Quintium* agnoscunt, sed ejus fratrem T. Quintium Cincinnatum, cui Penno cognomen. Quasi ille semel tantum eum magistratum gessisset: hic bis. Sed falluntur, opinor. *L. Furius Medullinus* trib. mil. legitur an. 322. c. 25. Item an. 329. c. 35. Sed quamvis idem sit nomen, an tamen idem fuerit qui nunc tribunatum militum gessit ambigi potest. Plures enim L. Furii Medullini per hæc tempora in eo magistratu, ut notavit Sigon.

[d] *Flexere iras in C. Sempronium, patruelem Atratini*] Iras, quas in A. Sempronium tribunum militum exercere non poterant, ideo verterunt in Caium Sempronium Atratinum consulem anni 331. quod hic proxima cum illo agnatione conjunctus esset, utpote frater patruelis, *Cousin germain.* Huic quidem Caio L. Hortensius trib. plebis diem dixerat ob rem male in Volscis gestam: sed exoratus a quatuor collegis qui sub eo stipendia fecerant, in quibus hi quoque L. Antistius et Sex. Pompilius, remiserat accusationem. Itaque quasi non absolutum, iidem cum M. Canuleio alio collega resumunt.

Volsci belli, adjutore collega M. Canuleio, diem dixere. Subinde ab iisdem tribunis mentio in senatu de agris dividendis illata est, (cui actioni semper acerrime C. Sempronius restiterat,) ratis, id quod erat, aut deposita causa leviorem futurum apud Patres reum, aut perseverantem[e] sub judicii tempus plebem offensurum. Adversæ invidiæ objici maluit, et suæ nocere causæ, quam publicæ deesse; stetitque in eadem sententia, 'Ne qua largitio, cessura in trium gratiam tribunorum, fieret.[f] Nec tum agrum plebi,[1] sed sibi invidiam, quæri. Se quoque subiturum eam tempestatem forti animo. Nec senatui tanti se civem, aut quenquam alium debere esse, ut in parcendo uni malum publicum fiat.' Nihilo demissiore animo, cum dies venit, causa ipse pro se dicta, nequicquam omnia expertis Patribus, ut mitigarent plebem, quindecim millibus æris[g] damnatur. Eodem anno Postumia, virgo Vestalis, de incestu causam dixit, crimine innoxia,[h] ab suspicione propter cultum amœniorem ingeniumque liberius, quam virginem decet, parum abhorrens.[i] Eam ampliatam,[2] deinde absolu-

[i] *Non satis rumores spernens natos ex suspicione quam ingerebat elegantior ornatus, et paulo magis licentiosum ingenium, quam virgini conveniret.*

Crevierio, deleatur.' *Doering.*—20 Conj. Rupert. *esse.*—1 Idem conj. *nec jam* vel *enim agrum plebi.* Vid. Not. Var.—2 ' *Crimine innoxia ab suspicione*

NOTÆ

[e] *Ratis, id quod erat, aut deposita causa, &c. aut perseverantem*] Refer ad superiora, *ab eisdem tribunis* plebis: quibus mentionem agrorum dividendorum in Senatu facientibus, duorum alterum videbatur eventurum, ut C. Sempronius reus aut accusationis metu ab impedienda (ut hactenus fecerat) lege agraria desisteret, et sic vilior fieret apud Senatum, quo non defendente facilius damnaretur; aut adhuc in pristina sententia perstaret, ac legem agrariam impugnare pergeret; quo facto sub tempus ipsum quo causam coram populo dicturus esset, magis ac magis exosus fieret plebi judicium laturæ.

[f] *Ne qua largitio, cessura in trium gratiam Tribunorum, fieret*] Ne ulla eo tempore largitio plebi fieret, utpote cujus gratiam ad populum laturi essent soli tribuni tres accusatores sui, Pompilius, Antistius, et Canuleius.

[g] *Quindecim millibus æris*] Si æs grave Livius intelligit, erunt nostræ libræ Turonenses, 10125. At si ad usum sui temporis respicit, existent paulo minus 500. libris nostratibus.

Quindecim millibus æris] Hoc est, totidem libris Romanis æris, quas æstimant quadringentis quinquaginta florenis Hollandicis. *J. Clericus.*

[h] *Crimine innoxia*] Hoc est, innocens, quod ad crimen ipsum attinet.

tam,[i] pro collegii sententia pontifex Maximus[k] abstinere jocis, colique sancte potius, quam scite, jussit. Eodem anno a Campanis Cumæ,[l] quam Græci tum urbem tenebant, capiuntur. Insequens annus tribunos militum consulari potestate habuit, Agrippam Menenium Lanatum, P. Lucretium Tricipitinum, Sp. Nautium Rutilum.[3] *

45. Annus, felicitate[m] populi Romani, periculo potius ingenti, quam clade, insignis.[m] Servitia, Urbem ut incenderent distantibus locis, conjurarunt; populoque ad opem passim ferendam tectis intento,[4] ut arcem Capitoliumque armati occuparent. Avertit nefanda consilia Jupiter: indicioque duorum comprehensi sontes pœnas dederunt. Indicibus dena millia gravis æris, quæ tum divitiæ habebantur, ex ærario numerata,[n] et libertas præmium fuit.

[m] *Insignis periculo magis quam clade, quam felicitas populi Romani discussit.*

...*parum abhorrens. Eam* (ut legitur in cod. Florent.) *ampliatam*, cet. Ita recte, opinor, emend. Gronov. et edidit Stroth. quos secutus sum. Vulgo perperam legitur: *ob suspicionem, propter cultum ... parum abhorrens famam. Ampliatam*, cet. Cf. ad Tac. Ann. XIII. 47. 7. Vocem *famam* librarii confinxere ex lect. Ms. Flor. *eam am*, et *abhorrere*, si quarto jungitur casui, est aversari, si sexto, discrepare, differre.' *Rupert.* In Ms. Veith. est: *dixit et crimine inn. ab suspictionem... abhorrens fama ampliatam, &c.*—3 *Sp. Nautium, C. Servilium* Edd. a Sigon. ad Drak. Ab Edd. ante Sigon. et Ms. Veith. tam *Rutilum*, quam *C. Servilium* abest.' *Stroth.* 'Cum Gronov. legendum videtur: *Insequens annus tribunos ... Sp. Nautium, C. Servilium, felicitate populi Rom.... insignis.*' Rupert.

NOTÆ

Alias perperam *obnoxia.*

[i] *Ampliatam, deinde absolutam*] Dicuntur *ampliari*, quorum judicium differtur, pronuntiante judice 'non liquere,' id est, nondum satis idoneis argumentis probatum esse crimen, licet adminicula quædam suspectum faciant reum.

[k] *Pontifex Maximus*] Vestalium, scilicet, et sacerdotum aliorum, judex, rerumque ad sacra et religiones pertinentium. Is tunc erat Sp. Minucius ex Plut. de utilitate ex inimicis capienda.

[l] *A Campanis Cumæ*] Novi Capuæ incolæ, vel prædones potius, Samnites, de quibus supra cap. 37. nunc Cumas Græcorum urbem cepere. De hac urbe dictum lib. II. c. 21. et d. c. 37.

* A. U. C. 335.

[m] *Annus, felicitate*] Gronovius suspicatur vocem *annus* insertam ab iis quibus arduum erat repetere a tertio superiore versu, *Insequens annus.*

[n] *Dena millia gravis æris ... numerata*] Æs tamen grave seu infectum appendi potius quam numerari solitum antea vidimus. Sed nonnunquam æs grave de percusso quoque dicitur, quamdiu pristinum pondus retinuit. Decem autem ejusmodi assium mil-

Bellum inde ab Æquis reparari cœptum: et, novos hostes Lavicanos consilia cum veteribus jungere, haud incertis auctoribus Romam est allatum. Æquorum jam velut anniversariis armis assuerat [5] civitas. Lavicos legati missi [o] cum responsa inde retulissent dubia, quibus, nec tum bellum parari,[6] nec diuturnam pacem fore, appareret: Tusculanis negotium datum, 'adverterent animos, ne quid novi tumultus Lavicis oriretur.' Ad insequentis anni* tribunos militum consulari potestate, inito magistratu, legati ab Tusculo venerunt, L. Sergium Fidenatem, M. Papirium Mugillanum, C. Servilium, Prisci filium,[7] quo dictatore Fidenæ captæ fuerant. Nuntiabant legati,[8] [p] Lavicanos arma cepisse, et cum Æquorum exercitu depopulatos agrum Tusculanum castra in Algido posuisse. Tum Lavicanis bellum indictum: factoque senatus consulto, ut duo ex tribunis ad bellum proficiscerentur, unus res Romæ curaret, certamen subito inter tribunos exortum. Se quisque belli ducem potiorem ferre, curam Urbis, ut ingratam ignobilemque, aspernari. Cum parum decorum inter collegas certamen mirabundi Patres conspicerent, Q. Servilius, 'Quando nec ordinis hujus ulla,' inquit, 'nec rei publicæ est verecundia,[n] patria majestas [q] altercationem istam dirimet. Filius

[n] *Nulla in Senatum, nulla in Rempublicam reverentia est.*

4 'Post *intento* repetendum *conjurarunt.*' Rupert.—5 Vulg. *assueverat.*—6 Vet. lib. ap. Sigon. *necdum bellum parari*, et 'ita legendum forte' notat Rupert.—7 Vulg. *C. Servilium Q. Servilii Prisci filium.*—8 '*Nuntiabant legati.* Et his diffido, et Auctorem sequens membrum continuasse præcedenti, aut suspendisse censeo ab illis: *legati ab Tusculo venerunt, Lavicanos arma cepisse.* Sic certe solent intellectui relinquere *nuntiantes.*' J. F. Gronov.

NOTÆ

lia ipso pondere nunc æquipollerent libris nostris 6750.

[o] *Lavicos missi*] Lavici vel Labicum. Hod. *La Colonna*, aut inde non procul; ut supra annotatum cap. 4. Vide et lib. II. c. 39.

* A. U. C. 336.

[p] *Nuntiabant legati*] Gronovio libens accedo, qui nomen *legati* frustra, neque ex Auctoris more, repetitum putat, ideoque delendum.

[q] *Patria majestas*] Vere majestas apud Romanos, qui non solum vitæ necisque in liberos potestatem privatim habebant, sed in publica inter magistratus contentione patrio jure, quasi majore quodam imperio, utebantur, ut hoc exemplo satis constat.

meus extra sortem Urbi præerit. Bellum utinam, qui appetunt, consideratius concordiusque, quam cupiunt, gerant.'[o]

46. Delectum haberi non ex toto passim populo placuit. Decem tribus sorte ductæ sunt; ex his scriptos juniores duo tribuni ad bellum duxere. Cœpta inter eos in Urbe certamina cupiditate eadem imperii multo impensius in castris accendi:[p] nihil sentire idem, pro sententia pugnare: sua consilia velle, sua imperia sola rata esse: contemnere in vicem, et contemni. Donec, castigantibus legatis, tandem ita comparatum est,[q] ut alternis diebus summam imperii haberent. Quæ cum allata Romam essent, dicitur Q. Servilius, ætate et usu doctus, precatus ab Diis immortalibus, ne discordia tribunorum damnosior rei publicæ esset, quam ad Veios fuisset: et, velut haud dubia clade imminente, institisse filio, ut milites scriberet et arma pararet. Nec falsus vates fuit. Nam ductu L. Sergii, cujus dies imperii erat, loco iniquo sub hostium castris, cum, quia simulato metu receperat se hostis ad vallum, spes vana expugnandi castra eo traxisset, repentino impetu Æquorum per supinam vallem fusi sunt, multique in ruina majore quam fuga[r] oppressi obtruncatique: castraque, eo die ægre retenta, postero die, circumfusis jam magna ex parte hostibus, per aversam portam fuga turpi deseruntur. Duces legatique, et quod circa signa roboris de exercitu fuit, Tusculum petiere. Palati alii per agros passim multis itineribus, majoris, quam accepta erat, cladis nuntii Romam contenderunt. Minus trepidationis fuit, quod eventus timori hominum congruens fuerat, et quod subsidia,[r] quæ respicerent in re trepida, præparata erant ab tribuno mili-

[o] *Utinam qui belli gerendi provinciam tanto certamine affectant, majori prudentia concordiaque in eo administrando se gerant, quam nunc in concupiscendo.*

[p] *Vehementius multo exarserunt in castris.*

[q] *Ita res composita et constituta est.*

[r] *A C. Servilio tribuno militum comparata jam fuerant auxilia et remedia.*

NOTÆ

[r] *In ruina majore quam fuga*] Cum per declivia ruerent. non tam fugerent quam in alios alii

tum: jussuque ejusdem, per minores magistratus sedato in Urbe tumultu, speculatores propere missi nuntiavere, Tusculi duces exercitumque esse, hostem castra loco non movisse. Et, quod plurimum animorum fecit, dictator ex senatus consulto dictus Q. Servilius Priscus; vir, cujus providentiam in re publica cum multis aliis tempestatibus ante experta civitas erat, tum eventu ejus belli, quod uni certamen tribunorum suspectum ante rem male gestam fuerat; magistro equitum creato, a quo ipse tribuno militum dictator erat dictus, filio suo, ut tradidere quidam, (nam alii Ahalam Servilium magistrum equitum eo anno fuisse scribunt,) novo exercitu profectus ad bellum, accitis qui Tusculi erant, duo millia passuum ab hoste locum castris cepit.

47. Transierat ex re bene gesta superbia negligentiaque ad Æquos, quæ in Romanis ducibus fuerat. Itaque primo statim prælio cum dictator equitatu immisso antesignanos hostium turbasset, legionum inde signa inferri propere jussit, signiferumque ex suis unum cunctantem occidit.[s] Tantus ardor ad dimicandum fuit, ut impetum Æqui non tulerint: victique acie cum fuga effusa petissent castra, brevior tempore et certamine minor castrorum oppugnatio fuit, quam prælium fuerat. Captis direptisque castris, cum prædam dictator militi concessisset, secutique fugientem ex castris hostem equites renuntiassent, omnes Lavicanos victos,† magnam partem Æquorum Lavicos confugisse; postero die ad Lavicos ductus exercitus: oppidumque, corona circumdatum,[s] scalis captum ac direptum est. Dictator, exercitu victore Romam reducto, die octavo, quam

[s] *Militum agmine undique cinctum in coronæ modum.*

† ' Hanc vocem, ut otiosam et ex postremis syllabis nominis præcedentis

NOTÆ

[s] *Signiferum, &c. cunctantem occidit*] Cum faciendus erat in hostes impetus, signiferi in eos progrediebantur, signaque promovebant, circa quæ manipuli incedebant. Tardius itaque signum inferens, quia copias retardabat, obtruncatus est a dictatore.

creatus erat,[t] magistratu se abdicavit; et opportune senatus, priusquam ab tribunis plebi agrariæ seditiones, mentione illata de agro Lavicano dividendo, fierent, censuit frequens, coloniam Lavicos deducendam. Coloni ab Urbe mille et quingenti missi bina jugera acceperunt. Captis Lavicis, ac deinde tribunis militum consulari potestate, Agrippa[9] Menenio Lanato, et L. Servilio Structo,[10] et P. Lucretio Tricipitino, iterum omnibus his, et Sp. Rutilio Crasso,*[u] et insequente anno A. Sempronio Atratino tertium, et duobus iterum M. Papirio Mugillano, et Sp. Nautio Rutilo,†[x] biennium tranquillæ externæ res, discordia domi ex agrariis legibus fuit.

48. Turbatores vulgi erant Spurii Mæcilius[11] quartum et Metilius tertium[y] tribuni plebis, ambo absentes[12 z] crea-

enatam, delendam censebat Crevierius.' *Doering.*—9 Veteres plerique libb. teste Sigon. *ac deinde trib. mil. cons. p. creatis Agrippa.*—10 ' Legendum *C. Servilio Structo:* nam is jam ante tribunus militum fuerat; (v. cap. 45.) non L. Servilius. Præterea pro *Sp. Rutilio Crasso* ex Diodoro reponendum *Sp. Veturio Crasso*, et deinde ex eodem Diodoro l. XIII. p. 335. et fastis Capitol. adjiciendum nomen quarti tribuni mil. *Sp. Nautio Rutilo et Q. Fabio Vibulano.*' Rupert. Vid. Not. Var.

11 Vulg. *Sp. Mecilius.*—12 ' Quia in Aldino *præsentes* invenit, *prensantes* corrigit Pighius in Annalibus ad hunc annum.' *J. F. Gronov.* Vid. Not. Var.

NOTÆ

[t] *Die octavo, quam* [*quo*] *creatus erat*] Mirati sumus lib. III. c. 29. L. Quintium Cincinnatum, et hujus lib. cap. 34. Æmilium Mamercum, confecto intra diem XVI. bello, dictatura se abdicasse. At utrumque nunc superavit Q. Servilius.

[u] *Et Sp. Rutilio Crasso*] Diodorus pro *Rutilio* subjicit *Veturium:* quod Sigonio proba turduabus de causis: 1. quod Rutilia gens plebeia, Veturia patricia esset; hactenus autem tribuni militum cons. pot. ex patriciis: 2. quod Crassus cognomen fuit Veturiorum, non Rutiliorum.

* A. U. C. 337.

[x] *Sp. Nautio Rutilo*] Hic enumeratis addendus ex Diodoro et fragmento Capitolino, prætermissus apud Livium culpa librariorum, *Q. Fabius Vibulanus Q. F. M. N.* ut Sigonius comprobat ipsius Livii testimonio, qui postea, in tribunis militum an. 340. recensendis, *Q. Fabium*, tribunum mil. II. adjicit.

† A. U. C. 338.

[y] *Spurii* [*Sp.*] *Mæcilius quartum et Metilius tertium*] Putat Sigonius legendum in numero plurali *Spurii*, ut intelligatur ambos eo prænomine fuisse.

[z] *Ambo absentes*] Quemadmodum supra cap. 42. ' Plebs tribunos absentes Sex. Tempanium, &c. fecit.' Pigh. quia in Aldino *præsentes* legerat, corrigit *prensantes;* quod Grono-

ti. Et cum rogationem promulgassent, ut ager ex hostibus captus viritim divideretur, magnæque partis nobilium eo plebiscito publicarentur fortunæ;[a] (nec enim ferme quicquam agri, ut in Urbe alieno solo posita,[b] non armis partum erat; nec, quod venisset assignatumve publice esset, præterquam plebs habebat;) atrox plebi Patribusque propositum videbatur certamen: nec tribuni militum, nunc in senatu, nunc in conciliis privatis principum cogendis, viam consilii inveniebant; cum Ap. Claudius, nepos ejus,[13] qui decemvir legibus scribendis fuerat, minimus natu ex Patrum concilio,[14] dicitur dixisse, 'Vetus se ac familiare consilium domo afferre. Proavum enim suum[c] Ap. Claudium ostendisse Patribus viam unam dissolvendæ tribuniciæ potestatis per collegarum intercessionem. Facile homines novos auctoritate principum de sententia deduci, si temporum interdum potius, quam majestatis, memor adhibeatur oratio. Pro fortuna illis animos esse. Ubi videant, collegas principes agendæ rei gratiam omnem ad plebem præoccupasse, nec locum in ea relictum sibi; haud gravate acclinaturos se ad causam senatus, per quam[d] universo ordini cum pri-

—13 *Ap. Claudius, filius ejus,* cet. legendum putabat Glar. non improb. Drak.

NOTÆ

vio non placere nihil mirum: cum enim candidatis in more posita esset prensatio, quæ non nisi a præsentibus fieri potest, quid attinuit in his duobus notari quod omnium prope commune erat? At absentes eligi valde rarum; ideoque notari potuit.

[a] *Eo plebiscito publicarentur fortunæ*] Facultates omnium fere patriciorum in agris ex hoste captis, quas ipsi post victoriam sibi vindicare soliti; aut si quid publice venditum assignatumve nonnunquam fuerat, id plebeii possidebant. Hinc de agrariis legibus tot tantaque inter ordines dissidia, patriciis agrorum partorum ex hoste, necdum publica auctoritate assignatorum, divisionem aversantibus, veluti fortunarum suarum scopulum; plebeiis contra pro iis, tanquam pro suo incremento, nitentibus.

[b] *Ut in Urbe alieno solo posita*] Exiguo certe territorio, hinc Latinorum seu Albanorum et Sabinorum, inde Tuscorum terris clauso.

[c] *Proavum enim suum*] Appius Claudius, qui primus ex Sabinis Romam migravit, hujus abavus fuit.

[d] *Acclinaturos se ad causam senatus, per quam*] Id est, accessuros ad partes Senatorum, quas si amplexi fuerint, agentes cum primoribus Senatorum possint totius Senatus favorem sibi comparare. Planior forte videatur sententia, si cum Tanaq. Fabro

moribus se Patrum concilient.'[15] Approbantibus cunctis, et ante omnes Q. Servilio Prisco, quod non degenerasset ab stirpe Claudia, collaudante juvenem, negotium datur, ut, quos quisque posset ex collegio tribunorum, ad intercessionem perlicerent. Misso senatu, prensantur[16] ab principibus tribuni: suadendo, monendo, pollicendoque gratum id singulis privatim, gratum universo senatui fore, sex ad intercessionem comparavere. Posteroque die cum ex composito relatum ad senatum esset de seditione, quam Mæcilius Metiliusque largitione pessimi exempli concirent; eæ orationes a primoribus Patrum habitæ sunt, ut pro se quisque jam nec consilium sibi suppetere diceret, nec se ullam opem cernere aliam usquam, præterquam in tribunicio auxilio. In ejus potestatis fidem circumventam rem publicam, tanquam privatum inopem, confugere.[t] Præclarum ipsis potestatique esse, non ad vexandum senatum discordiamque ordinum movendam plus in tribunatu virium esse, quam ad resistendum improbis collegis. Fremitus deinde universi senatus ortus, cum ex omnibus partibus curiæ tribuni appellarentur: tum, silentio facto, ii, qui præparati erant gratia principum, quam rogationem a collegis promulgatam senatus censeat dissolvendæ rei publicæ esse, ei se intercessuros ostendunt.[u] Gratiæ intercessoribus ab senatu actæ. Latores rogationis, concione advocata, proditores plebis commodorum ac servos consularium appellantes, aliaque truci oratione in collegas invecti, actionem deposuere.[x]

[t] *Rempublicam oppressam, non secus ac pauperem privatum, (qui opprimeretur,) perfugere ad patrocinium tribuniciæ potestatis.*

[u] *Ex tribunis pl. illi qui a primoribus ad id parati fuerant, testati sunt se obstituros ei legi, quam Senatus censeat pertinere ad remp. perturbandam, si ab aliis tribunis promulgata omnino fuerit.*

[x] *Destiterunt ab ea postulatione.*

—14 *Consilio* Crevier.—15 Legit Tan. Faber, *per quam cum univ. ordini, tum primorib. se patrum concilient.*—16 Vulg. *prehensantur.*

NOTÆ

legamus: *per quam, cum universo ordini, tum primoribus se patrum concilient*: sed nullius codicis auctoritatem profert, in emendatione quæ non omnino necessaria.

49. Duo assidua[17] bella[e] insequens annus habuisset, quo P. Cornelius Cossus, C. Valerius Potitus, Q. Quintius Cincinnatus, N. Fabius Vibulanus,[18] tribuni militum consulari potestate fuerunt;* ni Veiens bellum religio principum distulisset,[y] quorum agros Tiberis, super ripas effusus, maxime ruinis villarum vastavit. Simul Æquos triennio ante accepta clades prohibuit Bolanis,[19] suæ gentis populo,[f] præsidium ferre. Excursiones inde[g] in confinem agrum Lavicanum factæ erant, novisque colonis bellum illatum. Quam noxam cum se consensu omnium Æquorum defensuros sperassent, deserti ab suis, ne memorabili quidem bello, per obsidionem levemque unam pugnam et oppidum et fines amisere. Tentatum ab L. Sextio tribuno plebis, ut rogationem ferret, qua Bolas quoque, sicut Lavicos, coloni mitterentur, per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus, passuros se perferri ostenderunt, discussum est. Bolis insequente anno receptis, Æqui coloniaque eo deducta novis[20] viribus oppidum firmarunt, tribunis militum Romæ consulari potestate Cn. Cornelio Cosso, L. Valerio Potito, Q. Fabio Vibulano iterum, M. Postumio[1] Regillensi.[h]† Huic bellum adversus Æquos permissum est,

[y] *Nisi bellum Veientium dilatum esset, superstitione quadam injecta animis eorum, qui apud ipsos principatum obtinebant, &c.*

17 Vox *assidua* ejicienda videbatur Crevierio. Vid. Not. inf.—18 Vulg. *Potitus, Cincinnatus, M. Fabius Vibulanus.* Q. del. Gronov. Doujat. Crevier. In Crev. min. legitur.—19 *Volanis* et *Volas* Edd. multi et Ms. Veith.—20 Legit Sigon. *Volis insequente anno receptis, coloniaque eo deducta, Æqui no-*

NOTÆ

[e] *Duo assidua bella*] In Ms. cod. apud Rhenan. *Duo ardua bella:* quod nequaquam deterius mihi videtur: duo autem, hinc a Veientibus, inde ab Æquis.

* A. U. C. 339.

[f] *Bolanis,* [*Volanis*] *suæ gentis populo*] De *Volis,* seu potius *Bolis,* oppido Æquorum, in Latinorum finibus, dixi: fuit ubi nunc *Poli.*

[g] *Excursiones inde*] A Bolis.

[h] *M. Postumio Regillensi*] Nomen *Regillensis* duabus gentibus diversis ex causis inditum; *Claudiis,* quod Regillo Sabinorum oppido essent orti; *Postumiis* vero ob victoriam ad Regillum Latii lacum a Postumio dictatore relatam.

† A. U. C. 340.

pravæ mentis homini; quam[i] tamen[2] victoria magis quam bellum ostendit. Nam exercitu impigre scripto ductoque ad Bolas, cum levibus præliis Æquorum animos fregisset, postremo in oppidum irrupit. Deinde ab hostibus in cives certamen vertit: et, cum inter oppugnationem[k] prædam militis fore edixisset, capto oppido, fidem mutavit. Eam magis adducor ut credam iræ causam exercitui fuisse, quam quod in urbe nuper direpta[l] coloniaque nova minus prædicatione tribuni prædæ fuerit.[z] Auxit eam iram, postquam, ab collegis arcessitus, propter seditiones tribunicias in Urbem revertit, audita vox ejus in concione stolida ac prope vecors; qua Sextio tribuno plebis, legem agrariam ferenti, simul, Bolas quoque ut mitterentur coloni, laturum se dicenti, dignos enim esse[3] qui armis cepissent, eorum urbem agrumque Bolanum esse;[m] 'Malum quidem militibus meis,' inquit, 'nisi quieverint.' Quod auditum non concionem magis, quam mox Patres, offendit. Et tribunus plebis, vir acer nec infacundus, nactus inter adversarios superbum ingenium immodicamque linguam, quam irritando agitandoque in eas impelleret voces, quæ invidiæ,

[z] *Non tantum prædæ fuerit inventum, quantum dixerat tribunus militum, Postumius.*

vis, &c.—1 '*P. Postumio* forte leg. fide fast. Capitol.' *Rupert.*—2 Vulg. *quantum:* vet. lib. ap. Sigon. *quam tum.* Legendum monet Tan. Faber *nam cum.* —3 'Mollior fit oratio, si pro *dignos esse* cum Tan. Fabro legeris, *dignum esse*, h. e. æquum esse. Confirmant quoque Fabri conjecturam nonnulli codd.

NOTÆ

[i] *Pravæ mentis homini: quam*] Fuisse vult hunc Postumium animo pervicaci: quem durante bello continuerit, post victoriam nudaverit. Legendum enim *quam*, non *tum*, ut censebat Sigon.

[k] *Et, cum inter oppugnationem*] Legendum omnino, *nam cum*, si Tan. Fabro credimus: reddetur enim ratio priorum verborum, 'ab hostibus in cives certamen vertit.'

[l] *In urbe nuper direpta*] Bolis nempe, quæ urbs a Romanis direpta superiore anno, nunc ab Æquis recepta, novam ab his coloniam acceperat.

[m] *Dignos enim esse qui armis cepissent, eorum urbem agrumque Bolanum* [*Volanum*] *esse*] Græca forte loquendi forma dictum, legendumque, *dignum*, cum Tan. Fabro, id est, æquum. Sed et interpunctione interposita satis constare videtur sensus: *Volas quoque ut mitterentur coloni se laturum: dignos enim esse qui armis cepissent:* dignos scilicet, ut ea lex ipsorum causa ferretur. *Eorum urbem agrumque Volanum esse:* id est, ad eos pertinere.

non ipsi tantum, sed causæ atque universo ordini, essent, neminem ex collegio tribunorum militum sæpius, quam Postumium, in disceptationem trahebat. Tum vero secundum tam sævum atque inhumanum dictum, 'Auditis,' inquit, 'Quirites, sicut servis malum minantem militibus? tamen hæc bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quam qui vos, urbe agrisque donatos,[n] in colonias mittunt? qui sedem senectuti vestræ prospiciunt? qui pro vestris commodis adversus tam crudeles superbosque adversarios[o] depugnant? Incipite deinde mirari,[4p] cur pauci jam vestram suscipiant causam. Quid ut a vobis sperent? an honores, quos adversariis vestris potius, quam populi Romani propugnatoribus, datis? Ingemuistis modo, voce hujus audita. Quid id refert? Jam, si suffragium detur, hunc, qui malum vobis minatur, iis, qui agros sedesque ac fortunas stabilire volunt, præferetis.'

50. Perlata hæc vox Postumii ad milites multo in castris majorem indignationem movit. 'Prædæne interceptorem fraudatoremque etiam malum minari[5] militibus?' Itaque cum fremitus aperte esset, et quæstor P. Sestius[6] eadem violentia coërceri putaret seditionem posse, qua mota erat; misso ad vociferantem quendam militem lictore, cum inde clamor et jurgium oriretur, saxo ictus turba excedit; insuper increpante, qui vulneraverat, 'habere quæstorem, quod imperator esset militibus minatus.' Ad hunc tumultum accitus Postumius asperiora omnia fecit acerbis quæstionibus, crudelibus suppliciis. Postremo cum mo-

apud Drak.' *Doering.*—4 Vet. lect. *Incipite demum mirari.*

NOTÆ

[n] *Urbe agrisque donatos*] Per urbem patet non intelligi Romam, cujus cives alloquebatur Sextius, sed Coloniam, quam antea 'sedem senectuti' dixit: in quam tribuni eos missuri erant.

[o] *Adversus tam crudeles superbosque adversarios*] Postumio similes patricios.

[p] *Incipite deinde mirari*] Male Sigonius *incipite demum:* particula enim *deinde* ponitur eleganter ut significet, post talia; quod observat Gron. affertque ex Plinii Panegyrico exemplum.

dum iræ nullum faceret, ad vociferationem eorum, quos necari sub crate[q] jusserat, concursu facto, ipse ad interpellantes pœnam vecors de tribunali decurrit. Ibi cum summoventes passim lictores centurionesque vexarent turbam, eo indignatio erupit, ut tribunus militum ab exercitu suo lapidibus cooperiretur.[r] Quod tam atrox facinus postquam est Romam nuntiatum, tribunis militum de morte collegæ per senatum quæstiones decernentibus, tribuni plebis intercedebant.[a] Sed ea contentio ex certamine alio pendebat; quod cura incesserat Patres, ne metu quæstionum plebs iraque[7] tribunos militum ex plebe crearet: tendebantque summa ope, ut consules crearentur. Cum senatus consultum fieri tribuni plebis non paterentur, iidem intercederent consularibus comitiis, res ad interregnum rediit. Victoria deinde penes Patres fuit.

51. Q. Fabio Vibulano interrege comitia habente, consules creati sunt A. Cornelius[8] Cossus, L. Furius Medullinus.* His consulibus principio anni senatus consultum factum est, ut de quæstione Postumianæ cædis tribuni primo quoque tempore ad plebem ferrent; plebesque præficeret quæstioni, quem vellet.[b] A plebe consensu populi[9][s]

[a] *Cum in Senatu decerni curarent ut inquireretur de morte Postumii trib. mill.*

[b] *Ut tribuni plebis quam primum referrent ad plebem, fieretque plebiscitum, quo dicerentur quæstores parricidii, qui inquirerent et cognoscerent de cæde Postumii tribuni militum in exercitu patrata.*

5 *Minitari* Gronov. Doujat. Crevier.—6 Vulg. *Sextius.*—7 *Plebs irata* Edd. a Sigon. ad Crevier. et Ms. Veith.

8 *M. Cornelius* Gronov. Doujat. Crevier. Quidam codices sustulerunt *L.* in sequente cos.—9 Crevierius malit vocem *populi* post *consensu* deleri.—

NOTÆ

[q] *Quos necari sub crate*] Hoc supplicii genus lib. I. cap. 51. explicatur.

Necari sub crate] Genus supplicii, de quo vide l. I. 51. Plautus in Pœnulo sic describit Act. v. S. 2. 65. 'Sub cratim uti jubeas sese supponi, atque eo Lapides imponi multos, ut sese neces.' Vide illic Frid. Taubmannum. *J. Clericus.*

[r] *Ab exercitu suo lapidibus cooperiretur*] Non facile alias in Repub. Rom. occurrit memoria imperatoris per seditionem lapidibus ab exercitu obruti, aliove mortis genere interfecti.

* A. U. C. 341.

[s] *A plebe consensu populi*] Factum

consulibus negotium mandatur. Qui, summa moderatione ac lenitate per paucorum supplicium, quos sibimet ipsos conscisse mortem satis creditum est, transacta re, nequivere tamen consequi, ut non ægerrime id plebs ferret. 'Jacere tamdiu irritas sanctiones,[10] [t] quæ de suis commodis ferrentur: cum[11] interim de sanguine et supplicio suo latam legem confestim exerceri, et tantam vim habere.' Aptissimum tempus erat, vindicatis seditionibus, delenimentum[12] animis Bolani agri divisionem objici: quo facto minuissent desiderium agrariæ legis, quæ possesso per injuriam agro publico Patres pellebat.[c] Tunc hæc ipsa indignitas augebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos vi teneret,[13] pertinacem nobilitatem esse; sed ne vacuum quidem agrum, nuper ex hostibus captum, plebi dividere; mox paucis, ut cetera, futurum prædæ. Eodem anno adversus Volscos, populantes Hernicorum fines, legiones ductæ a Furio consule, cum hostem ibi non invenissent,[u] Ferentinum,[x] quo magna multitudo Volscorum se

[c] *Tempus erat aptissimum ut post vindicatas seditiones, exulceratis plebeiorum animis offerretur, delinimenti loco, divisio agri Volani. Sic enim patricii sedare potuissent cupiditatem, qua plebs ardebat ferendæ legis agrariæ, qua Senatoribus, qui publicos alios agros nullo jure sibi vindicaverant, adimenda erat eorum possessio.*

10 Rhenan. magis probat *actiones*.—11 'Grutero abesse poterat illud *cum*: immo paulo post illud totum, *et tantam vim habere*, frustum videtur non Livii, sed ineptientis pædagogi.' *J. F. Gronov.* Vid. Not. Var.—12 Ita legendum monet Rupert. non *delinimentum*, ut dant Gronov. Doujat. Crevier.—13 'Pla-

NOTÆ

videtur extra ordinem, ut, præter Senatusconsultum et plebiscitum, consensus populi adhibitus fuerit. Sane consentiente hinc Senatu, inde plebe, satis videtur consensisse populus universus, ut qui plebeiis et patriciis tantum constet. Quia tamen non omnes patricii in Senatum allecti erant, verum erat superesse adhuc partem aliquam populi et civitatis, quæ causari potuisset, se nequaquam id quod agebatur approbasse. Ideo, secundum Senatuscousultum, legem comitiis centuriatis fieri placuit, quæ delectum quæsitorum plebeiis solis permitterent.

[t] *Sanctiones*] Quid *sanctio* proprie sit, diximus supra. Rhen. magis probat *actiones:* sed his non convenit, quod subjungitur verbum *ferrentur*. Hæ quippe melius 'institui' dicuntur: leges et sanctiones 'ferri.' Particulam porro *cum*, quæ sequitur, abesse mallet non abs re Gruter.

[u] *Ibi non invenissent*] In agro Hernicorum sociorum populi Romani.

contulerat, cepere. Minus prædæ, quam speraverant, fuit: quod Volsci, postquam spes tuendi exigua erat, sublatis rebus, nocte oppidum reliquerunt.[14] Postero die prope desertum capitur. Hernicis ipse ager dono datus.

52. Annum modestia tribunorum quietum excepit tribunus plebis L. Icilius,[y] Q. Fabio Ambusto, C. Furio Pacilo [15] consulibus.* Is cum [16] principio statim anni, velut pensum nominis [17] familiæque, seditiones agrariis legibus promulgandis cieret; pestilentia coorta, minacior tamen quam perniciosior, cogitationes hominum a foro certaminibusque publicis ad domum curamque [18] corporum nutriendorum [z] avertit. Minusque eam damnosam fuisse, quam seditio futura fuerit, credunt. Defuncta civitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus,[a] pestilentem annum

cet magis hujus loci prisca lect. *quos ut teneret.'* Sigon.—14 Idem legendum monet ex vet. lib. *reliquerant.*

15 Vulg. *Pacilio.*—16 *Tum* Gronov.—17 Ms. Veith. *pessimi nominis.*—18 ' Flor. *ad domumque curamque.* Helm. *ad domum cura corporum.* Censeo scribas, *domum ad curam.'* J. F. Gronov. Tollendum monet Tan. Faber *nu-*

NOTÆ

x *Ferentinum*] Plura esse hujus nominis per Italiam loca indicavimus ad lib. II. cap. 38. Hoc Volscorum oppidum fuit a Furio consule jam captum, Hernicisque attributum. Corrupte nunc vulgo *Fiorentino*, 48. ab Urbe milliari.

y *L. Icilius*] Cum alibi *Lucilius*, alibi *Licinius* legeretur, quidam haberent *L. Icilius*, secundam lectionem primæ, ultimam utrique merito Glareanus anteposuit. Nulla enim plebeia familia tribuniciis seditionibus ad hæc tempora illustrior legitur quam Icilia. Sp. primo Icilium, inter eos qui primi tributis comitiis creati sunt, vidimus tribunum an. U. 283. Ap. Claudio, T. Quintio consulib. apud Liv. lib. II. c. 58. Deinde coss. M. Valer. et Spur. Virginio, id est, an. 297. princeps collegii tribunorum L. Icilius pervicit, ut Aventinus plebi divideretur, uti Dionys. scribit lib. X. Idemque, anno sequenti refectus, ausus est jubere consules in carcerem duci. L. quoque Icilius tribunicius, Virginiæ sponsus, secessione plebis in Aventinum primas tenuit apud Dionys. lib. XI. et apud Nostrum lib. III. cap. 44. et seqq. ac paulo post tribunus plebis creatus legem de triumpho L. Valerii et M. Horatii consulum tulit adversante Senatu, ejusdem lib. cap. 63. Ejus e familia prodiisse videtur hic L. Icilius: idcirco hanc ' familiam infestissimam Patribus ' Noster appellat cap. 54.

* A. U. C. 342.

z *Curamque corporum nutriendorum*] Facile accedo Tanaquilli Fabri sententiæ, qui *nutriendorum* velut glossema tolli jubet.

inopia frugum, neglecto cultu agrorum, (ut plerumque fit,) excepit, M. Papirio[b] Atratino,[19] C. Nautio Rutilo consulibus.* Jam fames, quam pestilentia, tristior erat: ni, dimissis circa omnes populos legatis, qui Etruscum mare, quique Tiberim accolunt, ad frumentum mercandum, annonæ foret subventum.[d] Superbe ab Samnitibus, qui Capuam habebant[c] Cumasque, legati prohibiti commercio sunt: contra[e] ea benigne ab Siculorum tyrannis adjuti. Maximos commeatus summo Etruriæ studio Tiberis devexit. Solitudinem in civitate ægra experti consules sunt: cum, in legationes non plus singulis senatoribus invenientes,[20][d] coacti sunt binos equites adjicere. Præterquam ab

[d] *Atrocior jam fames erat quam pestis, nisi inopiæ allatum esset subsidium, legatis per omnes populos Tusci maris, ac Tiberis accolas, ad coëmendum frumentum missis.* [e] *E contrario.*

triendorum tanquam glossema.—19 'Forte del. *Atratino*, quod Sempronionum cognomen est, ut 'Mugillanus' Papiriorum.' *Rupert.* Vid. inf. et Not. Var. —20 'Pro *invenientes* in omnibus edd. vett. usque ad Aldum excusum repe-

NOTÆ

[a] *Defuncta civitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus*] Non placet Godelevæi ex Budæo explicatio, 'cum civitas a morbis liberata esset.' Nullum enim idoneum sensum habet, si quæ sequuntur sic accipias, ut dicas civitatem liberatam a paucis funeribus. Itaque hoc loco *defuncta morbis et funeribus* dicitur, quæ ita hæc mala perpessa est, ut per hæc liberata fuerit a graviori periculo quod ex seditione timebatur. *Defungi* quidem plura habet significata: atque interdum, ubi ad munera refertur, idem fere significat quod Gallice dicimus, *s'acquitter d'une charge*. Sed cum refertur ad pericula et incommoda, idem est quod *par un mal mediocre être quitte, ou s'affranchir d'un plus grand mal que l'on apprehendoit.* Hoc posteriori sensu et hic et alibi usus est *defungendi* verbo Livius: veluti cum lib. II. c. 35. dixit, 'ut unius pœna defungendum esset Patribus.' Ita et Cic. v. in Verr. 'Quis non maximo se affectum beneficio putavit, cum tribus decumis pro una defungeretur,' id est, *quand il étoit quitte en payant trois dismes pour une.*

[b] *M. Papirio*] In pluribus Livii exemplaribus scriptum legebatur, *Papirio Atratino.* Emendavit recte Sigon. variis de causis, præsertim quod *Atratinus* cognomen sit Sempronionum, non Papiriorum; Diodorus autem et Cassiodorus, *M. Papirium* habeant, qui sub M. Papirii Mugillani titulo tribunus militum fuisse dicitur cap. 45. hujus libri.

* A. U. C. 343.

[c] *Samnitibus, qui Capuam habebant*] Samnites Capuam tenebant ex quo eam dolo ceperant. Vide supra c. 37. Iidem cum Capuæ dominarentur, Cumas ceperant Græcam urbem maritimam c. 44. De Cumis dixi lib. II. c. 21.

[d] *Non plus singulis senatoribus inve-*

morbo annonaque, nihil eo biennio intestini externive incommodi fuit. At ubi hæ solicitudines discessere,[1] [e] omnia, quibus turbari solita erat civitas, domi discordia, foris bellum exortum.

53. M'.[2] Æmilio, C. Valerio Potito consulibus,* bellum Æqui parabant: Volscis, quanquam non publico consilio, capessentibus arma, voluntariis mercede secutis militiam.[f] Ad quorum famam hostium (jam enim in Latinum Hernicumque transcenderant agrum) delectum habentem Valerium consulem M. Mænius[g] tribunus plebis,[3] legis agrariæ lator,[f] cum impediret, auxilioque tribuni nemo invitus sacramento diceret;[h] repente nuntiatur, arcem Carventa-

[f] *Paratus ad ferendam legem Agrariam.*

ritur, *inventis;* at nostra lectio in plurimis codd. apud Drak. apparet; profectum τὸ *inventis* haud dubie est ab illis, qui in locutione 'non plus singulis senatoribus' pro, non plus vel plures quam singulos senatores, offenderent; de qua vide Drak. ad lib. XXII. 23. § 6.' *Doering.*—1 Legendum monet J. F. Gronov. *decessere.*

2 Gronov. Doujat. Crevier. *Mamerco.* In Crev. min. *Manio* legitur.—

NOTÆ

nientes] Alii apud Glareanum *inventis*, eodem sensu, nec obscuro. Non ita recte Sigonius, ex nescio quibus libris, *non plus singulis Senatoribus missis invenientes.* Inveniendi quippe fuerant, ante quam mitterentur. Porro ex vetere instituto publici Romanorum nuntii ad exteras nationes cum mandatis ex solo ordine Senatorio mittebantur. Id posterioribus temporibus minus servatum.

[e] *Ubi hæ solicitudines discessere*] Gronovius mavult *decessere:* ut lib. IX. 'priusquam ea cura decederet patribus.' Sed hæc tenuia.

* A. U. C. 344.

[f] *Voluntariis mercede secutis militiam*] *Voluntarium* est quod nullo cogente fit; et *voluntarius* qui sponte et nulla publica auctoritate aliquid suscipit, ut apud Cicer. Philip. XIII. 'Est etiam Asinius quidam Senator voluntarius lectus ipse a se.' Itaque voluntarii milites apud Romanos dicebantur, qui ultro operam suam offerebant, ac sine delectus necessitate, licet non sine mercede, militabant; apud nos hodie voluntarii appellantur, qui sponte et sine mercede militiam sequuntur.

[g] *M. Mænius trib. pl.*] Alias *Menenius.* Verum emendavit Sigonius Gens enim *Menenia* patricia, *Mænia* plebeia.

[h] *Sacramento diceret*] Accipitur *dicere* non raro pro eo quod est *promittere*, aut etiam constituere sive destinare, ex Nonio: cum ergo bis hoc capite, et lib. II. c. 24. lib. XXIV. c. 8. et lib. XXV. c. 5. antiqua loquendi forma, dicuntur milites 'sacramento dicere,' vult Auctor eos jurejurando promittere ac se obstringere, intellige conventuros jussu consulis, nec

nam[i] ab hostibus occupatam esse. Ea ignominia accepta[g] cum apud Patres invidiæ Mænio fuit, tum ceteris tribunis, jam ante præparatis intercessoribus legis agrariæ, præbuit justiorem causam resistendi collegæ. Itaque cum res diu ducta per altercationem esset; consulibus Deos hominesque testantibus, 'quicquid ab hostibus cladis ignominiæque aut jam acceptum esset aut immineret, culpam penes Mænium fore, qui delectum impediret;' Mænio contra vociferante, 'si injusti domini possessione agri publici cederent, se moram delectui non facere;' decreto interposito, novem tribuni sustulerunt certamen; pronuntiaveruntque ex collegii sententia, 'C. Valerio consuli se, damnum aliamque coërcitionem, adversus intercessionem collegæ, delectus causa detrectantibus militiam inhibenti,[4] auxilio futuros esse.'[h] Hoc decreto consul armatus cum paucis, appellantibus tribunum, collum torsisset,[k] metu ceteri sacramento dixere. Ductus exercitus ad Carventanam arcem, quanquam invisus infestusque consuli erat, impigre primo statim

[g] *Acceptum in arce amittenda dedecus, &c.*

[h] *Se contra intercessionem collegæ auxilio futuros consuli irroganti mulctam aliamve pœnam iis qui recusarent ad delectum respondere, ac militare.*

3 Vulg. *M. Menenius.*—4 'Pro *inhibenti*, quidam libri habent *ferenti*, et recte.'

NOTÆ

injussu abituros, &c. ut lib. III. c. 20. Et nihilominus Latine quoque dicitur, 'sacramentum dicere.'

[i] *Arcem Carventanam*] Non procul Urbe videtur hæc fuisse arx; quando quidem ignominiæ assignatur quod amissa fuerit. Sigon. infra ad c. 55. Æquis ascribit. *Carventus* oppidum Latinorum nominatur Stephano Καρούεντος; unde gentile *Carventanus*.

[k] *Collum torsisset*] Reos veteri Romanorum instituto, si in jus vocati non sequerentur, obtorto collo in jus trahi solitos, non ex jurisconsultis modo, sed ex grammaticis quoque notum. Hinc Marcellus Donatus ortum notat antiquum dicendi morem, 'collum obstringere,' vel 'obtorquere,' pro vim inferre, per vim adigere. Et magistratus per lictores suos, aliquando ipsi quoque contumacibus manum injiciebant, in collum invadentes: quod tanquam genus erat, non quidem legitimæ pœnæ, sed extraordinariæ coërcitionis: ut probat Turnebus lib. XXVIII. Adversar. c. 34. Hinc apparet Latinis aliud esse, *collum torquere*, aliud fauces elidere, (quod tamen Gallice dicimus, *tordre le cou*,) cum *torquere* accipiatur tantum pro angere, premere, cruciare.

Collum torsisset] Collo tunicæ arreptum invitum, quasi strangulaturus, traxisset. *J. Clericus.*

adventu, dejectis qui in præsidio erant, arcem recipit. Prædatores, ex præsidio per neglegentiam dilapsi, occasionem aperuere ad invadendum. Prædæ ex assiduis populationibus, quod omnia in locum tutum congesta erant, fuit aliquantum. Venditum sub hasta consul in ærarium redigere quæstores[5] jussit; tum prædicans participem prædæ fore exercitum, cum militiam non abnuisset. Auctæ inde plebis ac militum in consulem iræ. Itaque, cum ex senatus consulto Urbem ovans introiret, alternis inconditi versus[1] militari licentia jactati; quibus consul increpitus, Mænii celebre nomen laudibus fuit, cum ad omnem mentionem tribuni favor circumstantis populi plausuque et accensu cum vocibus militum certaret. Plusque ea res, quam prope solennis militum lascivia in consulem, curæ Patribus injecit. Et tanquam haud dubius inter tribunos militum honos Mænii, si peteret, consularibus comitiis est exclusus.[i]

54. Creati consules sunt Cn. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus iterum.* Non alias ægrius plebs tulit, tribunicia sibi comitia non commissa. Eum dolorem quæstoriis comitiis simul ostendit, et ulta est, tunc primum plebeiis quæstoribus creatis:[m] ita ut, in quatuor creandis,

[i] *Et quasi certum esset fore ut Mænius, si tribunatum militum proximis comitiis peteret, hunc honorem suffragiis populi consequeretur, indicta sunt a consulibus ad eum excludendum comitia non tribunorum ejusmodi, sed consulum creandorum causa.*

Sigon.—5 '*In ærarium redigere quæstores.* Recte. Sed quia duo Mss. *ad quæstores*, suspicio mihi mota, fieri posse, ut τὰ *in ærarium* sint ab interprete, scripseritque Livius: *Venditum sub hasta consul redigere ad quæstores jussit.*'

NOTÆ

[1] *Alternis inconditi versus*] De jocis militaribus, et carminibus triumphantium, sive ad laudem, sive ad vituperationem jactari consuetis, alibi. Hic milites alternis versibus modo Valerium consulem ovantem sibique invisum increpabant, modo Mænium tribunum plebis, gratum in vulgus, laudibus celebrabant, plaudente, et militum cantus æmulante plebe spectatrice.

* A. U. C. 345.

[m] *Tunc primum plebeiis quæstoribus creatis*] Hactenus soli tribuni plebis et ædiles ex plebe; nunc etiam ad quæsturam, qui primus honorum gradus, admissi plebeii, usurpato jure, quod et antea utrique ordini patebat.

uni patricio K. Fabio[6] Ambusto relinqueretur locus; tres plebeii, Q. Silius, P. Ælius, P. Pupius clarissimarum familiarum juvenibus præferrentur. Auctores fuisse tam liberi populo suffragii Icilios accipio, ex familia infestissima Patribus tres in eum annum tribunos plebis creatos, multarum[7 n] magnarumque rerum molem avidissimo adeo[8] populo ostentantes; cum affirmassent, nihil se moturos, si ne quæstoriis quidem comitiis, quæ sola promiscua plebi Patribusque reliquisset senatus, satis animi populo esset ad id, quod tamdiu vellent, et per leges liceret. Pro ingenti itaque victoria id fuit plebi: quæsturamque eam[o] non honoris ipsius fine æstimabant;[9] sed patefactus ad consulatum ac triumphos locus novis hominibus videbatur. Patres contra[p] non pro communicatis, sed pro amissis honoribus, fremere; negare, ‘ Si ea ita sint, liberos tol-

J. F. Gronov.—6 ‘ Ex Capitolino hujus tribunatu *N. Fabio* est scribendum.’ *Sigon.*—7 Vulg. *trib. pl. creatos. Hi multarum.*—1 ‘ Pro *adeo* eleganter conjecit Grævius, *ad ea.*’ Doering.—9 ‘ *Quæsturamque non honoris ipsius finem æstimabant.* Incassum Sigonius, *quæsturam namque.* Bene Rhenanus *eam* addit, quod et Mss. nostri faciunt et Campanus. Sed et litera tollenda una: *quæsturamque eam non honoris ipsius fine æstimabant.*’ J. F. Gronov.

NOTÆ

[n] *Tribunos plebis creatos, multarum*] Ita Rhenanus, non sine veterum et scriptorum et editorum auctoritate. Sigonius pronuntiat tollendam vocem *Hi*, quæ in quibusdam libris desideratur; aut orationem inconsequentem futuram. Quod quidem nemo non videt; nisi pro participio *ostentantes*, scribas *ostentarunt*. Sed plane satius est, deleto eo vocabulo, Sigonii et Gronovii lectioni inhærere: quamvis sic longior paulo periodus fiat.

[o] *Quæsturamque eam*] Sigonio melior visa antiqua lectio *quæsturam namque non honoris*. Rectius ex Gronovii sententia: *quæsturamque eam non honoris*. Mihi non magis necessarium videtur pronomen *eam*, quam particula *namque*. Neque enim plura quæsturæ, qua de agitur, genera erant, ut una præ alia æstimanda veniret. In eo nemo non, opinor, Gronovio adhærebit, quod *fine* mavult, quam *finem*: ut sit, *quæsturamque non honoris ipsius fine æstimabant*, id est, non ex auctoritate, sive ex modo et mensura sola illius muneris, quod exiguis finibus concludebatur, sed ex consequentibus æstimabant; quod per hanc minorem dignitatem plebeiis mandatam via ad summos honores imposterum aperta videretur.

[p] *Patres contra*] Senatores non tam de hac dignitate plebi communicata dolebant, quam de majoribus dignitatibus hoc exemplo sibi ereptis, aut eripiendis.

lendos esse; qui pulsi majorum loco, cernentesque alios in possessione dignitatis suæ, Salii Flaminesque, nusquam alio, quam ad sacrificandum pro populo, sine imperiis ac potestatibus relinquantur.' Irritatis utriusque partis animis, cum et spiritus plebes sumsisset, et tres ad popularem causam celeberrimi nominis haberet duces; Patres omnia quæstoriis comitiis, ubi utrumque plebi liceret, similia fore cernentes, tendere ad consulum comitia, quæ nondum promiscua essent. Icilii contra tribunos militum creandos dicere, et tandem aliquando impartiendos plebi honores.

55. Sed nulla erat consularis actio, quam impediendo,[q] id, quod petebant, exprimerent: cum mira opportunitate, Volscos et Æquos prædatum extra fines exisse in agrum Latinum Hernicumque, affertur. Ad quod bellum ubi ex senatus consulto consules delectum habere occipiunt; obstare tunc enixe tribuni, sibi plebique eam fortunam oblatam memorantes. Tres erant, et omnes acerrimi viri, generosique jam,[10] ut inter plebeios. Duo, singuli singulos, sibi consules asservandos assidua opera desumunt:[k] uni concionibus data nunc detinenda, nunc concienda, plebs.[l] Nec delectum consules, nec comitia, quæ petebant, tribuni expediebant. Inclinante deinde se[11] fortuna ad causam plebis, nuntii veniunt, arcem Carventanam,[r] dilapsis ad prædam militibus, qui in præsidio erant, Æquos, interfectis paucis custodibus arcis, invasisse. Alios recurrentes in

[k] *Duo, ex tribus Iciliis, consules comitatu assiduo quasi custodiendos, ac velut in vinculis habendos, susceperunt.*

[l] *Tertio horum Iciliorum commissa est cura plebis per conciones modo detinendæ, modo concitandæ.*

10 *Etiam* Edd. ab Ald. ad Crevier.—11 *Se* del. Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[q] *Nulla erat consularis actio, quam impediendo*] Nomine *consularis actionis* intelligitur actus publicus consulis: delectus puta, bellum, et similia quæ consules absque plebis auxilio perficere nequibant. Ut infra 'actio tribunicia' dicitur actus tribunorum plebis.

[r] *Arcem Carventanam*] Vide supra c. 53.

arcem, alios palantes in agris cæsos. Ea adversa civitati res vires tribuniciæ actioni adjecit. Nequicquam enim tentati, ut tum denique desisterent impediendo bello, postquam non cessere nec publicæ tempestati, nec suæ invidiæ,[m] pervincunt, ut senatus consultum fiat de tribunis militum creandis: certo tamen pacto, ne cujus ratio haberetur, qui eo anno tribunus plebis esset: neve quis reficeretur in annum[12] tribunus[s] plebis; haud dubie Icilios denotante senatu, quos mercedem seditiosi tribunatus petere consulatum[13] insimulabant. Tum delectus haberi, bellumque omnium ordinum consensu apparari cœptum. Consules ambo[14] profecti sint ad arcem Carventanam, an alter ad comitia habenda substiterit, incertum diversi auctores faciunt: illa pro certo habenda, in quibus non dissentiunt, ab arce Carventana, cum diu nequicquam oppugnata esset, recessum: Verruginem in Volscis[t] eodem exercitu receptam, populationesque et prædas et in Æquis et in Volsco agro ingentes factas.

56. Romæ sicut plebis victoria fuit in eo, ut, quæ mallent, comitia haberent;[n] ita eventu comitiorum Patres vicere: namque tribuni militum consulari potestate contra

[m] *Invictos se præbuere adversus periculum publicum ex bello, atque adversus odium in se concitatum ex impedito delectu.*

[n] *Ut comitia tribunorum militarium, quæ volebat plebs, potius haberentur, quam consularia, quæ senatui magis placebant.*

—12 Vett. aliquot libb. apud Sigon. *reficeretur in annum sequentem.*—13 Suspicatur Crevierius mendum in voce *consulatum* latere, et ejus loco legendum fortasse esse: *consularem*, sc. tribunatum.—14 Vett. libri quidam ap. Sigon. *Ceterum consulum ambo.*

NOTÆ

[s] *Neve quis reficeretur in annum tribunus*] Veteres quidam apud Sigonium libri *in annum sequentem;* sed nihil opus addi *sequentem*, ut exemplis Gronovius probat. Quoties enim prorogatum in annum imperium dicitur, non intelligitur alius quam sequens.

[t] *Verruginem in Volscis*] Vide lib. hujus c. 1. ubi hoc oppidum a Romanis munitum memoratur. Quando amissum sit, ut hoc anno recipiendum fuerit, non apparet. Quod autem de minus prospero C. Sempronii Atratini ad Verruginem prælio narrat Valer. Max. lib. III. c. 2. referendum est ad an. U. C. 331. et a Nostro describitur supra c. 37. et 38.

spem omnium tres patricii creati sunt, C. Julius Julus,[15] P. Cornelius Cossus, C. Servilius Ahala.* Artem adhibitam ferunt a patriciis, (cujus eos Icilii tum quoque insimulabant,) quod turbam indignorum candidatorum intermiscendo dignis,[u] tædio sordium in quibusdam insignium, populum a plebeiis avertissent.[16] Volscos deinde et Æquos, seu Carventana arx retenta in spem, seu Verrugine amissum præsidium ad iram compulisset,[17] [o] fama affertur summa vi ad bellum coortos: caput rerum Antiates esse:[x] eorum legatos utriusque gentis populos circumisse, castigantes ignaviam, quod, abditi intra muros, populabundos in agris vagari Romanos priore anno, et opprimi Verruginis præsidium, passi essent. Jam non exercitus modo armatos, sed colonias etiam, in suos fines mitti: nec ipsos modo Romanos sua divisa habere,[18] [p] sed Ferentinum etiam

[o] *Cum impulsi essent, sive in spem rei bene gerendæ ob retentam in possessione sua Carventanam arcem, sive in iram ob præsidium apud Verruginem amissum.*
[p] *Romanos divisas inter se possidere res Volscorum et Æquorum.*

15 Vulg. *C. Julius Tullus.*—16 'Alii libri ita habent: alii pro *insignium* habent *inscium:* ego autem utramque vocem retinendam esse puto, ut legatur *tædio sordium in quibusdam insignium inscium populum a plebeiis avertissent.*' Sigon.—17 Vulg. *cum impulisset.* Gronov. *compulisse.*—18 *Sua divisui habere*

NOTÆ

* A. U. C. 346.

[u] *Quod turbam indignorum candidatorum intermiscendo dignis*] Itane candidati, præsertim plebeii, pendebant a patriciis, ut iis inconsultis nemo honores peteret? Nam si proprio quisque arbitrio petitionem profiteri potuit, non apparet quæ fraus a patriciis potuerit adhiberi. Sed meminisse oportet, quamvis omnibus liceret magistratum ambire, et populo in veste candida supplicare; ne tamen indignis, aut contra leges mandarentur honores, necesse fuisse ut ante comitiorum diem candidati sua nomina ederent apud eum magistratum qui comitia erat habiturus: sicque candidatorum causas a magistratibus et senatu considerari solitas: quorum judicio aliorum nomina recipiebantur, aliorum rejiciebantur; adeo ut si qui eorum consilio decretove publico exclusi essent, eorum nulla ratio haberetur; eosque populus, vel si maxime vellet, creare nequiret.

[x] *Caput rerum Antiates esse*] Intelligit Antiates præcipuos belli auctores atque incentores. *Caput* enim per metaphoram dicitur id unde quæque res oritur atque incipit; aut quo maxime quidque nititur. Sic apud Tacitum, 'non omittere caput rerum,' pro non discedere ab urbe unde in omnia regimen.

de se captum Hernicis donasse. Ad hæc cum inflammarentur animi, ut ad quosque ventum erat, numerus juniorum conscribebatur.[q] Ita omnium populorum juventus Antium contracta, ibi castris positis hostem opperiebantur. Quæ ubi tumultu majore etiam, quam res erat, nuntiantur Romam, senatus extemplo (quod in rebus trepidis ultimum consilium erat) dictatorem dici jussit. Quam rem ægre passos Julium Corneliumque ferunt; magnoque certamine animorum rem actam; cum primores Patrum, nequicquam conquesti, non esse in auctoritate senatus tribunos militum, postremo etiam tribunos plebei appellarent, et consulibus quoque[y] ab ea potestate vim super tali re inhibitam referrent; tribuni plebei, læti discordia Patrum, nihil esse in his auxilii dicerent, qui non civium,[19 z] non denique hominum numero essent; si quando promiscui honores, communicata res publica esset, tum se animadversuros, ne qua, superbia magistratuum, irrita senatus consulta essent; interim patricii, soluti legum magistratuumque verecundia, per se quoque tribuniciam potestatem agerent.

57. Hæc contentio minime idoneo tempore, cum tantum belli in manibus esset,[a] occupaverat cogitationes hominum:

[q] *Postquam legati ad unamquamque civitatem venerant, statim in ea juvenes in militiam certo numero conscribebantur.*

malebat J. F. Gronov.—19 Vid. Not. Var.

NOTÆ

[y] *Et consulibus* [*coss.*] *quoque*] Ita abbreviate Wormaciensis codex apud Rhenanum, qui legi posse putat *et consulum:* Glareanus et vulgati *et consulis:* melius *consulibus* in dandi casu, ut Gronov. Vult enim Livius eis aliquando vim adhibitam fuisse a tribunis plebis in causa non absimili. Sic quippe *inhibendi* verbum a Livio plerumque accipi, jam sæpius observavimus. Ceterum T. Quintium Pennum consulem anni 324. seu 323. hoc loco innuit. Is etenim dictatorem ex Senatusconsulto dicere coactus fuerat a tribunis plebis. Supra cap. 26.

[z] *Qui non civium*] Ironia est tribunorum plebis, non quod ipsi de se sentirent proferentium, sed quod Senatus de illis, quoties habenda essent consularia comitia, sentire videretur, exprobrantium; eaque de causa nihil a se auxilii patribus expectandum.

[a] *Cum tantum belli in manibus esset*] 'In manibus esse' dicitur quod tractatur, quod agendum instat, nec moram patitur.

donec, ubi diu alternis Julius Corneliusque, 'cum ad id bellum ipsi satis idonei duces essent, non esse æquum, mandatum sibi a populo eripi honorem,' disseruere; tum Ahala Servilius tribunus militum, 'Tacuisse se[20] tamdiu,' ait, 'non quia incertus sententiæ fuerit, (quem enim bonum civem secernere sua a publicis consilia?) sed quia maluerit, collegas sua sponte cedere auctoritati senatus, quam tribuniciam potestatem adversus se implorari paterentur. Tum quoque, si res sineret, libenter se daturum tempus iis fuisse ad receptum nimis pertinacis sententiæ.[1 r] Sed, cum belli necessitates non expectent humana consilia, potiorem sibi collegarum gratia rem publicam fore: et, si maneat in sententia senatus, dictatorem nocte proxima dicturum:[b] ac, si quis intercedat senatus consulto, auctoritate[2] se fore contentum.'[c] Quo facto

[r] *Ut recederent a sententia nimis pertinaci, ac reciperent se ad meliorem.*

20 *Se* a multis Mss. abest prob. Gronov.—1 Conj. Rupert. *ad receptum a*

NOTÆ

[b] *Dictatorem nocte proxima dicturum*] Nocte, ut in re urgente: quod et antea factum anno 296. a C. Nautio consule, cum L. Quintius Cincinnatus dictator dictus est. Dionys. Halicarn. l. x.

[c] *Ac, si quis intercedat senatusconsulto, auctoritate se fore contentum*] Vulgo legebatur: *Si quis intercedat, Senatusconsulti auctoritate, &c.* Melius Sigonius: *Si quis intercedat Senatusconsulto, auctoritate se fore contentum.* Aliud enim est *Senatusconsultum*, aliud *auctoritas* Senatus. Ad *consultum* requirebatur Senatorum legitime convocatorum consensus; ita ut nemo intercederet. Quodsi aut non legitimo edicto, (ab eo forte magistratu qui ejus rei potestatem non haberet,) aut loco minus legitimo, aut non idoneo die Senatus esset convocatus, sive intercessisset aliquis trib. plebis; scitum illud Senatus perscribebatur quidem, ut Senatus ea de re voluntas et judicium extaret; non tamen dicebatur Senatusconsultum; nec perfectum ratumque omnino habebatur decretum; sed *auctoritatis* nomine vocabatur quæ ad populi comitia referri poterat, ab eo confirmanda. Quod ex Dione Cassio lib. LV. ex Cœlii apud Ciceronem, ipsiusque Ciceronis ad Lentulum epist. lib. I. probat Sigon. Unde patet discrimen dictatoris ex Senatusconsulto facti, et ejus qui ex auctoritate Senatus creabatur. Nunc autem auctoritas sufficere videbatur, quando tribunis plebis rem probantibus, intelligi poterat per eos plebs universa Senatui assentiri. Quare illud *si quis intercedat*, ad collegas, sive alios ordinis Senatorii potius, quam ad tribunos plebis, referendum arbitror.

cum haud immeritam laudem gratiamque apud omnes tulisset, dictatore P. Cornelio dicto, ipse ab eo magister equitum creatus exemplo[3] fuit collegas eumque intuentibus,[d] quam gratia atque honos opportuniora interdum non cupientibus essent.[s] Bellum haud memorabile fuit. Uno atque eo facili prælio cæsi ad Antium hostes. Victor exercitus depopulatus Volscum agrum. Castellum ad lacum Fucinum[e] vi expugnatum: atque in eo tria millia hominum capta, ceteris Volscis intra mœnia compulsis, nec defendentibus agros. Dictator, bello ita gesto, ut tantum non defuisse fortunæ videretur, felicitate, quam gloria, major[4] in Urbem rediit, magistratuque se abdicavit. Tribuni militum, mentione nulla comitiorum consularium

[s] *Quanto facilius aliquando non cupientibus se offerrent favor publicus ac dignitates, quam ambientibus.*

nimis pertinaci sententia.—2 Vid. inf. et Not. Var.—3 Vulg. *magister equitum creatus est. Exemplo.*—4 ' *Felicitate quam gloria majore.* Sic malim cum Sigon.

NOTÆ

[d] *Magister equitum creatus exemplo fuit collegas eumque intuentibus*] Ita legendum ex Mss. censet Gronov. Non enim, inquit, exemplo fuit collegis haud dubie malignis, sed illis qui utrosque compararent, et ex utrorumque facto documentum caperent. Posset tamen quis defendere, Servilium Ahalam collegis exemplo et documento fuisse, C. Julio præsertim, ne imposterum contra Senatus auctoritatem pertinacius contenderet; utque honorem expectaret potius quam nimis ambitiose expeteret.

[e] *Castellum ad lacum Fucinum*] In Marsis est Fucinus lacus, auctore Plin. Eum impermixtus permeat amnis e Pelignis montibus ortus, quem Pitonium dictum ostendit Cluver. Hodieque is lacus ibidem pristinum servat nomen; dicitur enim *Lago Fucino:* etsi plurimum ab oppido juxta sito cognominatur *Lago di Celano.* Quod ad hunc Nostri locum attinet, negotium facessere potest, quod, ut Glarean. advertit, in Volscis Fucinum ponere videtur, cum reliqui Marsis ascribant. Sed Fucinum ille Volscis aperte non tribuit. Potuere enim Castelli ejus incolæ, Marsi Volscis confines, Romano exercitui vicina depopulanti occasionem aliquam præbere arma in eos vertendi. Præterea cum ea sit Fucini lacus natura ut interdum usque ad montana impleatur, et aliquando ad quinque passuum millia exundet, facile potuit Castellum in extremis Volscorum finibus situm dici ad lacum. Atque hæc natura ad hoc usque ævum lacui mansit, qui suis ripis quando non exundat, triginta passuum millia colligit. Ab his autem versus meridiem ripis vix quinque milliaribus distant extrema Volscorum qua orientalem eorum regionem Liris ingreditur.

habita, (credo ob iram dictatoris creati,) tribunorum militum comitia edixerunt. Tum vero gravior cura Patribus incessit; quippe cum prodi causam ab suis cernerent. Itaque sicut priore anno per indignissimos ex plebeiis candidatos omnium, etiam dignorum, tædium fecerant; sic tum, primoribus Patrem splendore gratiaque ad petendum præparatis, omnia loca obtinuere; ne cui plebeio aditus esset. Quatuor creati sunt, omnes jam functi eo [5] honore, L. Furius Medullinus,[6] C. Valerius Potitus, N. Fabius Vibulanus,[7] C. Servilius Ahala:* hic refectus continuato honore, cum ob alias virtutes, tum ob recentem favorem unica moderatione partum.

58. Eo anno, quia tempus induciarum cum Veienti populo exierat, per legatos fetialesque res repeti cœptæ. Quibus venientibus ad finem legatio Veientium obviam fuit.[t] Petiere, ne prius, quam ipsi senatum Romanum adissent, Veios iretur. Ab senatu impetratum, quia discordia intestina laborarent Veientes, ne res ab iis repeterentur. Tantum afuit, ut ex incommodo alieno sua occasio peteretur.[u] Et in Volscis accepta clades, amisso Verrugine præsidio.[x] Ubi tantum in tempore fuit momenti, ut, cum precantibus opem militibus, qui ibi a Volscis obsidebantur, succurri, si maturatum esset, potuisset, ad id venerit exercitus subsidio missus, ut ab recenti cæde palati ad prædandum hostes opprimerentur. Tarditatis causa in senatu magis fuit, quam in tribunis:[8] qui, quia summa[f] vi restare nuntiabantur,[y] [9] parum cogitave-

[t] *Legatis Romanorum, ad fines Veientium appropinquantibus, obviam fuere legati Veientium.*

[u] *Ut Romani occasionem rei bene gerendæ captarent ex aliorum incommodo: discordia nempe Veientium.*

[x] *Amissis militibus qui apud Verruginem oppidum in præsidio erant.*

[y] *Quoniam nuntii affirmabant milites, Verrugine obsessos, fortissime resistere.*

quam, ut vulgo, *felicitate quam gloria major.*' Doujat.—5 ' Forte del. τὸ *eo*, quod abest a x. Mss. et edd. antt. ante Ald.' *Drak.*—6 Vulg. *L. Curtius Medullinus tertium.*—7 Vulg. *Cn. Fabius Vibulanus.*

8 Vulg. *quam tribunis.*—9 Vulg. *resistere nuntiabantur:* conj. Rupert. *restari:*

NOTÆ

* A. U. C. 347.

[f] *Qui, quia summa, &c.*] Relativum

runt, nulla virtute superari humanarum virium modum.[z g] Fortissimi milites non tamen, nec vivi, nec post mortem, inulti fuere.[h] Insequenti anno, P. et Cn. Corneliis Cossis, N. Fabio Ambusto,[10] L. Valerio Potito * tribunis militum consulari potestate, Veiens bellum motum ob superbum responsum Veientis senatus; qui legatis repetentibus res, ni facesserent propere urbe finibusque, daturos, quod Lars[11] Tolumnius dedisset,[i] responderi jussit. Id Patres ægre passi decrevere, ut tribuni militum de bello indicendo Veientibus primo quoque die ad populum ferrent. Quod ubi primo promulgatum est, fremere juventus, 'Nondum debellatum cum Volscis esse: modo duo præsidia occidione occisa,[k] et cum periculo retineri. Nullum annum esse, quo non acie dimicetur: et, tanquam pœniteat laboris,[a] novum bellum cum finitimo populo et potentissi-

[z] *Non satis animadverterunt Senatores, certam esse virium humanarum mensuram, ultra quam nulla virtus eniti possit.*
[a] *Quasi non satis laborum esse videatur.*

illud *qui* deleri malebat J. F. Gronov. et *nimiarum* pro *humanarum* conj. Faber. Vid. Not. Var.—10 Vulg. *Cn. Fabio Ambusto.*—11 Vett. libb. *Lar*, et ita

NOTÆ

qui pertinere non potest nisi ad tribunos militum: at quod sequitur verbum *cogitaverunt* respicit Senatum, seu patres, non tribunos, qui ab hac culpa excusantur. Libens itaque secundum Gronovium deleverim illud *qui:* sine illo quippe constat oratio, nec habet quicquam ambigui.

Qui, quia summa, &c.] J. F. Gronovius delet *qui*, et sic distinguit: *in tribunis. Quia summa vi restare nuntiabantur* (milites), *parum cogitaverunt* (Patres) *nulla, &c.* Forte *cogitaverunt* in *cogitavit* mutandum. Pro *nulla virtute* in sequentibus libenter legerem *multitudine.* J. Clericus.

[g] *Humanarum virium modum*] Legit Tanaq. Faber *nimiarum virium modum.* Sed quod nimium est, modum non habet.

[h] *Nec vivi, nec post mortem, inulti fuere*] Vivi enim mortem ipsi suam ulcisci anteverterant, multis inter pugnandum cæsis hostibus: deinde ipsorum necem adhuc vindicavit, cum palantes Volscos oppressit, Romanus exercitus.

* A. U. C. 348.

[i] *Daturos, quod Lars Tolumnius dedisset*] Id est, mortem, qualem legatis populi Romani Fidenatos intulerant jussu Lartis Tolumnii: ut supra cap. 17.

[k] *Duo præsidia occidione occisa*] Opinor apud arcem Carventanam ab Æquis, et apud Verruginem bis a Volscis. Vide hujus lib. cap. 55. et 58.

mo parari, qui omnem Etruriam sit concitaturus.' Hæc sua sponte agitata. Insuper tribuni plebis accendunt: 'Maximum bellum Patribus cum plebe esse' dictitant: 'eam de industria vexandam militia trucidandamque hostibus objici: eam procul Urbe haberi atque ablegari, ne domi per otium memor libertatis coloniarumque, aut agri publici, aut suffragii libere ferendi consilia agitet:' prensantesque[12] veteranos, stipendia cujusque et vulnera ac cicatrices numerabant: 'quid jam integri esse in corpore loci ad nova vulnera accipienda? quid super[13] sanguinis, qui dari pro re publica posset?' rogitantes. Hæc cum in sermonibus concionibusque interdum agitantes avertissent plebem ab suscipiendo bello, profertur tempus ferundæ[14] legis;[1] quam, si subjecta invidiæ esset, antiquari apparebat.[b]

59. Interim tribunos militum in Volscum agrum ducere exercitum placuit. Cn. Cornelius unus Romæ relictus. Tres tribuni, postquam nullo loco castra Volscorum esse, nec commissuros se prælio apparuit, tripartito ad devastandos fines discessere. Valerius Antium petit, Cornelius Ecetras: quacumque incessere, late populati sunt tecta agrosque, ut distinerent Volscos: Fabius, quod maxime petebatur, ad Anxur oppugnandum sine ulla populatione accessit. Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt;[m] urbs

[b] *Quam legem, de bello Veientibus inferendo, abrogatum iri constabat, si suffragiis plebis, tum offensæ atque invidia commotæ, supposita fuisset.*

scribendum monent Sigon. et Rupert.—12 Vulg. *præhensantesque.*—13 'All. *superesse;* sed τὸ *super* pro *superesse*, tam librorum Mss. quam similium exemplorum auctoritate, Livio vindicant interpretes.' *Doering.*—14 *Ferendæ* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[1] *Profertur tempus ferundæ legis*] Dubitat Glarean. de qua lege loquatur, an de agraria, an de consule ex plebe creando. Melius Sigon. legem intelligit de bello Veientibus indicendo: quam sententiam sibi Gronov. vindicat. Et vero paulo ante decreverant patres 'ut tribuni militum de bello indicendo Veientibus primo quoque die ad populum ferrent.' At placata deinde plebe, ac stipendiis de publico constitutis, dicitur cap. seq. 'Lex perlata de indicendo Veientibus bello.'

[m] *Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt*] *Anxur* non ex Græca origine

prona in paludes. Ab ea parte Fabius oppugnationem ostendit. Circummissæ quatuor cohortes cum C. Servilio Ahala cum imminentem urbi collem cepissent; ex loco altiore, qua nullum erat præsidium, ingenti clamore ac tumultu mœnia invasere. Ad quem tumultum obstupefacti, qui adversus Fabium urbem infimam tuebantur, locum dedere scalas admovendi; plenaque hostium cuncta erant, et immitis diu[15] cædes pariter fugientium ac resistentium armatorum atque inermium fuit. Cogebantur itaque victi, quia cedentibus spei nihil erat, pugnam inire: cum pronuntiatum repente, ne quis præter armatos violaretur, reliquam omnem multitudinem voluntariam exuit armis:[c] quorum ad duo millia et quingenti[n] vivi capiuntur.[16] A cetera præda Fabius militem abstinuit, donec collegæ venirent: ab illis quoque exercitibus captum Anxur dictitans esse, qui ceteros Volscos a præsidio ejus loci avertissent. Qui ubi venerunt, oppidum vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuere. Eaque primum benignitas imperatorum[o] plebem Patribus conciliavit. Additum deinde omnium maxime tempestivo principum in multitudinem munere,[17] [p] ut ante mentionem ul-

[c] *Cum esset palam edictum a Romano duce, ne ullus offenderetur præter eos qui in armis essent, ea vox effecit ut reliqua multitudo arma ultro abjecerit.*

15 *Et in muris diu* Edd. ant. Crevier.—16 Legendum monet Tan. Faber *ad duo millia et quingentos v. c.*—17 ' *Tempestivum...munus* in aliquot Mss. quod facilius est, sed emendationem redolet.' *Rupert.* Vid. Not. Var.

NOTÆ

deducto nomine, ut vult Servius, quod ibi Jupiter puer, et ἄνευ ξύρου, id est, ' sine novacula,' coleretur; sed Volscorum lingua sic vocabatur ex Plin. lib. III. c. 5. postea Romanis *Tarracinæ*, vel numero singulari *Tarracina*, quod nomen etiamnum retinet, ultra Circeium promontorium, ad Ufentis fere fl. ostium, in præcipiti montis candidi scopulo: unde Græcam ipsi natam appellationem Strabo ait, ut primum Τραχινὴ nominaretur, id est, aspera.

[n] *Ad duo millia et quingenti*] Qui legendum putant, *ad duo millia et quingentos, vivi capiuntur*, Grammaticæ regulis inhærent. Sed nihil vetat quo minus *quingenti* ad nomen sequens *vivi* referatur: quasi dicas *ad duo millia, et* præterea *quingenti*.

[o] *Eaque primum benignitas imperatorum*] Præda nempe oppidi capti militibus, qui fere plebeii, concessa a tribunis militum, qui patricii; quod jamdiu minus usitatum.

[p] *Maxime tempestivo principum in*

lam plebis tribunorumve decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet,[q] cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.

LX. Nihil acceptum unquam a plebe tanto gaudio traditur. Concursum itaque ad curiam esse, prensatasque exeuntium manus, et Patres vere appellatos; effectum esse fatentibus, ut nemo pro tam munifica patria, donec quicquam virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret. Cum commoditas juvaret,[r] rem familiarem sal-

NOTÆ

multitudinem munere] Loquitur de stipendio tunc primum militibus erogato, cum antea suis quisque sumtibus militaret. Fuit hoc principum civitatis munus in multitudinem haud mediocre. Licet enim ex ærario præstaretur: tamen et Senatus illud ultro decrevit; et quibus maximus erat census, ii plurimum conferebant in ærarium, principes nimirum Senatus: quod in fine hujus capitis describitur. Fuit præterea maxime tempestivum, utpote instante gravissimo in Veientes bello, quod juventus plebeia incendentibus tribunis præfracte detrectabat, uti supra cap. prox. dictum. Nec vero prima hæc Patrum in plebem liberalitas extitit: quandoquidem sæpius et levata illorum beneficio annona, et divisi sæpius agri, nec raro concessa ex hostibus præda. Quare non immerito Gronovius a Sigonio, meliorum codicum et editionum auctoritate, discedit, legente, *maxime tempestive principium in multitudinem munerum.*

q *Stipendium miles de publico acciperet*] Militis nomine *pedites* intelliguntur. Qui plus trecentis annis sine stipendio militaverant, nunc Anxure capto stipendium de publico acceperunt: equites non statim eodem tempore, sed bello Veiente post tertium abhinc annum lib. v. c. 7. Ceterum diurnum peditis stipendium tempore Punici belli 2. obolos duos Polybius statuit, id est, drachmæ tertiam partem, id est, asses, qui tunc ad semunciam redacti, tres: centurioni duplex, equiti triplex stipendium assignatum. Postea pediti decem asses ab Augusto dati, non plenus denarius, qui sedecim assibus æstimatus. Qua ratione sex asses nostrates non excesserit sub Augusto diurnum stipendium. Sed præter pecuniam admensa progressu temporis annona, addita et aliquamdiu vestis: quibus nonnunquam præda captarum urbium, sæpe etiam post victoriam donativa accedebant. Hoc autem tempore quo primum Romani milites stipendium acceperunt, cum æs grave sive asses librales in usu essent, longe uberiori mercede merebant: nisi quod postea parem usum præstitere asses leviores.

r *Cum commoditas juvaret*] Pro desperato jamdudum est hic locus. Certe mirum in modum vexatus a criticis, Lipsio, Fabro, aliis. Plana tamen erit sententia, si particulam *cum* opponas particulæ *tum*: ut sit *cum commoditas* stipendii plebeios *juvabat* seu *juvaret*, (perinde enim est,) *tum* illud etiam juvabat, *quod ultro esset oblatum:* ut vidit, et late probat Gronov. Sic enim cuivis apparebit duas a Livio afferri causas, cur id beneficii tanto gaudio plebeii excepissent. Altera,

tem aquiescere[s] eo tempore,[18] quo corpus addictum atque operatum rei publicæ esset; tum, quod ultro sibi oblatum esset, non a tribunis plebis unquam agitatum, non suis sermonibus efflagitatum, id efficiebat multiplex gaudium cumulatioremque gratiam rei.[19] Tribuni plebis, communis ordinum lætitiæ concordiæque soli expertes, negare, [t]Tam id lætum Patribus universis nec prosperum fore,[t] quam ipsi crederent. Consilium specie prima melius fuisse, quam usu appariturum. Unde enim eam pecuniam confici posse, nisi tributo populo indicto? ex alieno igitur aliis largitos. Neque, id etiamsi ceteri ferant, passuros eos, quibus jam emerita stipendia essent, meliore conditione alios militare, quam ipsi militassent; et eosdem in sua stipendia impensas fecisse, et in aliorum facere.' His vocibus moverunt partem plebis. Postremo, indicto jam tributo, edixerunt etiam tribuni, auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non contulisset. Patres bene cœptam rem perseveranter tueri: conferre ipsi primi: et, quia nondum argentum signatum erat,[u] æs grave plaustris quidam ad ærarium[x] convehentes,

18 Vulg. *cum commoda ita juvarent, rem familiarem saltem acquiescere eo tempore.* Legit Tan. Faber, *cum commodis suis ita servirent, ut res familiaris saltem acquiesceret.* Lipsius, *cum commoda ita juvaret: rem familiarem saltem accres-*

NOTÆ

quod eos ipsa *rei commoditas juvaret*, ac delectaret accipientes, in eo posita quod res familiaris saltem interquiesceret eo tempore, &c. Altera, quod non petentibus oblatum esset commodum illud.

[s] *Rem familiarem saltem acquiescere*] Id cogitabat plebs, quamdiu militaret sumtibus publicis, interim rei cujusque familiari parci. Est enim hic *acquiescere* idem quod *quiescere;* et figurate, tranquille se habere, laxamenti quid accipere, non fatigari.

[t] *Negare, Tam id lætum Patribus universis nec prosperum fore*] Nonne melius, *aut prosperum fore?* Cur enim negandi particula *nec* adjungitur nomini *prosperum*, cum similis particula *non* addita nequaquam fuerit priori nomini *lætum?* Inclusa nempe fuerat negatio præcedenti verbo *negare:* est enim *dicere non tam id lætum, &c.*

[u] *Quia nondum argentum signatum erat*] Signari enim argentum cœpit an. U. C. 585. Q. Fabio consule, quinque annis ante primum bellum Punicum, teste Plinio lib. XXXIII. cap. 3.

[x] *Æs grave plaustris quidam ad ærarium*] Ab hoc ære gravi milites æra mereri dicebantur, atque inde natum ærarii quoque vocabulum. Æs autem grave, licet pro rudi atque informi sæpe accipiatur, sumitur tamen etiam

speciosam etiam collationem faciebant. Cum senatus summa fide ex censu contulisset, primores plebis, nobilium amici, ex composito conferre incipiunt. Quos cum et a Patribus collaudari, et a militari ætate tanquam bonos cives conspici vulgus hominum vidit,[20] repente, spreto tribunicio auxilio, certamen conferendi est ortum. Et, lege perlata de indicendo Veientibus bello, exercitum magna ex parte voluntarium novi tribuni militum consulari potestate Veios duxere.

61. Fuere autem tribuni[1] [y] T. Quintius Capitolinus,[z] Q. Quintius Cincinnatus,[2] C. Julius Julus[3] iterum, A. Manlius,[4] L. Furius Medullinus tertium,[5] M'. Æmilius Mamercinus.[6] Ab his primum circumsessi Veii sunt; sub cujus initium obsidionis cum Etruscorum concilium ad fanum Voltumnæ[a] frequenter habitum esset, parum constitit, bellone publico gentis universæ tuendi Veientes essent. Ea oppugnatio segnior insequenti anno fuit, parte tribunorum exercitusque ad Volscum avocata bellum. Tribunos militum consulari potestate is annus habuit C. Valerium Potitum tertium, M'. Sergium Fidenatem, P. Cornelium Maluginensem, Cn. Cornelium Cossum, K. Fabium Ambustum, Sp. Nautium Rutilum iterum.* Cum Volscis inter

cere. Vid. Not. Var.—19 Quidam codd. ignorant vocabulum *rei.*—20 'Pro *vidit* Bauer. conj. *vidisset*, aut *ubi* pro *cum.* Neutrum necesse.' *Rupert.*

1 Vid. Not. inf.—2 *P. Quintius Cincinnatus* Gronov. Doujat. Crevier.—3 Vulg. *C. Julius Tullus.*—4 Vulg. *A. Manilius.*—5 *Medullinus iterum* Grut.

NOTÆ

pro signato, ut hic. Nam ære signato utebantur Romani a Servii Tullii regis 6. temporibus. Sed quia, ubi paulo major summa solvenda erat, non numerabantur, sed appendebantur ærei nummi, idcirco *æs grave* appellabatur, auctore Marcello Donato.

[y] *Fuere autem tribuni*] Adjectum hunc centonem suspicatur non improbabiliter Gronovius: Livium autem dedisse uno tenore, *novi tribuni militum consulari potestate Veios duxere, T. Quintius Capitolinus, &c.*

[z] *T. Quintius Capitolinus, &c.*] Tribunos militum sex, hic annus 349. habuit, quo numero creari cautum fuerat cum primum de tribunis militum consulari potestate actum fuerat, auctore Dionysio lib. XI.

[a] *Ad fanum Voltumnæ*] De hoc loco vide notata ad cap. 23. et 25.

* A. U. C. 350.

Ferentinum atque Ecetram[b] signis collatis dimicatum. Romanis secunda fortuna pugnæ fuit. Artena inde, Volscorum oppidum,[c] ab tribunis obsideri cœpta. Inde inter eruptionem tentatam, compulso in urbem hoste, occasio data est Romanis irrumpendi. Præterque arcem cetera capta. In arcem munitam natura globus armatorum concessit. Infra arcem cæsi captique multi mortales. Arx deinde obsidebatur:[7] nec aut vi capi poterat, quia pro spatio loci satis præsidii habebat; aut spem dabat deditionis, omni publico frumento, priusquam urbs caperetur, in arcem convecto. Tædioque recessum inde foret, ni servus arcem Romanis prodidisset. Ab eo milites per locum arduum accepti cepere. A quibus cum custodes trucidarentur, cetera multitudo, repentino pavore oppressa, in deditionem venit. Diruta et arce et urbe Artena, reductæ legiones ex Volscis, omnisque vis Romana Veios conversa est. Proditori, præter libertatem, duarum familiarum bona in præmium data. Servius[8] Romanus vocitatus. Sunt, qui Artenam Veientium, non Volscorum, fuisse credant. Præbet errorem, quod ejusdem nominis urbs inter Cære atque Veios fuit: sed eam reges Romani delevere,[9] Cæretumque, non Veientium, fuerat. Altera hæc nomine eodem in Volsco agro fuit, cujus excidium est dictum.

Gronov. Doujat. Crevier. all.—6 Al. *M. Æmylius Mamercus.*—7 Emend. J. F. Gronov. *In eam munitam ... Ipsa deinde obsidebatur.*—8 Vet. lib. ap. Sigon. *Servus.*—9 Vet. lib. apud eundem, *diruere.*

NOTÆ

[b] *Inter Ferentinum atque Ecetram*] De his oppidis supra.

[c] *Artena inde, Volscorum oppidum*] Certum huic oppido situm assignare se non posse fatetur Cluverius. Circa Norbam fuisse suadet proximi prælii locus. Differt a prisco Cæritum in Tuscia oppido Artena, ut Noster in fine capitis tradit, itemque ab Artena sive Ortona Latinorum, de qua alias.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER V.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Octo creantur tribuni mil. cons. pot. et rex a Veientibus. His auxilium negatur ab Etruriæ populis, ob odium non modo regni, at regis ipsius, hominis superbi et crudelis. 2. Hybernacula ad Veios. Hinc tribuniciæ seditiones. 3—6. Eas comprimit Ap. Claudius Crassus trib. mil. c. p. scita oratione. 7. Incendium haurit opera Rom. ad Veios. Omnes, quibus census equester est, equis se suis stipendia facturos promittunt. Quo exemplo incitata plebs operam reip. extra ordinem pollicetur. Publica lætitia. Fit SCtum, ut omnibus his publice agantur gratiæ, et æra procedant voluntariam extra ordinem professis militiam. Et equiti certus æris numerus assignatur. 8. Præsidium Anxuri oppressum. Discordia ducum Rom. in castris ad Veios positis. Bellum auctum adventu Capenatium Faliscorumque. Castra minora oppugnantur, et neque L. Virginius, qui majoribus præest, auxilium sponte mittit M'. Sergio, ob privatum odium, neque hic opem ab inimico petit. Sergius cum multis Romam pertendit, quo et Virginius accitur. 9. Tribuni m. c. p. ante Idus Dec. abdicare se magistratu, et alii jam Kal. Oct. eum occipere jubentur. 10. Tributum, quod cum numero militum crescit, inviti conferunt, qui domi remanent Urbemque tuentur. Inde conciones seditiosæ tribunorum pl. Horum numerus comitiis expleri nequit, et cooptatione, patriciorum opibus adjuta, lex Trebonia labefactatur. 11. Inde ira plebis et Cn. Trebonii trib. pl. Ea vertitur in Sergium Virginiumque, qui accusantur, 12. damnanturque. Bellum multiplex, ad Veios, ad Capenam, in Faliscis et in Volscis, ubi Anxur, nequicquam oppugnatum, obsidetur. Tributum conferri vetant tribuni, et miles flagitat æra. Tandem concordia ordinum restituitur, uno ex plebe, usurpandi juris causa, P. Licinio Calvo tribuno mil. cons. pot. creato. 13. Anxur receptum. Proximis co-

mitiis tribunorum mil. c. p. unus ex patriciis candidatis locum tenet, et v. plebeios centuriæ dicunt. Tristem hyemem pestilens excipit æstas. Lectisternium primum. Anceps ad Veios prælium, et ingens hostium cædes. 14. Ob religionem majestatemque petentium patricii creantur tribuni mil. c. p. L. Valerius Potitus a Faleriis, et M. Furius Camillus a Capena ingentes agunt prædas. 15. Prodigia. Lacus Albanus in altitudinem insolitam crescit, et haruspex Etruscus vaticinantis in modum canit, Romanum Veiis non potiturum, nisi aqua ex lacu emissa. 16. Tarquinienses novi hostes exorti. Multiplex bellum et certamina Patrum plebisque. Sors oraculi Delphici, congruens responso Etrusci vatis. 17. Prodigii Albani procuratio. Magistratus vitio creati honore abeunt. Interregnum. Concilia Etruriæ ad Voltumnæ fanum. 18. Tribunatus militum P. Licinio Calvo, exactæ ætatis viro, iterum offertur, eoque rogante, datur filio. Titinius Genuciusque, collegæ ejus, a Faliscis et Capenatibus in insidias trahuntur, et hic perit. Multiplex rei fama, ingensque terror Romæ et in castris ad Veios.

19. Ludis Latinisque instauratis, et aqua ex lacu Albano emissa in agros, M. Furius Camillus dictator dicitur. Is Faliscos Capenatesque fundit, et cuniculum agit in arcem Veiorum. 20. Cum jam in manibus videt victoriam esse, per literas ex senatu quærit, quid de præda faciendum censeant. 21. Excidium Veiorum, urbis opulentissimæ, et x. annos obsessæ. 22. Libera corpora venduntur sub corona, eaque sola pecunia in publicum redigitur, haud sine ira plebis. Præter alios Deos Juno regina Romam deportatur. 23. Supplicationes in quatriduum decretæ. Splendidus dictatoris triumphus. Templum Junonis reginæ in Aventino locatum, dedicatumque Matutæ matri. Decuma prædæ pars, a Camillo Apollini vota, in publicum deferenda censetur. Ea quoque collatio plebis animos a Camillo alienat. 24. Capenatibus subactis in Faliscis bellum restat. Tribuni pl. suadent, ut Veios non tam colonia deducatur, quam pars populi aut omnes adeo transmigrent. Optimates adversantur. 25. Camillo pontificibusque auctoribus urbs et ager Veientium æstimatur, et decimæ partis pretium ex ærario promendum censetur. Ob inopiam ejus matronæ conferunt aurum et ornamenta sua. His inde honor habetur, ut pilento ad sacra ludosque, carpento festo profestoque die utantur. Cratera aurea donum Apollini portatur Delphos. Tribuni pl. incitant multitudinem in principes, et ante alios in Camillum.

26. Camillus Faliscorum castra capit et obsidet urbem. 27. Principum liberis, a magistro suo in castra Rom. perductis, proditorem tradit denudatum, simulque virgas, quibus eam Falerios agant verberantes. Talis fides et justitia Faliscorum deditionem efficit. 28. Legati, Delphos cum dono missi, a piratis Liparensium excipiuntur, sed a Timasitheo, eorum principe, cum præsidio navium Delphos indeque Romam deducuntur. In Æquis varie pugnatur ducibus C. Æmilio et Sp. Postumio: sed postremo ab hoc exercitus hostium deletur. 29. L. Lucretius Flavus cos. vincit Æquos, qui Vitelliam expugnaverant. A. Virginius et Q. Pomponius, tribuni pl. biennii superioris, qui, gratificantes Patribus, rogationi collegarum intercesserant, rei condemnantur. Inde Camillus et plebem incre-

crepat et consules. 30. Idem senatum incitat adversus rogationem, a tribunis pl. latam, ut Veios commigraretur. Ea antiquatur, et agri Veientani septena jugera dividuntur plebi. 31. Ludi magni et dedicatio ædis Junonis Reginæ. Bellum cum Æquis gestum, indictumque Volsiniensibus et Salpinatibus. Fames et pestilentia. Moritur C. Julius censor, eique sufficitur M. Cornelius. Id postea religioni fuit, quia eo lustro Roma est capta: nec deinde unquam in demortui locum censor sufficitur. 32. Volsiniensium fuga et deditio. Prædæ ex Salpinati agro actæ. Vox divinitus missa de adventu Gallorum, et a M. Cædicio, homine de plebe, noctu audita. Camillus ab L. Apuleio trib. pl. propter prædam Veientanam accusatur, et in exilium abit.

33. Legati Clusini Romam veniunt, auxilium petentes adversus Gallos. Antiquiora Gallorum bella cum Etruscis. Horum opes late olim terra marique patentes. 34. Populi Galliæ variis temporibus Alpes transgressi, ducibus potissimum Belloveso, 35. et Elitovio. Senones Clusium oppugnant, et legati ad eos Romani mittuntur, tres M. Fabii Ambusii filii. 36. Præferoces juvenes minis accendunt Gallorum animos, et mox contra jus gentium ante signa Etruscorum pugnant. Hinc Galli Romam mittunt legatos postulatum, ut Fabii dedantur. Ibi vero plus gratia atque opes valent, et, quorum de pœna agebatur, tribuni mil. c. p. creantur. 37. Romani negligenter parant bellum, et Galli, flagrantes ira, citato agmine Romam contendunt. 38. Pugna ad Alliam fl. in qua nihil simile Romanis, non apud duces, non apud milites est. Vincuntur a Brenno, et plurimi Veios perfugiunt, quorum multi cæduntur circa ripam Tiberis, et gurgitibus ejus hauriuntur. 39. Senones, spoliis cæsorum lectis, inter Romam atque Anienem considunt. Romani in Urbe pavent, et militaris juventus in Capitolium concedit. 40. Multi Janiculum, agros et urbes finitimas petunt. Virgines vestales aliique sacerdotes Romam deserunt, et a L. Albinio Cære pervehuntur. 41. Galli Urbem diripiunt, et seniores, in medio ædium sedentes, trucidant. 42. Juventus Rom. attonita in arce audit hostium clamorem, mulierum puerorumque ploratum, ignis late vagantis sonitum et fragorem ruentium tectorum. 43. Hostes, impetum in arcem facientes, strage ac ruina funduntur, et inde obsidionem parant. Pars per finitimos prædantur populos, et quosdam fortuna ipsa ducit Ardeam, ubi Camillus exulat. 44. Is Ardeates incitat ad opprimendos populatores agri sui. 45. Strages Gallorum in Ardeati Antiatique, et Tuscorum in Veienti agro. 46. C. Fabius Dorso, de Capitolio per medias hostium stationes degressus, in Quirinali colle facit statum Fabiæ gentis sacrificium, et ad suos redit. Romani palantes conveniunt Veios et arcessunt Camillum. Is, consulto ante senatu Rom. per Pontium Cominium, qui in Capitolium evaserat, dictator absens dicitur. 47. Capitolium, quod Galli noctu ascendunt, clangore anserum et virtute M. Manlii servatur. Is donatur farre vinoque; et vigiles puniuntur. 48. Fames et pestilentia. Busta Gallica. Panes de Capitolio jactati in hostium stationes. Extrema fames. Pactio Romanorum cum Gallis. 49. Dictatoris adventus, duplex in Urbe viaque Gabina victoria, et triumphus. 50. Fana restituta, terminata, expiata. Hospitium cum Cæretibus publice factum. Ludi Capi-

tolini. Templum Aii Locutii. Aurum, quod Gallis ereptum erat, sub Jovis sella poni jussum. Matronis auri collati causa gratiæ actæ, et solennis post mortem laudatio decreta. 51—54. Camillus dissuadet actionem tribuniciam Veios transmigrandi. 55. Movetur plebs tum oratione Camilli, maxime ea, quæ ad religiones pertinebat, tum omine vocis, emissæ a centurione, qui, cohortibus ex præsidiis forum transeuntibus, in comitio exclamaverat: 'Signifer, statue signum! hic manebimus optime.' Urbs promiscue et festinanter ædificari cœpta.

1. Pace alibi parta, Romani Veiique in armis erant tanta ira odioque, ut victis finem adesse appareret. Comitia utriusque populi longe diversa ratione facta sunt. Romani auxere tribunorum militum consulari potestate numerum. Octo, quot nunquam antea,[a] creati, M'. Æmilius Mamercinus iterum, L. Valerius Potitus tertium, Ap. Claudius Crassus, M. Quintilius Varus, L. Julius Julus, M. Postumius, M. Furius Camillus, M. Postumius Albinus. Veientes contra tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum causa erat, regem creavere. Offendit ea res populorum Etruriæ animos, non majore odio regni, quam ipsius regis. Gravis jam is antea genti fuerat opibus superbiaque, quia solennia ludorum, quos intermitti nefas est, violenter diremisset: cum ob iram repulsæ, quod suffragio duodecim populorum alius sacerdos ei prælatus esset, artifices,† quorum magna pars ipsius servi erant, ex medio ludicro repente abduxit. Gens itaque, ante omnes alias eo magis dedita religionibus, quod excelleret arte colendi eas,

NOTÆ

[a] *Octo, quot nunquam antea*] Id nec legi de horum magistratuum numero dictæ consentaneum, (sex enim ut essent, cautum ab initio fuerat,) nec verum hoc anno videtur. Siquidem Sigonius, tam in scholiis Livianis, quam in commentario in Fastos, ac post eum Pighius, postremos duos, M. Furium Camillum, M. Postumium Albinum, non tribunos militum consulari potestate, sed censores fuisse ostendunt ex Fastis Capitolinis. Accedit Plutarchi auctoritas scribentis, dictatorem Camillum prius censuram gessisse, quam militum tribunatum. Alia quoque ex diverso Camilli tribunatuum numero argumenta suggerit Sigon.

* A. U. C. 351.

† *Artifices*] Tibicines, aut histriones. Vide indicem Philologicum ad Philosophiam Orientalem Stanleianam, in voce 'Artifices.' *J. Clericus.*

auxilium Veientibus negandum, donec sub rege essent, decrevit. Cujus decreti suppressa fama est [1] Veiis propter metum regis; qui, a quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe, non vani sermonis auctorem,[2] habebat. Romanis [b] etsi quietæ res ex Etruria nuntiabantur, tamen, quia omnibus conciliis eam rem agitari afferebatur,[c] ita muniebant, ut ancipitia munimenta essent: [d] alia in urbem et contra oppidorum eruptiones versa: aliis [3] frons in Etruriam spectans auxiliis, si qua forte inde venirent, obstruebatur.

2. Cum spes major imperatoribus Romanis in obsidione, quam in oppugnatione, esset; hybernacula etiam, res nova [e] militi Romano, ædificari cœpta: consiliumque erat, hyemando continuare bellum. Quod postquam tribunis plebis, jam diu nullam novandi res causam invenientibus, Romam est allatum, in concionem prosiliunt, solicitant plebis ani-

1 *Est* del. Gronov.—2 J. F. Gronov. emend. *auctore*, nec improbat lectionem edd. vett. ante Curion. *novi sermonis*.—3 Conj. Rupert. *aliorum*.

NOTÆ

[b] *Pro seditionis eum principe, non vani sermonis auctorem*] Scribi jubet Gronovius *auctore*, quasi pendeat a præpositione *pro*. Si quis tamen *auctorem* retinere maluerit, nihil erit quod sive in sententia, sive in constructione arguas. Idque inverso parumper verborum ordine facile apparebit, si legerimus, *eum non vani sermonis auctorem* (id est, eum, licet non esset auctor vani sermonis, tamen) *pro seditionis principe habebat*.

[c] *Omnibus conciliis eam rem agitari afferebatur*] Conventus significat omnium Etruriæ populorum.

[d] *Ut ancipitia munimenta essent*] Hodierna militia hanc obsidentium ancipitem, duplici vallo, hinc adversus obsessos, inde adversus auxilia obsessis ventura, sese muniendi rationem vocat *circonvattation* et *contrevallation*. Duplici ejusmodi muro Platæas Bœotiæ civitatem ante annos ferme 25. Lacedæmonii circumsederant, cum hæc in Italia agerentur.

[e] *Hybernacula etiam, res nova*] Aliud *hybernacula*, aliud *hyberna*, ut ostendit Livii locus lib. XXXVII. 'aut sub pellibus habendos milites, aut si concedere in hyberna vellet, differendum in æstatem bellum.' *Hybernacula* erant tecta castrensia, sive tabernacula ex asseribus compacta, et sic a vulgaribus æstivis tentoriis diversa. *Hyberna* autem, quæ et *præsidia*, sunt in oppidis plerumque vel pagis, in quibus milites extra castra et citra expeditionum necessitatem hyemare solent. In hybernis esse dicimus vulgo *être en Garnison*, *être en quartier d'hyver*: in hybernaculis, aut sub pellibus, *camper sous des tentes*.

mos, 'Hoc illud esse' dictitantes, 'quod æra militibus sint constituta: nec se fefellisse, id donum inimicorum veneno illitum fore.[f] Venisse libertatem plebis:[g] remotam in perpetuum et ablegatam ab Urbe et ab re publica juventutem, jam ne hyemi quidem aut tempori anni cedere, ac domos et res invisere suas. Quam putarent continuatæ militiæ causam esse? nullam profecto aliam inventuros, quam ne quid per frequentiam[4] juvenum eorum, in quibus vires omnes plebis essent, agi de commodis eorum posset. Vexari præterea et subigi multo acrius, quam Veientes. Quippe illos hyemem sub tectis suis agere, egregiis muris situque naturali urbem tutantes:[5] militem Romanum in opere ac labore, nivibus pruinisque obrutum, sub pellibus durare,[h] ne hyemis quidem spatio, quæ omnium bellorum terra marique sit quies, arma deponentem. Hoc neque reges, neque ante tribuniciam potestatem creatam superbos illos consules, neque triste dictatoris imperium, neque importunos decemviros injunxisse servitutis, ut perennem militiam facerent, quod tribuni militum in plebe Romana regnum exercerent. Quidnam illi consules dictatoresve facturi essent, qui proconsularem imaginem tam sævam ac trucem fecerint?[a] Sed id accidere haud immerito. Non fuisse[6] ne in octo quidem tribunis militum locum ulli plebeio. Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: nunc jam octojuges[i] ad imperia obtinenda

[a] *Quam regni speciem in Romanam plebem exercerent tribuni militum. Quid iidem facturi, si consules, aut dictatores facti fuerint, cum tam durum dirumque effecerint proconsulare suum imperium, quod imago tantum est consularis?*

4 Conj. Rupert. *per infrequentiam.*—5 Emend. Jac. Gronov. *tutante.*—

NOTÆ

[f] *Id donum inimicorum veneno illitum fore*] Alludit ad funestas vestes a Nesso Centauro Dejaniræ Herculis uxori, aut a Medea Glaucæ Cerontis filiæ, futuræ Jasonis conjugi, datas muneris loco, in Herculis Glaucæque exitium: unde vetus proverbium, 'hostium munera nec munera.'

[g] *Venisse libertatem plebis*] Stipendio scilicet dato emtam, accepto venditam.

[h] *Sub pellibus durare*] Id est, permanere sub tentoriis, quæ ut plurimum ex pellibus sive coriis apud Veteres.

[i] *Octojuges*] Octonario numero,

ire; et ne in turba quidem hærere plebeium quenquam,[k] qui, si nihil aliud, admoneat collegas, liberos et cives eorum, non servos, militare, quos hyeme saltem in domos ac tecta reduci oporteat, et aliquo tempore anni parentes liberosque ac conjuges invisere, et usurpare libertatem, et creare magistratus.' Hæc taliaque[7] vociferantes adversarium haud imparem nacti sunt Ap. Claudium, relictum a collegis ad tribunicias seditiones comprimendas; virum imbutum jam ab juventa certaminibus plebeiis: quem auctorem aliquot annis ante fuisse memoratum est, per collegarum intercessionem, tribuniciæ potestatis dissolvendæ.

3. Is tum jam, non promtus ingenio tantum, sed usu etiam exercitatus, talem orationem habuit: 'Si unquam dubitatum est, Quirites, utrum tribuni plebis vestra, an sua, causa seditionum semper auctores fuerint, id ego hoc anno desisse dubitari certum habeo. Et cum lætor, tandem longi erroris vobis finem factum esse, tum, quod secundis potissimum vestris rebus his error est sublatus, et vobis, et propter vos rei publicæ gratulor. An est quisquam, qui dubitet, nullis injuriis[8] vestris,[l] si quæ forte aliquando fuerunt, unquam æque, quam munere Patrum in plebem, cum æra militantibus constituta sunt, tribunos plebis of-

6 'Redundat *Non*, aut minor distinctio post *fuisse* ponenda.' *Bauer.*—7 *Hæc aliaque* Ms. Veith.

NOTÆ

non quasi jugo pariter subjecti, sed quasi conjunctim plebem sub jugum mittentes.

k *Ne in turba quidem hærere plebeium quenquam*] Hoc loco *hærere* est alteri adhærescere, locum tenere inter alios. Sic Marius apud Valer. Max. 'Præturæ candidatus supremo loco hæsit.' Sic in Terentii Eunucho: 'Perfice hoc precibus, pretio, ut hæream in parte aliqua tandem apud Thaidem.'

l *An est quisquam, qui dubitet, nullis injuriis vestris*] Legendum omnino *ullis injuriis vestris* pronuntiat Tanaq. Faber. Et sane plerumque *dubitandi* verbum vim habet negantis. Verum hoc loco demta negatione non potest idoneus ex mente Auctoris confici sensus. Quid enim est, *Quis dubitet tribunos ullis injuriis vestris unquam æque offensos quam hoc munere patrum?* Legendum necessario est, *quis dubitet*, sive *quis nescit, nullis unquam*, aut, quod eodem redit, *nunquam ullis injuriis vestris æque offensos, &c.*

fensos ac concitatos esse? quid illos aliud aut tum timuisse creditis, aut hodie turbare velle, nisi concordiam ordinum,[9] quam dissolvendæ maxime tribuniciæ potestatis[10] rentur esse? Sic, hercule, tanquam artifices improbi, opus quærunt; qui[11] et semper ægri aliquid esse in re publica volunt, ut sit, ad cujus curationem a vobis adhibeantur. Utrum enim defenditis,[m] an impugnatis plebem? utrum militantium adversarii estis, an causam agitis? Nisi forte hoc dicitis, Quicquid Patres faciunt, displicet; sive illud pro plebe, sive contra plebem est. Et quemadmodum servis suis vetant domini quicquam rei cum alienis hominibus esse, pariterque in iis beneficio ac maleficio abstineri æquum censent; sic vos interdicitis[12] Patribus commercio plebis; ne nos comitate ac munificentia nostra provocemus plebem, nec plebs[13] nobis dicto audiens atque obediens sit. Quanto[14] tandem, si quicquam in vobis, non dico civilis, sed humani esset, favere vos magis, et, quantum in vobis esset, indulgere potius comitati Patrum atque obsequio plebis oportuit? quæ si perpetua concordia[n] sit, quis non spondere ausit, maximum hoc imperium inter finitimos brevi futurum esse?

4. 'Atque ego, quam hoc consilium collegarum meorum, quo[15] abducere infecta re a Veiis exercitum noluerunt, non utile solum, sed etiam necessarium fuerit, postea dis-

8 Legendum monet Tan. Faber *ullis injuriis*.—9 'Clarius, opinor, et simplicius scripsisset: *quid eos aut tum voluisse creditis, aut hodie velle, nisi concord. ord. turbare?* Aut sic: *quid eos aliud aut tum tim. cred. aut hodie velle, nisi conc. ord. turbare?* Illud melius foret. Nam et hoc asperitatis aliquid habet. Sed concinnitatis studio in sensum ipsum offendit paululum Noster; qui tamen satis apparet.' *Bauer*. In Ms. Veith. est, *quid illos autem aliud timuisse*.—10 Quidam Mss. habent *potestati*.—11 Muretus delet τὸ *qui*.—12 Rhenanus annotat ex Borbet. *interdicto*.—13 Ms. Veith. *ne plebs*.—14 'Pro *Quanto*, ob sequentem particulam *tandem*, rescribendum mihi videtur *quando*.' Doering.

NOTÆ

[m] *Utrum enim defenditis*] Orationis conversio a plebe ad tribunos.

[n] *Quæ si perpetua concordia*] Concordiam non nominaverat quidem Appius: sed sufficit, memoratis hinc comitate patrum, inde obsequio plebis, indicatam: ut relativum *quæ*, si non verbis, menti saltem dicentis respondeat.

seram:[16] nunc de ipsa conditione dicere militantium libet. Quam orationem, non apud vos solum, sed etiam in castris, si habeatur, ipso exercitu disceptante, æquam arbitror videri posse. In qua si mihi ipsi nihil, quod dicerem, in mentem venire posset, adversariorum certe orationibus contentus essem. Negabant nuper, danda esse æra militibus, quia nunquam data essent. Quonam modo igitur nunc indignari possunt, quibus aliquid novi adjectum commodi sit, eis laborem etiam novum pro portione injungi?[o] Nusquam nec opera sine emolumento,[p] nec emolumentum ferme sine impensa opera est.[b] Labor voluptasque, dissimillima natura, societate quadam inter se naturali sunt juncta. Moleste antea ferebat miles, se suo sumtu operam rei publicæ præbere: gaudebat idem, partem anni se agrum suum colere; quærere, unde domi militiæque se ac suos tueri posset. Gaudet nunc, fructui sibi rem publicam esse, et lætus stipendium accipit. Æquo igitur animo patiatur, se ab domo, ab re familiari, cui gravis impensa non est, paulo diutius abesse. An, si ad calculos eum res publica vocet,[c] non merito dicat, Annua æra habes, annuam operam ede? An tu æquum censes, militia semestri solidum te stipendium accipere? Invitus in hac parte orationis, Quirites,[17] moror: sic enim agere debent, qui mercenario milite utuntur. At nos tanquam[18] cum civibus agere volumus: agique tanquam cum patria nobiscum æquum censemus. Aut non suscipi bellum oportuit; aut geri pro

[b] *Nisi opera præstetur aliqua, et quasi dependatur.*
[c] *Si respublica illum provocet ad ineundas rationes.*

15 'Muretus e v. l. *quod.* Ego malim *qui.*' J. F. Gronov.—16 Gronov. Doujat. Crevier. *edisseram.*—17 'Quidam libri: *invitus, Quirites,* quæ repetitio vocis non insulsa videtur, et auget vim sententiæ.' *J. F. Gronov.*—

NOTÆ

[o] *Pro portione injungi*] Id est, imperari, comparata parte laboris cum parte stipendii ac mercedis, et utriusque habita ratione, *en ordonnant le travail à proportion de la paye.*

[p] *Nec opera sine emolumento*] Compensanda sunt invicem hæc duo: quod significat proverbialis hæc sententia, 'hostimentum est opera pro pecunia:' antiqui enim dicebant *hostire* pro æquare, reddere, compensare.

dignitate populi Romani, et perfici, quam primum oportet. Perficietur autem, si urgemus obsessos: si non ante abscedimus, quam spei nostræ finem captis Veiis imposuerimus. Si, Hercules, nulla alia causa, ipsa indignitas [19] perseverantiam imponere debuit. Decem quondam annos urbs oppugnata est [q] ob unam mulierem ab universa Græcia: quam procul ab domo? quot terras, quot maria distans? Nos intra vicesimum lapidem,[20] in conspectu prope urbis nostræ, annuam oppugnationem perferre piget: scilicet, quia levis causa belli est, nec satis quicquam justi doloris est, quod nos ad perseverandum stimulet. Septies rebellarunt,[r] in pace nunquam fidi [1] fuerunt: agros nostros millies depopulati sunt. Fidenates deficere a nobis coëgerunt, colonos nostros ibi interfecerunt: auctores fuere contra jus gentium cædis impiæ legatorum nostrorum: Etruriam omnem adversus nos concitare voluerunt, hodieque id moliuntur: res repetentes legatos nostros, haud procul afuit,[2] quin violarent.

5. 'Cum his molliter et per dilationes bellum geri oportet? Si nos tam justum odium nihil movet, ne illa quidem, oro vos, movent? Operibus ingentibus septa urbs est, quibus intra muros coërcetur hostis. Agrum non coluit, et culta evastata sunt bello. Si reducimus exercitum, quis est, qui dubitet, illos, non a cupiditate solum ulciscendi, sed etiam necessitate imposita ex alieno prædandi, cum sua amiserint, agrum nostrum invasuros? non differimus

18 Vulg. *Nos tanquam.*—19 *Sed, Hercle, si nulla alia causa, ipsa dignitas* Ms. Veith. *Hercule* Gronov. Doujat. Crevier.—20 Conj. Cluver. *duodecimum lapidem.*—1 Vossianus *fidei:* Muretus, *in fide:* quidam Mss. et edd. recentt. *fida.* —2 *Abfuit* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[q] *Decem quondam annos urbs oppugnata est*] Troja nimirum: cujus tamen obsidio vix ultra biennium revera tenuit. Sed vicina regio pluribus annis prius subigenda fuit.

[r] *Septies rebellarunt*] Intellige Veientes sæpius bellum intulisse Romanis, ex quo clade accepta, pacem petierant a Romulo; qui, agri parte multatis, inducias in centum annos dederat, lib. I. c. 15. Ceterum nondum redacti fuerant in ditionem Romanam, ut proprie rebellasse dici possent.

igitur bellum isto consilio, sed intra fines nostros accipimus. Quid? illud, quod proprie ad milites pertinet, quibus boni tribuni plebis cum stipendium extorquere voluerint, nunc consultum repente volunt, quale est? Vallum fossamque, ingentis utramque rem operis, per tantum spatii duxerunt: castella primo pauca,[s] postea, exercitu aucto, creberrima fecerunt: munitiones non in urbem modo, sed in Etruriam etiam spectantes, si qua inde auxilia veniant, opposuere. Quid turres,[t] quid vineas[u] testudinesque[x] et alium oppugnandarum urbium apparatum loquar? Cum tantum laboris exhaustum sit, et ad finem jam operis tandem perventum; relinquendane hæc censetis, ut ad æstatem rursus novus de integro his instituendis exsudetur labor? Quanto est minus opera tueri facta, et instare, et perseverare, defungique cura? Brevis enim profecto res est, si uno tenore peragitur, nec ipsi per intermissiones has intervallaque lentiorem spem nostram facimus. Loquor de opere

NOTÆ

[s] *Castella primo pauca, &c.*] Hic castella sunt munimenta subitarii operis, quæ ad castra adversus hostiles incursus tuenda instituuntur, vulgo *des forts.*

[t] *Quid turres*] Ligneæ turres erant, quæ rotis quatuor aut pluribus agebantur, iisque latentibus et internis: quales inventæ in Sicilia Dionysii senioris tempore ab Herone. Hæ, ut propugnaculis hostium altiores essent, decem aut pluribus tabulatis constabant: atque in his tormenta, scalæ, pontes, aliaque invadendarum urbium instrumenta admovebantur muris, et ex hujusmodi machinis oppugnatores primum missilibus deturbabant obsessos, ac deinde æquo cum illis pede congrediebantur.

[u] *Quid vineas*] Militaris vinea dicitur a similitudine veræ vineæ, quæ apud Italos jugata, et in tectum allevata. Machinæ erant e lignis levioribus, altæ pedibus octo, latæ septem, longæ sedecim: tecto tabulatis cratibusque contexto, lateribus vimine septis, et extrinsecus recenti corio opertis. Earum nunc usum præstant quas porticus appellamus, *les Galeries.*

[x] *Testudinesque*] Non de ea testitudine accipiendus hic est Appius, qua milites armati scutis super capita densatis, aliisque super alios scandentibus, æquabantur propugnatoribus, de qua lib. XLIV. dicendum erit; sed de testudinibus ligneis, quarum inventorem Plinius Artemonem Clazomenium facit; quæque fodiendi aut fossas congerendi, æquandorumque locorum, aut etiam suspendendi ac promovendi ad murum arietis causa comparatæ, rotis subditis agebantur, non secus ac vineæ; at tecto et fronte minus planis, ut missa e muro tela, non recta, sed oblique incidentia, laberentur; et sic milites, qui sub his machinis erant, tuti a periculo essent.

et de temporis jactura. Quid? periculi, quod differendo bello adimus, num oblivisci nos hæc tam crebra Etruriæ concilia de mittendis Veios auxiliis patiuntur? Ut nunc res se habet, irati sunt, oderunt, negant missuros: quantum in illis est, capere Veios licet. Quis est, qui spondeat, eundem, si differtur bellum, animum postea fore? cum, si laxamentum dederis, major frequentiorque legatio itura sit: cum id, quod nunc offendit Etruscos, rex creatus Veiis, spatio interposito mutari[3] possit, vel consensu civitatis, ut eo reconcilient Etruriæ animos, vel ipsius voluntate regis, qui obstare regnum suum saluti civium nolit. Videte quot res, quam inutiles,[y] sequantur illam viam consilii:[d] jactura operum tanto laborefactorum, vastatio imminens finium nostrorum, Etruscum bellum pro Veiente[z] concitatum. Hæc sunt, tribuni, consilia vestra, non, hercule, dissimilia, ac si quis ægro, qui, curari se fortiter passus, extemplo convalescere possit, cibi gratia præsentis aut potionis longinquum et forsitan insanabilem morbum efficiat.

6. 'Si, me Dius fidius, ad hoc bellum nihil pertineret, ad disciplinam certe militiæ plurimum intererat, insuescere militem nostrum, non solum parata[4] victoria frui, sed, si res etiam lentior sit, pati tædium, et quamvis seræ spei exitum expectare; et, si non sit æstate perfectum bellum, hyemem opperiri, nec, sicut æstivas aves,[a] statim autumno tecta ac recessum circumspicere. Obsecro vos, venandi

[d] *Sequantur ex hac consilii ratione, differendi scilicet belli relictis hybernaculis.*

3 *Spatio mutari interposito* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[y] *Quam inutiles*] Inutile dicitur quod non solum usui non est, sed etiam nocet, ut apud Cicer. I. de Invent. 'Is inutilis sive perniciosus patriæ civis alitur.'

[z] *Etruscum bellum pro Veiente*] Id est, bellum cum universa Etruscorum gente, loco belli cum uno Veientium populo. Nam Veientes erant e duodecim Tusciæ populis unus.

[a] *Nec, sicut æstivas aves*] Æstivæ aves sunt quas æstate tantum videmus, quod hyeme vel lateant, vel autumno avolent in plagas longinquas.

studium ac voluptas homines per nives ac pruinas in montes sylvasque rapit; belli necessitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel lusus ac voluptas elicere solet? Adeone effœminata corpora militum nostrorum esse putamus, adeo molles animos, ut hyemem unam durare in castris, abesse ab domo non possint? ut, tanquam navale bellum, tempestatibus captandis et observando tempore anni, gerant, non æstus, non frigora pati possint? Erubescant profecto, si quis eis hæc objiciat; contendantque, et animis et corporibus suis virilem patientiam inesse, et se juxta hyeme atque æstate bella gerere posse: nec se patrocinium mollitiæ inertiæque mandasse tribunis, et meminisse, hanc ipsam potestatem non in umbra[b] nec in tectis majores suos creasse. Hæc virtute militum vestrorum, hæc Romano nomine sunt digna, non Veios tantum, nec hoc bellum intueri, quod instat; sed famam et ad alia bella et ad ceteros populos in posterum quærere. An mediocre discrimen opinionis secuturum ex hac re putatis; utrum tandem finitimi populum[5] Romanum eum esse putent, cujus si qua urbs primum illum brevissimi temporis sustinuerit impetum, nihil deinde timeat; an hic sit terror nominis nostri, ut exercitum Romanum non tædium longinquæ oppugnationis, non vis hyemis ab urbe circumsessa semel amovere possit, nec finem ullum[c] alium belli, quam victoriam, noverit; nec impetu potius bella, quam perseverantia, gerat? Quæ in omni quidem genere militiæ, maxime tamen in obsidendis urbibus, necessaria est; quarum plerasque, munitionibus ac naturali situ inexpugnabiles, fame sitique tempus ipsum vincit atque expugnat: sicut Veios expugna-

4 *Parta* Edd. ante Drak. et Ms. Veith.—5 *Populi* Gronov. Crevier.—

NOTÆ

[b] *Hanc ipsam potestatem non in umbra*] Potestas tribunicia, non in urbe, sed castris in monte sacro positis, et ab armatis, impetrata et constituta, supra lib. II. cap. 32. et 33.

[c] *Nec finem ullum*] Mutato casu subintelligendus est ex superiori membro, *exercitus*, vel *populus Romanus*. Absque hoc zeugmate, non constat sensus.

bit; nisi auxilio hostibus tribuni plebis fuerint, et Romæ invenerint præsidia Veientes, quæ nequicquam in Etruria quærunt. An est quicquam, quod Veientibus optatum æque contingere possit, quam ut seditionibus primum urbs Romana, deinde velut ex contagione castra impleantur? At, hercule, apud hostes tanta modestia est, ut non obsidionis tædio, non denique[6] regni, quicquam apud eos novatum sit; non negata auxilia ab Etruscis irritaverint animos. Morietur enim extemplo;[d] quicumque erit seditionis auctor. Nec cuiquam dicere ea licebit, quæ apud vos[7] impune dicuntur. Fustuarium meretur,[e] qui signa relinquit, aut præsidio decedit. Auctores signa relinquendi et deserendi castra, non uni aut alteri militi, sed universis exercitibus, palam in concione audiuntur. Adeo, quicquid tribunus plebi[8] loquitur, etsi prodendæ patriæ dissolvendæque rei publicæ est, assuestis æqui audire; et, dulcedine potestatis ejus capti,[9] quælibet sub ea scelera latere sinitis. Reliquum est, ut, quæ hic vociferantur, eadem in castris et apud milites agant, et exercitus corrumpant, ducibusque parere non patiantur: quoniam ea demum Romæ libertas est, non senatum, non magistratus, non leges, non mores majorum, non instituta patrum, non disciplinam vereri militiæ.'

7. Par jam etiam in concionibus erat Appius tribunis

6 Vocem *denique* post tertium *non* ponendum putabat Ernest.—7 Conj. Bauer. *nos.*—8 *Plebei* Crevier.—9 '*Assuestis audire, et dulcedine.* Veteres libri alii habent, *assuestis qui audire, et dulcedine:* alii, *assuestis quippe audire, dulcedine:* ex quo intellexi legendum esse, *assuestis audire quippe dulcedine potestatis ejus capti.* Quod enim dixit, *et si prodendæ patriæ*, pro *quamvis* accipiendum est.' *Sigon.*

NOTÆ

[d] *Morietur enim extemplo*] Hoc vult Appius, plerosque omnes Veientes bene animatos ad defensionem, adeo ut si qui forte obsidionis tædio de seditione cogitarent, cum reliquos longe majori numero ad bellum ardentes videant, metu pœnæ silere cogantur.

[e] *Fustuarium meretur*] *Fustuarium* est, cum quis fustibus percutitur ad necem: nec de eo accipiendum, qui fustium verberibus castigatur, qui et aliquando fustibus dicitur cædi. Tribuni militum fustibus, consules aliique magistratus, quibus lictores apparebant, securi aut gladio in milites gravius delinquentes animadvertebant.

plebis; cum subito, unde minime quis crederet, accepta calamitas apud Veios et superiorem Appium in causa, et concordiam ordinum majorem, ardoremque[10] ad obsidendos pertinacius Veios fecit. Nam cum agger promotus ad urbem, vineæque tantum non jam injunctæ mœnibus essent, dum opera interdiu fiunt intentius, quam nocte custodiuntur, patefacta repente porta, ingens multitudo, facibus maxime armata, ignes conjecit; horæque momento simul aggerem ac vineas,[f] tam longi temporis opus, incendium hausit; multique ibi mortales, nequicquam opem ferentes, ferro ignique absumti sunt. Quod ubi Romam est nuntiatum, mœstitiam omnibus, senatui curam metumque injecit, ne tum vero sustineri nec in urbe seditio, nec in castris posset, et tribuni plebis velut ab se victæ rei publicæ insultarent; cum repente, quibus census equester[g] erat, equi publici[11] non erant assignati,[h] consilio prius inter

10 Voss. alter et Pall. o. *majoremque ardorem.* Muretus e v. l. *concordia ordinum majorem ardorem.*—11 Ad voces *equi publici* supplendam esse censet

NOTÆ

[f] *Simul aggerem ac vineas*] Agger est munitio, sive moles constructa ex lignis, saxis, terraque aggesta ad explendum, et extollendum. Cancellatis præcipue tignis constabat: unde iucendi non ita difficile potuit. Agger autem altus, et par ferme obsessi oppidi muris ad quos admovebatur, et in eo fere turres ligneæ ipsis muris celsiores, ex quibus in propugnatores tela e proximo jacerentur.

[g] *Quibus census equester*] Quæ census equestris summa hoc tempore fuerit, dubitari potest. Centum millibus æris majorem fuisse ex eo conjicio, quod ex Liv. lib. I. cap. 43. ea minima esset pecunia primæ classis, in qua equitum centuriæ octodecim, octuaginta peditum censebantur. Postea initio belli civilis sestertium quadringentis millibus definitum constat equestrem censum fuisse, quod et sub Augusto servatum. Iisque tantum, quibus is census esset, ad spectandos ludos theatrales, in quatuordecim primis ordinibus post orchestram (ubi Senatorum locus) sedendi jus lege Roscii datum, aut restitutum. Is census, duplicata ferme Budæi computatione, duo ac triginta millia librarum nostratium excederet: longe major futura, si ad centum millia æris gravis exigeretur, qui minor census erat primæ classis, ex qua equites, ut dixi. Superaret sane, ipso æris pondere ac pretio, 65. librarum Francicarum millia.

[h] *Equi publici non erant assignati*] Non quicumque equis militabant, equestris erant ordinis; sed ii duntaxat quibus a censore assignatus erat publicus equus; ut alibi observatum.

sese habito, senatum adeunt, factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt. Quibus cum amplissimis verbis gratiæ ab senatu actæ essent, famaque ea forum atque urbem pervasisset, subito ad curiam concursus fit plebis. 'Pedestris ordinis se,' aiunt, 'nunc esse,[i] operamque rei publicæ[12] extra ordinem polliceri, seu Veios, seu quo alio ducere velint. Si Veios ducti sint,' negant, 'se inde prius, quam capta urbe hostium, redituros esse.' Tum vero jam superfundenti se lætitiæ vix temperatum est. Non enim, sicut equites, dato magistratibus negotio, laudari jussi; neque aut in curiam vocati, quibus responsum daretur, aut limine curiæ continebatur senatus: sed pro se quisque ex superiore loco ad multitudinem, in comitio stantem, voce manibusque significare publicam lætitiam. Beatam urbem Romanam et invictam et æternam illa concordia dicere: laudare equites, laudare plebem, diem ipsum laudibus ferre: victam esse fateri comitatem benignitatemque senatus. Certatim Patribus plebique manare gaudio lacrymæ; donec, revocatis in curiam Patribus, senatus consultum factum est, 'Ut tribuni militares, concione advocata, peditibus equitibusque gratias agerent: memorem pietatis eorum erga patriam dicerent senatum fore. Placere autem, omnibus his voluntariam extra ordinem professis militiam æra procedere.' Et equiti certus numerus[13] æris[k] est assignatus. Tum primum equis merere[l] equites

Rupert. particulam *at*, vel *sed*, vel *et*.—12 'Non est, quod cum Doering. pro *esse* legas *adesse*, vel cum Cupero et Stroth. *pedestris ordinis* (suum, ipsorum, qui pedites essent) *nunc esse, operam reip.* cet. sicut equites suo ordine polliciti essent.' *Rupert.* Quidam cod. *pedestris ordinis se esse aiunt, qui operam,*

NOTÆ

[i] *Pedestris ordinis se, aiunt, nunc esse*] Tres legimus civium Romanorum ordines, senatorium, equestrem, plebeium. Unde igitur hic novus ordo *pedester*? Plebeios intelligit minus locupletes, classisque inferioris, qui cum essent ordinis plebeii, cui pedestris militia incumbebat, professi ultro sunt se constanter militaturos quocumque ducerentur: æmulatione scilicet locupletiorum, qui paulo ante gratuitam in equestri militia operam obtulerant.

[k] *Equiti certus numerus æris*] Cujusmodi fuerit sub hæc tempora diurnum peditis stipendium dixi lib. IV.

cœperunt.[14] Voluntarius ductus exercitus Veios non amissa modo restituit opera, sed nova etiam instituit. Ab urbe commeatus intentiore, quam antea, subvehi cura; ne quid tam bene merito exercitui ad usum deesset.

8. Insequens annus tribunos militum consulari potestate habuit C. Servilium Ahalam tertium, Q. Servilium, L. Virginium,[15] Q. Sulpicium, A. Manlium iterum, M'. Sergium

---

&c.—13 Vulg. *Et equis certus numerus.*—14 'Vulgo sine *suis* legebatur in omnibus, *Tum primum equis merere equites cœperunt.* Sed cum neque antea pedibus meruissent equites, neque, si dicere voluisset, eos tum stipendio accepto militare cœpisse, opus esset, adjicere τὸ *equis*, jam statim videbam aliquid deesse: hinc primum scribendum cogitabam *equis privatis.* Post vero, cum reputarem mecum, et Livium paulo ante scripsisse, 'equis se suis stipendia facturos promittunt,' et in epitome hujus libri aperte extare, 'equites tum primum equis suis merere cœperunt,' porro *suis* post *equis* facillime excidere potuisse, ac denique illud quodammodo extare in cod. Florentino, in quo ex parte adhæsit voci sequenti, (habet enim: *Tum hic primum equos sumere equites cœperunt,*) recipere illud haud dubitavi. In Ms. Veith. est, *primum equos merere.*' Stroth. 'Jam alii τὸ *suis*, v. c. Schelius Dissert. IV. ad Polyb. probante Grævio in Proleg. ad Tom. I. Antiq. Rom. inserendum censuerant, improbantibus J. F. Gronov. [Vid. Not. Var.] et Dukero, quorum ille Livium indicare voluisse putat, tum primum equites equis, nimirum tam publicis quam privatis, cœpisse merere, h. e. stipendium accipere; hic, si tum primum equites equis suis merere cœperint, idem deinde factum esse, inde sequi existimat. Crevierius, qui pro *equis* in quinque codd. se invenisse testatur, *equos*, ex hac corrupta lectione probabilius *equo suo* quam *equis suis* elici posse suspicatur.' *Doering.*

NOTÆ

c. 59. Equiti triplex assignatum, id est, drachma, quæ denario fere respondet, id est, decem assibus Romanis.

[1] *Tum primum equis merere*] Non ait tunc equis militare cœpisse. Quomodo enim aliter quam equis militaverint equites? Sed dicit *equis merere*, id est, stipendium accipere militiæ causa, quod nullum antea equitibus, non magis quam peditibus, numeratum. Equum illi quidem liberalitate reipublicæ habebant atque alebant: sed eo gratis militabant. Stipendium nunc equiti, ut pediti, assignatum. Nec tamen male Florus in epitome: 'Equites tum primum equis suis merere cœperunt.' Etenim verum est, eos, qui haberent equos, accepto stipendio militasse; quod in aliis quoque obtinuisse videtur qui equo publico militare cœperant. Neque his repugnat, quod lib. I. c. 43. dicitur a Servio Tullio equitibus data ex publico pecunia, et attributæ viduæ quæ bina millia æris penderent. Etenim bina illa millia æris non stipendium equiti erat, sed ad sumtum alendi equi sumministrabantur, ut dena millia ad equum emendum assignata erant. Hæc separat Valer. Max. lib. V. c. 6. prout ex veteri cod. legit Gron. lib. III. de pecun. vet. c. 2. 'in castris non eques impendium, non centurio stipendium dari sibi desideravit.' Igitur a Servio est *impendium:* hoc bello Veienti *stipendium* accessit.

iterum.* His tribunis, dum cura omnium in Veiens bellum intenta est, neglectum Anxuri præsidium vacationibus[16] militum,[m] et Volscos mercatores vulgo receptando, proditis repente portarum custodibus,[n] oppressum est.[17] Minus militum periit, quia præter ægros lixarum in modum omnes per agros vicinasque urbes negotiabantur. Nec Veiis melius gesta res, quod tum caput omnium curarum publicarum erat. Nam et duces Romani plus inter se irarum, quam adversus hostes animi, habuerunt: et auctum est bellum adventu repentino Capenatium atque Faliscorum.[o] Hi duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant, devictis Veiis, bello quoque Romano se proximos fore credentes, Falisci propria etiam causa infesti, quod Fidenati bello se jam antea immiscuerant, per legatos ultro citroque missos jure jurando inter se obligati, cum exercitibus nec opinato ad Veios accessere. Forte ea regione, qua M'. Sergius tribunus militum præerat,[p] castra adorti sunt, ingentemque terrorem intulere; quia Etruriam omnem

15 Veteres libri aliquot habent, *P. L. Virginium.*—16 Al. *vagationibus.*—17 Alii emend. *peremtis repente, &c.* vel *oppressis repente... proditum est.*—

NOTÆ

* A. U. C. 352.

[m] *Vacationibus militum*] Vacationes munerum sunt immunitates, et a muniis militaribus cessationes, quas pecunia ducibus data redimi vetus est militiæ flagitium. Alias legebatur *vagationibus*, sensu cum sequentibus congruente.

[n] *Proditis repente portarum custodibus*] Non capit Gronovius hos custodes repente proditos, videturque malle *oppressis repente portarum custodibus proditum est.* Sed cum præsidii nomine intelligantur præsidiarii, non video cur præsidio magis conveniat proditum esse, quam oppressum.

[o] *Capenatium atque Faliscorum*] Capenates ad ortum, Falisci septemtrionem versus, Veientibus contermini fuere. Horum urbs Falerii, de qua supra; illorum *Capena:* utraque ad ripam Tiberis dextram, in Etruriæ Sabinorumque confinio. Ortelio et plerisque aliis *Capena* Veterum est oppidum quod vulgo *Canapina* in monte Cimino, non procul Viterbio: quod Cluverio non placet, existimanti Capenam Veterum ibi fuisse ubi hodie oppidulum *la Civitella*, sub monte Soracte et oppido Fiano. Holstenius cum Ligorio, probabilius, ni fallor, *Morlupo* nunc dici putat in eod. tractu.

[p] *Ea regione, qua M'. Sergius tribunus militum præerat*] Regio hic pro castrorum parte. *Par le Quartier du Tribun Sergius.*

excitam sedibus magna mole adesse Romani crediderant. Eadem opinio Veientes in urbe concitavit. Ita ancipiti prælio castra Romana [18] oppugnabantur; concursantesque, cum huc atque illuc signa transferrent, nec Veientem satis cohibere intra munitiones, nec suis munimentis arcere vim,[19] ac tueri se ab exteriore poterant hoste. Una spes erat, si ex majoribus castris subveniretur, ut diversæ legiones, aliæ adversus Capenatem ac Faliscum, aliæ contra eruptionem oppidanorum, pugnarent. Sed castris præerat Virginius, privatim Sergio invisus infestusque. Is, cum pleraque castella oppugnata,[q] superatas munitiones, utrimque invehi hostem nuntiaretur, in armis milites tenuit: si opus foret auxilio, collegam dictitans ad se missurum. Hujus arrogantiam pertinacia alterius æquabat, qui, ne quam opem ab inimico videretur petisse, vinci ab hoste, quam vincere per civem, maluit. Diu in medio cæsi milites; postremo, desertis munitionibus, perpauci in majora castra, pars maxima atque ipse Sergius Romam pertenderunt. Ubi cum omnem culpam in collegam inclinaret, acciri Virginium ex castris, interea præesse legatos placuit. Acta deinde in senatu res est, certatumque inter collegas maledictis. Pauci rei publicæ, huic atque illi, ut quosque studium privatim aut gratia occupaverunt,[20] adsunt.[e]

9. Primores Patrum, sive culpa sive infelicitate imperatorum tam ignominiosa clades accepta esset, censuere, 'Non expectandum justum tempus comitiorum, sed extemplo novos tribunos militum creandos esse, qui Kalendis Octobribus [1] magistratum occiperent.' In quam sententiam cum

[e] *Reipublicæ pauci studebant: plerique omnes huic vel illi aderant, prout unumquemque privatim obstrictum tenebant amor favorque.*

18 *Romana* abest a multis edd. *Ita ancipiti bello castra opp.* Ms. Veith.— 19 Vulg. *arcere jam vim.*—20 Vet. lib. apud Sigon. *occupaverat.*

NOTÆ

[q] *Pleraque castella oppugnata*] Propugnacula minorum castrorum intelligit, quibus Sergius præerat.

pedibus iretur,[r] ceteri tribuni militum nihil contradicere. At enimvero Sergius Virginiusque, propter quos pœnitere magistratuum ejus anni senatum apparebat,[f] primo deprecari ignominiam, deinde intercedere senatus consulto: negare, se ante Idus Decembres, solennem ineundis magistratibus diem, honore abituros esse. Inter hæc tribuni plebis, cum in concordia hominum secundisque rebus civitatis inviti silentium tenuissent, feroces repente minari tribunis militum, nisi in auctoritate senatus essent, se in vincula eos duci jussuros esse. Tum C. Servilius Ahala tribunus militum: 'Quod ad vos attinet, tribuni plebis, minasque vestras, næ ego libenter experirer, quam non plus in his juris, quam in vobis animi, esset.[2 s] Sed nefas est tendere adversus auctoritatem senatus. Proinde et vos desinite inter nostra certamina locum injuriæ quærere: et collegæ aut facient, quod censet senatus, aut, si pertinacius tendent, dictatorem extemplo dicam, qui eos abire magistratu cogat.' Cum omnium assensu comprobata oratio esset, gauderentque Patres, sine tribuniciæ potestatis terriculis[t]

[f] *Constabat magistratus ejus anni Senatui displicere.*

1 *Octobris* Crevier.—2 'In quibusdam libris rectius, opinor, legitur,

NOTÆ

[r] *In quam sententiam cum pedibus iretur*] Tritum pedibus in sententiam iri, cum Senatusconsultum consensu fiebat per discessionem, non exquisitis singulorum sententiis; sed magistratu, qui ad Senatum retulerat dicente, qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem.

[s] *Quam non plus in his juris, quam in vobis animi, esset*] Glareanus se horum verborum sensum non satis percipere fatetur. Nec mirum, quandoquidem pronomen *his* ad tribunos militum, Sergium et Virginium, refert, qui magistratum deponere recusabant; cum potius ad *minas* referendum sit Gronovii judicio, meoque: ut enim ostendat Servilius, tribunus militum, se minas tribunorum plebis flocci facere, vellem, inquit, experimentum facere vestræ nostræque potestatis ac virium; ut appareret, vobis non magis jus esse ejusmodi minas intentandi, quam audaciam, ad exequendum quæ minari audetis. Quidam libri habent *quam in nobis animi*, Gronov. teste: idque paulo forte melius: ut sit sensus, experimento comprobarem, nec ullo jure niti minas vestras de nobis eripiendo ante dicm magistratu quem populus Romanus nobis mandavit, et nos satis habere animi ad eum retinendum.

inventam esse aliam vim majorem ad coërcendos magistratus; victi[3] consensu omnium[u] comitia tribunorum militum habuere, qui Kalendis Octobribus[4] magistratum occiperent: seque ante eam diem magistratu abdicavere.

10. L. Valerio Potito quartum, M. Furio Camillo[x] iterum,[5] M'. Æmilio Mamercino[6] tertium, Cn. Cornelio Cosso iterum, K. Fabio Ambusto, L. Julio Julo tribunis militum consulari potestate,* multa domi militiæque gesta. Nam et bellum multiplex fuit eodem tempore, ad Veios,[7][y] et ad Capenam, et ad Falerios, et in Volscis, ut Anxur ab hostibus recuperaretur: et Romæ simul delectu,[8] simul tributo conferendo, laboratum est:[z] et de tribunis plebei[9] cooptandis[a] contentio fuit: et haud parvum motum duo judicia eorum, qui paulo ante consulari potestate fuerant, excivere. Omnium primum tribunis militum fuit, delectum haberi; nec juniores modo[b] conscripti, sed seniores etiam coacti no

quam non plus in his minis juris, quam in nobis animi esset.' Rupert.—3 Post vel ante *victi* excidisse *hi*, suspicatur Scheller.—4 *Octobris* Crevier.
5 *Iterum* del. Gronov. Doujat.—6 Vulg. *M. Æmilio Mamerco tertium.*—7 *Et ad Veios* Gronov. Doujat.—8 Legendum monet Sigon. ex vet. lib. *simul*

NOTÆ

[t] *Sine tribuniciæ potestatis terriculis*] *Terricula*, pro terriculamentis, minus usitatum.

[u] *Victi consensu omnium*] Sergius et Virginius tribuni militum.

[x] *M. Furio Camillo*] In quibusdam codicibus additur *iterum:* idque perperam. Hunc enim primum esse tribunatum Camilli, qui postea dictator, ex Sigonio annotatum est initio hujus libri.

* A. U. C. 353.

[y] *Ad Veios, &c.*] De his supra. Veii, nunc *l'Isola;* Capena, *Morlupo;* Falerii, *Falari;* cuncta in patrimonio S. Petri: Anxur, *Tarracina*, in Campania Romana.

[z] *Simul delectu, simul tributo conferendo, laboratum est*] Sigonius legi vult *simul de delectu.* Et vero 'de aliqua re laborare' ab auctoribus usurpatur, pro eo quod est solicitum esse, *être en peine de quelque chose.* Sed, 'laborare aliqua re,' est vexari, affligi, incommodum ex ea pati: quod proprie de morbis dictum, per metaphoram ad alia transfertur. Atque hic sensus forte hoc loco elegantior.

[a] *De tribunis plebei* [*plebis*] *cooptandis*] Vide paulo post.

[b] *Nec juniores modo*] Initium militiæ apud Romanos plena ferme pubertas, annus XVII. completus; finis pedestris quidem militiæ, annus quadragesimus septimus, post stipendia vicena ex instituto Servii Tullii. Ad hanc usque ætatem juniores habebantur; post eam in seniorum numero: auctor Tubero apud Agell. lib. X. c. 28. Quodsi quis casu aliquo

mina dare, ut Urbis custodiam agerent. Quantum autem augebatur militum numerus, tanto majore pecunia in stipendium opus erat: eaque tributo conferebatur, invitis conferentibus, qui domi remanebant, quia tuentibus Urbem opera quoque militari laborandum serviendumque rei publicæ erat. Hæc per se gravia, indigniora ut viderentur, tribuni plebis seditiosis concionibus faciebant, 'ideo æra militibus constituta esse,' arguendo, 'ut plebis partem militia, partem tributo conficerent. Unum bellum annum jam tertium[10] trahi,[c] et consulto male geri, ut diutius gerant. In quatuor deinde bella uno delectu exercitus scriptos, et pueros quoque ac senes extractos.[d] Jam non æstatis nec hyemis discrimen esse, ne ulla quies unquam miseræ plebi sit: quæ nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit;[e] ut, cum confecta labore, vulneribus, postremo ætate corpora retulerint, incultaque omnia diutino dominorum desiderio[g] domi invenerint, tributum ex affecta re

[g] *Ob longiorem absentiam dominorum.*

de delectu.—9 *Plebi* Gronov. *plebis* Doujat.—10 *Annum jam quintum* emen-

NOTÆ

intra eam ætatem stipendia non implesset, tamen anno quinquagesimo vacationem habebat a militia. Equitem decennium absolvebat.

[c] *Unum bellum annum jam tertium trahi*] Glareanus emendat *annum jam quintum:* quia quinto anno ante Veii obsideri cœpti, anno scil. 348. qui ipsi est 350. duobus Corneliis Cossis tribunis mill. ut lib. IV. c. 58. Sed Sigonius advertit, tribunos plebis, quorum hæc oratio est, rationem habere ejus duntaxat temporis, quo primum obsidionis illius causa hyemare in castris Romani cœperant: atque ab eo anno trahi bellum queruntur.

[d] *Pueros quoque ac senes extractos*] Eductos vult ex urna, in quam nomina conjiciebantur. Sorte enim ad delectum tribus citabantur, et tribules. Ceterum nec impuberes, nec seniores nomina dare cogebantur, nisi in dubiis reip. rebus, et cogente necessitate. Quin nec inter milites admittebantur servi, libertini, capite censi, quive artem ludicram fecerant, ideoque infames habebantur.

[e] *Nunc etiam vectigalis ad ultimum facta sit*] Vectigal a vehendo, sive a vectura dictum, proprie reditum publicum significat, qui ex mercibus exportandis aut importandis percipitur, portorium puta, decimas fructuum, &c. Latinis tamen sumitur pro quovis reditu, etiam privato. Vectigalis ager, populus, provincia dicitur, pendendo vectigali obnoxia, cujuscumque generis vectigal sit, sive tributum, sive stipendium. Hæc

familiari pendant; æraque militaria, velut fœnere accepta, multiplicia rei publicæ reddant.' Inter delectum tributumque, et occupatos animos majorum rerum curis, comitiis tribunorum plebis numerus expleri nequiit.[11] [f] Pugnatum inde, in loca vacua ut patricii cooptarentur. Postquam obtineri non poterat, tamen labefactandæ [12] legis Treboniæ causa [g] effectum est, ut cooptarentur tribuni plebis C. Lacerius [13] et M. Acutius, haud dubie patriciorum opibus.

11. Fors ita tulit, ut eo anno tribunus plebis Cn. Trebonius [14] esset, qui nomini ac familiæ debitum præstare videretur Treboniæ legis patrocinium. Is, 'quod petissent Patres quidam, primo incepto repulsi,[h] tamen tribunos militum [15] expugnasse,' vociferans,[h] 'legem Treboniam [i] sublatam, et cooptatos tribunos plebis non suffragiis populi, sed imperio patriciorum; et eo revolvi [16] rem, ut aut patricii, aut patriciorum asseclæ habendi tribuni plebis sint: eripi sacratas leges, extorqueri tribuniciam potestatem: id fraude patriciorum, scelere ac proditione collegarum factum' ar-

[h] *Is exclamans tribunos militum obtinuisse per asseclas suos, id quod nonnulli e Senatoribus, pro se frustra petierant, tribunatum scilicet plebis.*

dandum esse censet Glareanus.—11 *Nequivit* Gronov. Donjat. Crevier.—12 Vett. libb. *tum labefactandæ.*—13 Al. *C. Lucretius.*
14 Al. *C. Trebonius.*—15 Vet. lib. ap. Sigon. *tum tamen t. m.*—16 *Devolvi*

NOTÆ

enim vocabula promiscue sumi, apparet ex hoc ipso cap.

[f] *Numerus expleri nequiit*] Pro decem tribunis plebis, qui solennis numerus erat, non nisi octo majoris tribuum numeri suffragia tulerant. Ideoque duo adhuc erant loca vacua, quæ collegarum cooptatione repleri poterant, inspecta rei origine. Vide lib. III. c. 61.

[g] *Labefactandæ legis Treboniæ causa*] Plures fuere Treboniæ leges. Hic ea significatur quam L. Trebonius, asper cognomine, trib. plebis anno 306. tulerat, qua cavebatur ut magistratus, qui præesset comitiis tribunorum creandorum, usque eo rogaret, dum decem tribunos plebis faceret. Sicque tribunorum cooptatio ademta fuerat collegio, atque in populum translata. Vide lib. III. c. 65.

[h] *Primo incepto repulsi*] Nimirum ab eo quod voluerant in loca vacua tribunorum plebis cooptari.

[i] *Legem Treboniam, &c.*] Pendet oratio a *vociferans*, usque ad *arguere:* 'est autem vociferans arguebat:' ut notat recte Sigon.

guere. Cum arderent invidia,[i] non Patres modo, sed etiam tribuni plebis, cooptati pariter, et qui cooptaverant; tum ex collegio tres,[k] P. Curiatius,[17] M. Metilius, et M. Minucius, trepidi rerum suarum,[k] in Sergium Virginiumque, prioris anni tribunos militares, incurrunt: in eos ab se iram plebis invidiamque, die dicta, avertunt. 'Quibus delectus, quibus tributum, quibus diutina militia longinquitasque belli sit gravis, qui clade accepta ad Veios doleant, qui amissis liberis, fratribus, propinquis, affinibus, lugubres domos habeant; iis publici privatique doloris exequendi jus potestatemque ex duobus noxiis capitibus datam ab se,' memorant. 'Omnium namque malorum in Sergio Virginioque causas esse: nec id accusatorem magis arguere, quam fateri reos; qui, noxii ambo, alter in alterum causam conferant, fugam Sergii Virginius, Sergius proditionem increpans Virginii. Quorum adeo incredibilem amentiam fuisse, ut multo verisimilius sit, compacto[18] eam rem et communi fraude patriciorum actam. Ab his et prius datum locum Veientibus ad incendenda opera, belli trahendi causa; et nunc proditum exercitum, tradita Faliscis Romana castra. Omnia fieri, ut consenescat ad Veios juventus: nec de agris, nec de aliis commodis plebis ferre ad populum tribuni, frequentiaque urbana celebrare actiones,[l] et resistere conspirationi patriciorum possint. Præjudicium jam de reis et ab senatu, et ab populo Romano, et ab ipsorum collegis factum esse. Nam et senatus consulto eos ab re publica remotos[1] esse, et, recu-

[i] *Cum incurrissent in odium.*
[k] *De propriis rebus soliciti.*
[l] *Et frequentes reddere actiones abundante Romæ multitudine.*

Gronov. Doujat. Crevier.—17 Vett. libb. *Curatius.*—18 'Aliquot libri, *conspecto:* alii, quibus assentior, *ex composito* habent, pro *compacto:* sic infra:

NOTÆ

[k] *Ex collegio tres*] Collegium plerumque dicitur de cœtu, sive sodalitate tribunorum plebis. Tres igitur ex decem tribunis.

[1] *Senatus consulto eos ab re pub. remotos*] Ab repub. removere, est magistratu, seu publico munere privare. Sic enim summovetur quis a reip. ad-

santes abdicare se magistratu, dictatoris metu ab collegis coërcitos esse: et populum Romanum tribunos creasse, qui non Idibus Decembribus die solenni, sed extemplo Kalendis Octobribus magistratum occiperent, quia stare diutius res publica, his manentibus in magistratu, non posset. Et tamen eos, tot judiciis confossos prædamnatosque, venire ad populi judicium; et existimare, defunctos se esse,[m] satisque pœnarum dedisse, quod duobus mensibus citius[m] privati facti sint: neque intelligere, nocendi sibi diutius tum potestatem ereptam esse, non pœnam irrogatam; quippe et collegis abrogatum imperium, qui certe nihil deliquissent. Illos repeterent animos Quirites, quos recenti clade accepta[19] habuissent, cum fuga trepidum, plenum vulnerum ac pavore incidentem portis, exercitum viderint, non fortunam aut quenquam Deorum, sed hos duces accusantem. Pro certo se habere, neminem in concione stare, qui illo die non caput, domum, fortunasque L. Virginii ac M'. Sergii sit execratus detestatusque. Minime convenire, quibus iratos quisque Deos precatus sit, in iis sua potestate,[20] cum liceat et oporteat, non uti. Nunquam Deos ipsos admovere nocentibus manus. Satis esse, si occasione ulciscendi læsos arment.'

12. His orationibus incitata plebs denis millibus æris gravis[o] reos condemnat, nequicquam Sergio Martem com-

[m] *Offerri judicandos a populo; et credere se jam liberatos esse periculo.*

'clarissimis viris ex composito præparatis ad petendum.'' *Sigon.*—19 '*Accepta* delendum videbatur Ern. Mox forte leg. *plenum vulnerum ac pavoris:* nisi orationem variare voluit Livius.' *Rupert.* Conj. J. F. Gronov. *plenum vulneris ac pavoris.*—20 'Veteres libri habent, *summa potestate,* atque ita sine dubio legendum est.' *Sigon.* Improbant J. F. Gronov. et Doujat.

NOTÆ

ministratione, ut probat Gronov. exemplis ex Cæs. et Vell. adductis. Vide sup. c. 9.

[m] *Duobus mensibus citius*] Elevat aliquantum Curiatius pœnam illius ignominiæ, ut minus idoneam ostendat vindicandæ Sergii et Virginii culpæ. A Kalendis enim Octobribus ad Idus Decembres supra duos menses est adhuc dimidius.

[n] *In iis sua potestate*] Ita melius quam, quod suggessit Sigonius, *summa potestate.*

[o] *Denis millibus æris gravis*] Efficit

munem belli fortunamque[1] accusante, Virginio deprecante, ne infelicior domi, quam militiæ, esset. In hos versa ira populi cooptationis tribunorum, fraudisque contra legem Treboniam factæ, memoriam obscuram fecit. Victores tribuni, ut præsentem mercedem judicii plebes haberet, legem agrariam promulgant, tributumque conferri prohibent: cum tot exercitibus stipendio opus esset, resque militiæ[2] ita prospere gererentur,[p] ut nullo bello veniretur ad exitum spei.[q] Namque[3] Veiis castra, quæ amissa erant, recuperata castellis præsidiisque firmantur. Præerant tribuni militum M'. Æmilius et K. Fabius.[4] M. Furio[5] in Faliscis, et Cn. Cornelio in Capenate agro hostes nulli extra mœnia inventi: prædæ actæ, incendiisque villarum ac frugum vastati fines: oppida nec oppugnata,[6] nec obsessa sunt. At in Volscis, depopulato agro, Anxur nequicquam oppugnatum, loco alto situm; et, postquam vis irrita erat,[n] vallo fossaque obsideri cœptum. Valerio Potito Volsci provincia evenerat. Hoc statu militarium rerum seditio intestina majore mole coorta, quam bella tractabantur; et, cum tributum conferri per tribunos non posset, nec stipendium imperatoribus mitteretur, æraque militaria flagitaret miles, haud procul erat, quin castra quoque ur-

[n] *Cum oppugnatio irrita fuisset.*

1 Mss. alios, qui vel *bellique fortunam*, vel *fortunamque belli* exhibent, secutus essem, nisi monente Drakenborchio vidissem etiam aliis in locis Livium dicere 'Mars communis belli :' ut lib. VII. cap. 8. 'quicquid hinc aut illinc communis Mars belli aufert.'' *Stroth.*—2 Vulg. *militiâ*. Pro *ut nullo*, emend. Scheller *multo*, et pro *spei* Rhenan. legit *rei*.—3 Conj. Rupert. *Jamque*.—4 Vulg. *Q. Fabius*.—5 *A M. Furio* Edd. a Rhenan. ad Drak.—6 '*Oppida oppugnata* edidit Drak. ut designentur oppida primo impetu frustra expugnari cœpta. Nos restituimus *nec* sensu et faciliore et aptiore, etsi abest ab omnibus fere Mss. et edd. ante Ald.' *Rupert.* *Nec* inserendum esse censet

NOTÆ

hæc summa nostræ monetæ circiter 6750. lib.

p *Resque militiæ ita prospere gererentur*] Sic Gronov. scribit: et tritum est *domi militiæque*. Vulgo *militia* in auferendi casu, ut 'bello,' sive 'in bello.'

q *Ad exitum spei*] Ita scribendum, non *ad exitum rei*, ut Rhenan. legit, molesta vocabuli ejusdem iteratione. Est enim paulo ante 'resque militiæ.' Alterum illud vindicat apud Gronov. Livius ipse supra, 'quamvis seræ spei exitum expectare.'

banæ seditionis contagione turbarentur. Inter has iras plebis in Patres, cum tribuni plebis nunc illud tempus esse dicerent stabiliendæ libertatis, et ab Sergiis Virginiisque[r] ad plebeios viros fortes ac strenuos transferendi summi honoris; non tamen ultra processum est, quam ut unus ex plebe, usurpandi juris causa, P. Licinius Calvus tribunus militum consulari potestate crearetur:* ceteri patricii[s] creati P. Mænius, L. Titinius, P. Mælius, L. Furius Medullinus, L. Publilius Volscus.[7] Ipsa plebes mirabatur, se tantam rem obtinuisse; non is modo, qui creatus erat, vir nullis ante honoribus usus, vetus tantum senator,[t] et ætate jam gravis. Nec satis constat, cur primus ac potissimus ad novum delibandum honorem sit habitus. Alii Cn. Cornelii fratris,[u] qui tribunus militum priore anno fuerat, triplexque stipendium equitibus dederat, gratia extractum ad tantum honorem credunt: alii orationem ipsum tempestivam de concordia ordinum, Patribus plebique gratam, ha-

quoque Doering.—7 Vulg. *P. Manlius, et P. Titinius, P. Melius, L. Furius Medullinus, L. Popilius Volscus.*

NOTÆ

[r] *Ab Sergiis Virginiisque*] Ab inutilibus patriciis, quales L. Virginius et M. Sergius tribuni militum, cap. super.

* A. U. C. 354.

[s] *Ceteri patricii*] Plebeios tamen omnes hos esse, præter Furium, ex plebeiis eorum magistratibus, Sigonius observat.

[t] *Vetus tantum senator*] Nuspiam meminit Livius quo tempore Senatores ex plebe fieri cœperint. At Dionysius lib. VII. an. Urb. cond. 263. primum ex plebe factos scribit, quemadmodum notat Glar.

[u] *Alii Cn. Cornelii fratris*] Glarean. Licinii fratrem Cornelium intelligit, quod uterque eadem matre natus esset, nupta primum plebeio Licinii patri, deinde patricio patri Cornelii. Sigon. probabilius fratres eos fuisse putat, non quod ambo nati essent ex eadem matre, diversi ordinis patribus; neque enim censet potuisse L. Licinium, qui jam extrema senectute esset, ex eadem matre nasci post communicata ordinum connubia, cum hoc ante annos duntaxat XIV. concessum esset; verum existimat eos germanos fratres fuisse, iisdem parentibus ortos, sed Cneium in Corneliam gentem fuisse adoptatum: unde modo Cornelius Cossus, modo Licinius Cossus dictus est: nam Licinium Cossum appellatum colligitur ex Plutarcho in Camillo, ubi tres legati Delphos missi memorantur, Licinius Cossus, Valerius Potitus, et Fabius Ambustus, iidem fere qui collegæ etiam in tribunatu mill. fuisse a Livio traduntur.

buisse. Hac victoria comitiorum exultantes tribuni plebis, quod maxime rem publicam impediebat, de tributo remiserunt. Collatum obedienter, missumque ad exercitum est.

13. Anxur in Volscis brevi receptum est, neglectis die festo custodiis urbis. Insignis annus hyeme gelida ac nivosa fuit, adeo ut viæ clausæ, Tiberis innavigabilis fuerit. Annona ex ante convecta copia nihil mutavit.[o] Et quia P. Licinius, ut ceperat haud[8] tumultuose magistratum, majore gaudio plebis, quam indignatione Patrum, ita etiam gessit; dulcedo invasit proximis comitiis tribunorum militum plebeios creandi.[p] Unus M. Veturius ex patriciis candidatis locum tenuit:[q] plebeios alios tribunos militum consulari potestate omnes fere centuriæ dixere, M. Pomponium,[x] C. Duilium, Voleronem Publilium, Cn. Genucium, L. Atilium.[9] * Tristem hyemem, sive ex intemperie cœli, raptim mutatione in contrarium facta, sive alia qua de causa, gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit. Cujus insanabili pernicie quando nec causa nec finis inveniebatur,[y] [10]

[o] *Auctum non est annonæ pretium, ob copiam frumenti antea advectam.*

[p] *Sequentibus comitiis, quibus tribuni militum creandi fuerunt, populum cepit libido eos de plebe creandi.*

[q] *Servavit dignitatem illam.*

8 ' *P. Licinius, ut cœperat, haud, &c.*] *Ceperat*, a *capio*, non a *cœpi* legendum est: et *ceperat haud tumultuose magistratum* scribendum est, sublato commate.' *Sigon.*—9 Vid. inf. et Not. Var.—10 ' Vox *causa* ex linea superiore per incuriam huc delata est. Legendum *nec curatio nec finis:* vel, *nec remedium nec finis:* quæ verba hinc sumsisse videtur epitomistes in re alia: ' cujus remedium et finis per novas religiones quæreretur:' ut ut sit, ejiciendum hinc

NOTÆ

[x] *M. Pomponium, &c.*] Horum nomina tum apud Diodorum, tum in omnibus vetustis Livii libris inveniuntur: licet in vulgatis legantur, pro *M. Pomponio, L. Titinius,* pro *C. Duilio, P. Menenius Racilius,* omisso *Volerone Publilio;* de quo tamen extat fragmenti Capitolini testimonium. Unde non immerito vitiatum locum arguit Sigon. qui et *Atilios* unico *t* scribi oportere notat ex veteribus libris, scriptoribus Græcis, lapidibus Capitolinis, atque etymologia: ab Atiis quippe Atilii orti sunt; illi vero ab Ati: unde Virgilius: 'Alter Atis, genus unde Atii duxere Latini.'

* A. U. C. 355.

[y] *Quando nec causa nec finis inveniebatur*] Vocem *causa* ex superiore linea huc delatam vult Tan. Faber,

libri Sibyllini[z] ex senatus consulto aditi sunt. Duumviri sacris faciundis,[a] lectisternio tunc primum in urbe Romana facto,[b] per dies octo Apollinem, Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus,[c] quam amplissime tum apparari poterat,[d] stratis lectis placavere. Privatim quoque id sacrum celebratum est.[e] Tota urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt; et cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum; vinctis quoque demta in eos dies vincula; religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent,[f] vinciri. Interim ad Veios terror multiplex fuit; tribus in unum bellis collatis. Namque eodem, quo antea, modo[g]

NOTÆ

legendumque *nec curatio, nec finis*, vel *nec remedium, nec finis*. Et sane cum Auctor causam pestilentiæ indicaverit subitam aëris mutationem, secum haud dubie pugnaret, si diceret ejus causam inveniri non potuisse. Sed curatio sive remedium morbi non multum a fine differt. Fortasse causam moralem intelligit, factum scilicet, quo provocata Deum ira: quæ quidem a causa naturali differt.

[z] *Libri Sibyllini*] De his vide quæ nos lib. IV. cap. 25. diximus.

[a] *Duumviri sacris faciundis*] De his quoque, quorum progressu temporis numerus auctus manente officio, antea dictum.

[b] *Lectisternio tunc primum... facto*] Extraordinarius apud Romanos fuit Diis supplicandi ritus: cum lectis in Dei alicujus templo stratis, convivium, tanquam Diis accubituris, apparabatur. Sic autem appositis epulis, sacerdotes ipsi, seu duumviri, ac postea triumviri, vel septemviri, epulones Deorum loco vescebantur.

[c] *Tribus... stratis lectis*] Ex quo inter cœnandum discumbendi mos inolevit apud Romanos; in cœnaculo circa mensam tres ut plurimum lecti collocabantur. Ex quo Triclinii nomen, vel Biclinii, (quod et sigma postea dictum,) ubi duo tantum lecti erant. Est enim Græce κλίνη, quod Latine *lectus*. Unum autem lectum terni aut quaterni occupabant. Hic itaque in primum lectum quasi invitari potuere Apollo ac Diana cum Latona matre; Hercules et Mercurius, Jove et ipsi nati, in secundum; Neptunus, ejusdem frater, in tertium.

[d] *Quam amplissime apparari poterat*] Insternebantur lecti aulæis, purpura, aut alia stragula veste.

[e] *Id sacrum celebratum est*] Quemadmodum munera sponsalitia, et nuptiarum nomine celebritas nuptiarum sive convivium nuptiale significatur; ita per *sacrum* hic intelligit Livius festum convivium sacrorum causa celebratum.

[f] *Quibus eam opem Dii tulissent*] Id est, qui in honorem Deorum, ac velut Diis opem ferentibus, soluti vinculis fuerant.

[g] *Eodem, quo antea, modo*] Qui narratur supra cap. 8.

circa munimenta, cum repente Capenates Faliscique subsidio venissent, adversus tres exercitus ancipiti prælio pugnatum est. Ante omnia adjuvit memoria damnationis Sergii ac Virginii.[h] Itaque majoribus[11] castris,[i] unde antea cessatum fuerat, brevi spatio circumductæ copiæ Capenates, in vallum Romanum versos, ab tergo aggrediuntur. Inde pugna cœpta et Faliscis intulit terrorem, trepidantesque eruptio ex castris opportune facta avertit. Repulsos deinde insecuti victores ingentem ediderunt cædem. Nec ita multo post jam palantes, veluti forte oblati, populatores Capenatis agri reliquias pugnæ absumsere: et Veientium refugientes in urbem multi ante portas cæsi, dum præ metu, ne simul Romanus irrumperet, objectis foribus extremos suorum exclusere.[r]

14. Hæc eo anno acta. Et jam comitia tribunorum militum aderant, quorum prope major Patribus, quam belli, cura erat; quippe non communicatum modo cum plebe, sed prope amissum, cernentibus summum imperium. Itaque clarissimis viris ex composito præparatis ad petendum, quos prætereundi verecundiam crederent fore,[s] nihilominus ipsi, perinde ac si omnes candidati essent, cuncta experientes, non homines modo, sed Deos etiam, excipiebant;[12 k]

[r] *Et multi Veientium cum in urbem suam refugerent, cæsi sunt ante portas, dum qui primi ingressi erant, foribus oppositis ultimos excluserunt, cum metuerent ne una cum suis Romani irrumperent.*

[s] *Quos sine pudore prætermitti non posse existimabant.*

τὸ *causa.*' Tan. Faber.—11 'Ante *majoribus* excidisse *e* videtur.' *Rupert.*

12 'An legendum cum aliis *acciebant*, vel *exciebant*, vel *excitabant*, in rem

NOTÆ

[h] *Sergii ac Virginii*] De quibus cap. 9. 11. 12.

[i] *Majoribus castris*] Malim *e majoribus castris*, ut non ea Capenates adorti essent, sed minora. Sic enim hæc oppugnatio cum superiore magis conveniet, qua in minoribus castris obsessus Sergius subsidium a majoribus expectabat: et contra superiori defensioni hæc recte opponetur, si e majoribus castris nunc summissum dicatur subsidium, e quibus nullum tunc Sergio latum. Alioqui fatendum erit, minus recte hujus temporis cum illo institui comparationem.

[k] *Deos etiam excipiebant*] Hoc loco 'excipere' est quasi arripere, et ad suas partes trahere. Non absimili sensu dixit Cic. de Orat. 'Ex alterius oratione excipere aliud atque ille vult.'

in religionem vertentes comitia biennio habita: priore anno intolerandam hyemem prodigiisque divinis similem[1] coortam: proximo non prodigia, sed jam eventus, pestilentiam agris urbique illatam haud dubia ira Deum: quos pestis ejus arcendæ causa placandos esse, in libris fatalibus[m] inventum sit. Comitiis, auspicato quæ fierent,[n] indignum Diis visum honores vulgari, discriminaque gentium confundi. Præterquam majestate petentium, religione etiam attoniti homines patricios omnes, partem magnam honoratissimum quemque, tribunos militum consulari potestate creavere, L. Valerium Potitum quintum, M. Valerium Maximum, M. Furium Camillum tertium,[13] [o] L. Furium Medullinum tertium, Q. Servilium Fidenatem iterum, Q. Sulpicium Camerinum iterum.* His tribunis ad Veios nihil admodum memorabile actum est. Tota vis in populationibus fuit. Duo summi imperatores, Potitus a Faleriis, Camillus a Capena, prædas ingentes egere, nulla incolumi relicta re, cui ferro aut igni noceri posset.

15. Prodigia interim multa nuntiari;[14] quorum pleraque, et quia singuli auctores erant, parum credita spretaque, et quia, hostibus Etruscis,[t] per quos ea procurarent,[p] haru-

Cum tunc Etrusci essent hostes Romanorum.

suam vel in auxilium vocabant?' *Rupert.*—13 Alii legunt *Camillum iterum.*

NOTÆ

[1] *Prodigiisque divinis similem*] Num potius *fertilem?* Aut, si mavis, *terribilem.*

[m] *In libris fatalibus*] Sibyllinis, quibus urbis fata contineri credebantur, aut prænuntiari.

[n] *Comitiis, auspicato quæ fierent*] In comitiis etiam tributis, id quidem obtinebat, ut haberi non possent, quo die servatum esset de cœlo: sed præter hæc, in comitiis centuriatis, quibus majores magistratus creabantur, in curiatis etiam, adhibebantur auspicia proprie dicta, id est, avium inspectio. Quare, cum auspicia, more majorum, essent penes solos patricios, ut ante dictum, lib. IV. cap. 6. et adhuc lib. VI. cap. 41. dicetur; non sine colore aliquo fremebant patricii, summos honores in plebem vulgari, et cum ea communicari.

[o] *M. Furium Camillum tertium* [*iterum*] Vulgati habent *Camillum tertium:* sed contra Veterum fidem, et Plutarchi quoque, qui hoc anno, quo lacus Albanus inundavit, eum secunda vice tribunum fuisse testatur.

* A. U. C. 356.

[p] *Per quos ea procurarent*] Prodigia

spices non erant.[q] In unum omnium curæ versæ sunt, quod lacus in Albano nemore,[r] sine ullis cœlestibus aquis,[s] causave qua alia, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam crevit. Quidnam eo Dii portenderent prodigio, missi sciscitatum oratores ad Delphicum oraculum: sed propior interpres fatis oblatus senior quidam Veiens, qui inter cavillantes in stationibus ac custodiis milites Romanos Etruscosque, vaticinantis in modum, cecinit, 'Priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret, nunquam potiturum Veiis Romanum.' Quod primo, velut temere jactum, sperni, agitari deinde sermonibus cœptum est; donec unus ex statione Romana percunctatus proximum oppidanorum, (jam per longinquitatem belli commercio sermonum facto,) quisnam is esset, qui per ambages de lacu Albano jaceret;[u] postquam audivit haruspicem esse, vir haud intacti religione animi, causatus de privati portenti procuratione, si operæ illi esset,[t] consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. Cumque progressi ambo a suis longius essent inermes, sine ullo metu; prævalens juvenis Romanus senem infirmum, in conspectu omnium raptum, nequicquam tumultuantibus Etruscis, ad suos transtulit. Qui cum per-

[u] *Verba faceret de Albano lacu.*

NOTÆ

procurare dicebantur, qui ea certo sacrificiorum genere expiabant. Quid autem monstrum et prodigium unumquodque portenderet, interpretari; quæ sacra in eam rem, cui Deo, quibusve victimis fieri oporteret, cognoscere non quorumvis erat; sed eorum qui eam artem callerent. In ea excellere credebantur Etrusci: ideoque Senatus decreto liberi principum patriciorum selecti, certo numero, Etruriæ populis in disciplinam tradebantur.

[q] *Haruspices non erant*] Proprie haruspices iidem sunt cum extispicibus, qui hostiæ immolatæ inspectis extis futura prædicunt: licet generalius accipiatur haruspex pro quovis hariolo.

[r] *Lacus in Albano nemore*] Qui Albanus olim lacus dicebatur ab Alba Longa ad ejus ripam posita, hodie vocatur *Lago di Castel Gandolfo*, ab ejus nominis arce vicina, in quam divertere soliti Pontifices Maximi.

[s] *Cœlestibus aquis*] Describit hoc prodigium Valer. Max. lib. I. cap. 6. 'Neque cœlestibus imbribus auctus, neque inundatione ullius amnis adjutus, solitum stagni modum excessit.'

[t] *Si operæ illi esset*] Liviana phrasis, pro, si illi vacaret, si operam ille suam in id vellet impendere. *S'il avoit loisir de s'employer à cela.*

ductus ad imperatorem, inde Romam ad senatum missus esset, sciscitantibus, quidnam id esset, quod de lacu Albano docuisset, respondit: 'Profecto iratos Deos Veienti populo illo fuisse die, quo sibi eam mentem objecissent, ut excidium patriæ fatale proderet. Itaque, quæ tum cecinerit divino spiritu instinctus, ea se nec, ut indicta sint, revocare posse; et tacendo forsitan, quæ Dii immortales vulgari velint, haud minus, quam celanda effando, nefas contrahi.[x] Sic igitur libris fatalibus, sic disciplina Etrusca traditum esse, ut quando[15] aqua Albana abundasset, tum, si eam Romanus rite emisisset, victoriam de Veientibus dari. Antequam id fiat, Deos mœnia Veientium deserturos non esse.' Exequebatur inde, quæ solennis derivatio esset.[y] Sed auctorem levem nec satis fidum super tanta re Patres rati, decrevere, legatos sortesque oraculi[u] Pythici[x] expectandas.

16. Priusquam a Delphis oratores redirent, Albanive prodigii piacula invenirentur, novi tribuni militum consulari potestate, L. Julius Julus, L. Furius Medullinus quartum, L. Sergius Fidenas, A. Postumius Regillensis, P. Cornelius Maluginensis, A. Manlius,* magistratum inierunt.[16]

[x] *Committi crimen.*
[y] *Post hæc prosequebatur quomodo rite facienda esset emissio aquæ ex lacu.*

14 Plerique libb. vett. *nuntiata.*—15 'Mihi particula *ut*, importata haud dubie a librario quodam male sedulo, qui eam, nulla ceteræ orationis ratione habita, ad antecedentem particulam *sic* referret, delenda omnino videtur; nisi forte τὸ *ut* pro, ubi, ut Græcorum ἵνα, accipiendum sit.' *Doering.*

NOTÆ

[u] *Sortesque oraculi*] Sumitur sæpenumero *sortis* et *sortium* vocabulum pro oraculo sorte edito: ut apud Virg. 'Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.' Ut enim observat Cic. I. de Divinat. oracula duplicis fuere generis: alia instinctu divino afflatuque fundebantur: alia æquatis sortibus ducebantur; cum scilicet *sortes* certis obscuris sententiis notatæ, quarum quædam felicitatem, quædam calamitatem denuntiabant, pari numero in situlam vel urnam conjectæ, consulentibus reddebantur.

[x] *Oraculi Pythici*] Apollinis Delphici, qui Pythius dictus, sive ab interemto Pythone serpente, de quo Ovid. I. Metam. sive a verbo πυνθάνομαι, quod est consulere et interrogare. Hinc ejus sacerdos apud Delphos (quæ urbs Phocidis in Græcia) Pythia: ludi in ejus honorem celebrati Pythici.

* A. U. C. 357.

Eo anno Tarquinienses novi hostes exorti. Quia[17] simul multis bellis, Volscorum ad Anxur, ubi præsidium obsidebatur, Æquorum ad Lavicos, qui Romanam ibi coloniam oppugnabant, ad hoc Veienti quoque et Falisco et Capenati bello occupatos videbant Romanos, nec intra muros quietiora negotia esse certaminibus Patrum ac plebis; inter hæc locum injuriæ rati esse, prædatum in agrum Romanum cohortes expeditas mittunt. Aut enim passuros inultam eam injuriam Romanos, ne novo bello se onerarent; aut exiguo, eoque parum valido, exercitu persecuturos. Romanis indignitas major,[z] quam cura, populationis Tarquiniensium fuit. Eo nec magno conatu suscepta, nec in longum dilata res est. A. Postumius et L. Julius non justo delectu, (etenim ab tribunis plebis impediebantur,) sed prope voluntariorum, quos adhortando incitaverant, coacta manu, per agrum Cæretem obliquis tramitibus egressi, redeuntes a populationibus gravesque præda Tarquinienses oppressere. Multos mortales obtruncant, omnes exuunt impedimentis; et, receptis agrorum suorum spoliis, Romam revertuntur. Biduum ad recognoscendas res datum dominis: tertio incognita (erant autem ea pleraque hostium ipsorum) sub hasta veniere; quodque inde redactum, militibus est divisum. Cetera bella, maximeque Veiens, incerti exitus erant. Jamque Romani, desperata ope humana, fata et Deos spectabant, cum legati ab Delphis venerunt, sortem oraculi afferentes, congruentem responso captivi vatis. ‘Romane, aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine[y] sinas. Emissam

[z] *Major indignatio.*

16 *Ineunt* vet. lib. ap. Sigon.—17 ‘Forte leg. *qui, quia* cet. judice Dukero.’

NOTÆ

[y] *Manare suo flumine*] Flumen hic non fluvium sive amnem significat, qualis nullus est per quem aqua Albani lacus in mare decurrat; sed accipitur pro fluxu nativo aquarum per declivia: jubenturque Romani operam dare ne ab exundanti lacu aqua impetu suo ad mare usque pertingat.

per agros rigabis,[18] dissipatamque rivis extingues.[a] Tum tu insiste audax hostium muris; memor, quam per tot annos obsides urbem, ex ea tibi his, quæ nunc panduntur, fatis victoriam datam. Bello perfecto, donum amplum victor ad mea templa portato: sacraque patria, quorum omissa cura est, instaurata, ut assolet, facito.'

17. Ingens inde haberi captivus vates cœptus, eumque adhibere tribuni militum Cornelius Postumiusque ad prodigii Albani procurationem ac Deos rite placandos cœpere. Inventumque tandem est, ubi neglectas cærimonias intermissumve solenne Dii arguerent; nihil profecto aliud esse, quam magistratus, vitio creatos, Latinas[19] sacrumque[z] in Albano monte non rite concepisse. Unam expiationem eorum esse, ut tribuni militum abdicarent se magistratu, auspicia de integro repeterentur, et interregnum iniretur. Ea ita facta sunt ex senatus consulto. Interreges tres deinceps fuere, L. Valerius, Q. Servilius Fidenas, M.

[a] *Emissam e lacu, sparges hinc inde per agros, et in rivos distrahendo exhauries.*

Rupert.—18 ' *Emissam per agros rigabis.* Quidam hæc dicta putant pro vulg. *emissa per agros rigabis,* sc. agros, (ut *sacra litare* pro *sacris l.*) vel ita legendum cum Ms. Voss. pr. Muretus emend. *derivabis,* aut *emissa agros rigabis.*' Idem Vid. Not. Var.

NOTÆ

[z] *Latinas, sacrumque*] Tarquinius Superbus auctore Dionysio lib. IV. ut sempiternum maneret inter Romanos et Latinos fœdus, instituerat sacrum solenne *Latiar*, in monte Albano, (qui medius inter Latii populos, Albanis etiam ortos, locus,) celebrandum Jovi Latiari, quo populi omnes Latini ac vicini numero 47. in societatem recepti, quotannis convenirent, et simul epularentur. In eum usum quantum quisque populus, alii agnorum, alii casei, lactisve, aut ciborum quantitatem conferret, constitutum erat, et quam quisque acciperet portionem carnium viscerumque ex tauro victima omnium communi. Hac de causa indicebantur feriæ a consulibus aliisve supremis magistratibus qui his sacris una cum magistratibus Latinarum civitatum operabantur, nec ante in provincias exire paludati consueverant. Porro si quid in iis sacris peccatum esset, quod aut non omnes Latini carnem accepissent, aut in cærimoniis aliquid esset omissum, ferias denuo instaurari oportebat. His unum diem dicaverat Tarquinius: alter additus est post fœdus cum Latinis a Sp. Cassio cos. percussum paulo post reges exactos: tertius adjectus a Senatu an. U. 260. post plebem patribus reconciliatam, auctore Dionysio extremo lib. VI. De quarto (qui post accessit) Noster lib. proximo.

Furius Camillus. Nunquam desitum interim turbari, comitia interpellantibus tribunis plebis, donec convenisset prius, 'ut major pars tribunorum militum ex plebe crearetur.' Quæ dum aguntur, concilia Etruriæ ad fanum Voltumnæ[20] habita, postulantibusque Capenatibus ac Faliscis, ut Veios communi animo consilioque omnes Etruriæ populi ex obsidione eriperent, responsum est: 'Antea se id Veientibus negasse, quia, unde consilium non petissent super tanta re, auxilium petere non deberent. Nunc jam pro se fortunam suam[a] illis negare; maxime in ea parte Etruriæ.[b] Gentem invisitatam,[1][c] novos accolas Gallos esse, cum quibus nec pax satis fida, nec bellum pro certo sit: sanguini tamen nominique et præsentibus periculis consanguineorum id dari, ut, si qui juventutis suæ voluntate[2] ad id bellum eant,[d] non impediant.' Eum magnum advenisse hostium numerum, fama Romæ erat. Eoque mitescere discordiæ intestinæ metu communi, ut fit, cœptæ.

18. Haud invitis Patribus P. Licinium Calvum prærogativa tribunum militum non petentem[3] creant,[e] modera-

19 *Ferias* addunt nonnulli Mss. in quibus est Veith.—20 Al. *Volumnæ, Vulturnæ, Voltumpnæ, Voltunæ, Vultumnæ.*—1 Alii vel τὸ *ea* del. putant, vel leg. *cum maxime*, aut *negare maxime. In hac parte E. gentem, &c.* Pro *invisitatam, inusitatam* habent Edd. ante Drak. et Ms. Veith.—2 Vulg. *voluntarii.* 3 Pro *prærogativa, prærogativæ* legendum esse monet Sigon. Vett. libb. habent, *tribunum militum consulari potestate non petentem.* Vid. Not. inf.—

NOTÆ

[a] *Fortunam suam*] Se, reliquos nempe Etruscos, ob statum præsentem rerum suarum Veientibus auxilia negare.

[b] *In ea parte Etruriæ*] In qua parte? Nam apud fanum Voltumnæ, non ex certa parte et Gallis vicina, sed ex omni Etruria convenerant. Dele itaque illud *ea.* Neque vero in parte Etruriæ Galli erant, sed partis accolæ, nempe Aretium versus et Clusium.

[c] *Gentem invisitatam* [*inusitatam*] Merito Glar. Livium ridet Tuscos inducentem de Gallis tanquam de Indis loquentem: quos tamen a temporibus usque Tarquinii Prisci, id est, ante duo sæcula, in Italiam transgressos, partemque eorum jamdiu in Umbria Etruriæ finitima consedisse ipsemet fatetur, mox cap. 34. et 35.

[d] *Voluntate ad id bellum eant*] Sic Mss. apud Gronov. id est, sponte: vulgo *voluntarii*, eod. sensu.

[e] *Prærogativa tribunum militum... creant*] Prærogativæ tribus vocabantur, quæ præ sive prius ceteris rogabantur sententiam, sive quæ primæ suffragium ferebant ante jure vocatas. Qua de re plus satis dixi ad lib.

tionis expertæ in priore magistratu virum, ceterum jam tum exactæ ætatis: omnesque deinceps ex collegio ejusdem anni[f] refici apparebat, L. Titinium, P. Mænium, P. Mælium, Cn. Genucium, L. Atilium:[4] qui priusquam renuntiarentur[5] jure vocatis tribubus,[g] permissu interregis P. Licinius Calvus ita verba fecit: 'Omen concordiæ, Quirites, rei maxime in hoc tempus utili,[6] memoria nostri magistratus vos his comitiis petere in insequentem annum[7] video. Si collegas eosdem reficitis, etiam usu meliores factos, me jam non eundem, sed umbram nomenque P. Licinii relictum videtis. Vires corporis affectæ, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus. En vobis,' inquit, 'juvenem,' filium tenens, 'effigiem atque

4 Vid. Not. Var.—5 Alii distinguunt post *renuntiarentur*, improbante J. F.

NOTÆ

1. c. 43. Id tantum adjicio, legendum hic esse, vel *prærogativæ creant*, ex Sigon. in scholiis ad hunc locum, (nam conjectis in urnam nominibus centuriarum, duæ quarum nomina exiissent, altera juniorum, altera seniorum, in suffragia ante alias mittebantur,) vel certe, ut idem Sigon. censet lib. III. de Jure Antiq. Provinciar. cap. 3. rescribendum esse *prærogativa creat:* nisi malimus τὸ *prærogativa* dici absolute in auferendi casu, ut sit per prærogativam centuriam Romani creant.

f *Omnesque deinceps ex collegio ejusdem anni*] Adde *aut sequentis:* ut patet ex cap. 12. et 13. supra.

g *Renuntiarentur jure vocatis tribubus*] *Renuntiare* est edere nomina candidatorum, quod magistratus comitia habentis proprium, non suffragatorum, ut ex Cic. Gronovius probat. Unde nec legendum, nec intelligendum est renuntiandos fuisse hos candidatos *a jure vocatis tribubus*, quod Sigonius putavit. Sed vel illud *jure vocatis* in dandi casu sumendum, ut referatur ad id quod sequitur, 'Licinius Calvus verba fecit;' quanquam Livii sermo non tantum ad jure vocatas, sed etiam ad prærogativas dirigi debuit; quas sane ad suffragia revocari oportuit, ut secundum Licinii patris petitionem filius ejus tribunus militum rite crearetur; vel potius *jure vocatis tribubus* absolute dicitur in ablativo, hoc nempe sensu; ut renuntiarentur ii de quibus agitur, si tribus jure vocatæ essent, sive postquam tribus reliquæ jure essent vocatæ, suffragiumque tulissent. Sed tribus prærogativæ usum hoc tempore fuisse receptum, est quod ambigatur: et postquam, completo, ut putat Gruchius, triginta quinque tribuum numero, id est, circa annum 500. servari cœpit ut ex tribubus forte duceretur una prærogativa, non plures, quod sciam, fuere prærogativæ. Videri itaque potest Livius res hujus temporis juxta sequentium sæculorum morem commemorasse.

imaginem ejus, quem vos antea tribunum militum ex plebe primum fecistis. Hunc ego, institutum disciplina mea, vicarium pro me rei publicæ do dicoque. Vosque quæso, Quirites, delatum mihi ultro honorem huic petenti meisque[8] pro eo adjectis precibus mandetis.' Datum id petenti patri; filiusque ejus P. Licinius tribunus militum consulari potestate cum iis, quos supra scripsimus, declaratus.* Titinius Genuciusque tribuni militum, profecti adversus Faliscos Capenatesque, dum bellum majore animo gerunt, quam consilio, præcipitavere in insidias.[9] Genucius, morte honesta temeritatem luens, ante signa inter primores cecidit. Titinius, in editum tumultum ex multa trepidatione militibus collectis, aciem restituit; nec se tamen æquo loco hosti commisit. Plus ignominiæ erat, quam cladis, acceptum; quæ prope in cladem ingentem vertit: tantum inde terroris non Romæ modo, quo multiplex fama pervenerat, sed in castris quoque fuit ad Veios. Ægre ibi miles retentus a fuga est, cum pervasisset castra rumor, ducibus exercituque cæso, victorem Capenatem ac Faliscum, Etruriæque omnem juventutem, haud procul inde abesse. His tumultuosiora Romæ, jam castra ad Veios oppugnari, jam partem hostium tendere ad Urbem agmine infesto, crediderant: concursumque in muros est, et matronarum, quas ex domo conciverat publicus pavor, obsecrationes in templis factæ: precibusque ab Diis petitum, ut exitium ab Urbis tectis templisque ac mœnibus Romanis[10] arcerent, Veiosque eum averterent terrorem, si sacra renovata rite, si procurata prodigia essent.

19. Jam ludi Latinæque instauratæ erant: jam ex lacu Albano aqua emissa in agros, Veiosque fata appetebant.[11 h]

Gronov.—6 Al. *utilis*.—7 Vulg. *in sequentem annum*.—8 ' Particula *que* orationis nexum turbat. Rectissime igitur pro *meisque*, *meis quoque* rescribendum esse suspicatus est J. F. Gronov.' *Doering*.—9 Vulg. *præcipitavere se in insidias*.—10 *Romanis mœnibus* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

* A. U. C. 358.

h *Veiosque fata appetebant*] Vulgatum *appetere* pro instare, imminere: et *fata* pro fatali exitio. Fuit itaque

Igitur, fatalis dux ad excidium illius urbis servandæque patriæ, M. Furius Camillus, dictator dictus, magistrum equitum P. Cornelium Scipionem dixit. Omnia repente mutaverat imperator mutatus. Alia spes, alius animus hominum, fortuna quoque alia urbis videri. Omnium primum in eos, qui a Veiis in illo pavore fugerant, more militari animadvertit, effecitque, ne hostis maxime timendus militi esset. Deinde, indicto delectu in diem certam, ipse interim Veios ad confirmandos militum animos intercurrit: inde Romam ad scribendum novum exercitum redit, nullo detrectante militiam. Peregrina etiam juventus, Latini Hernicique, operam suam pollicentes ad id bellum, venere: quibus cum gratias in senatu egisset dictator, satis jam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex senatus consulto vovit Veiis captis se facturum; ædemque Matutæ matris[i] refectam dedicaturum, jam ante ab rege Ser. Tullio dedicatam. Profectus cum exercitu ab urbe expectatione hominum majore, quam spe, in agro primum Nepesino[k] cum Faliscis et Capenatibus signa confert. Omnia ibi summa ratione consilioque acta fortuna etiam, ut fit, secuta est. Non prælio tantum fudit hostes, sed castris quoque exuit, ingentique præda est potitus; cujus

NOTÆ

qui legeret *Veiorum*. Gronovius scribit *Veiisque*, adducto Planti loco in Aulul. Act. I. sc. 1. 'propinqua partitudo cui appetit.' Sed diversus apparet sensus: aliudque *partum mulieri appetere*, aliud *urbi appetere fatum*. Et quidni figurate *fato* actio appetendi velut personæ tribuatur? Certe 'parietes appetere videri' Cic. II. Philipp. dixit. Dicuntur et inanimata flagitare, deposcere. Sic apud eund. 'Ut illa flamma divinitus extitisse videatur, non quæ deleret Jovis Opt. Max. templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret.'

[i] *Matutæ matris*] Ino Cadmi filia, Athamantis uxor, mater Melicertæ, cum hoc filio suo in Deam marinam versa, Græcis *Leucothea*, Latinis *Matuta* dicta est, quod matutino tempori præsit; sumitur enim pro *Aurora*. Vide fabulam apud Ovid. III. Metam. et Fast. lib. VI. Colebatur a matronis, quæ non suos, sed sororum liberos ei commendare solitæ, apud Plut. in quæstionib. Romanis, n. 17. Duæ tresve in Urbe ipsi dicatæ fuerunt ædes. Hæc videtur fuisse in 8. regione, quæ est fori Romani.

[k] *Nepesino*] Oppidi in Tusc. cui nomen *Nepet*, vel *Nepete*, hodie *Nepi*.

pars maxima ad quæstorem[12] redacta est: haud ita multum militi datum. Inde ad Veios exercitus ductus, densioraque castella facta; et a procursationibus, quæ multæ temere inter murum ac vallum fiebant, edicto, ne quis injussu pugnaret, ad opus milites traducti. Operum fuit omnium longe maximum ac laboriosissimum, cuniculus in arcem hostium agi cœptus. Quod ne intermitteretur opus,[b] neu sub terra continuus labor eosdem conficeret, in partes sex munitorum numerum divisit. Senæ horæ in orbem operi attributæ sunt:[1] nocte ac die nunquam ante omissum, quam in arcem viam facerent.

20. Dictator cum jam in manibus videret victoriam esse, urbem opulentissimam capi,[m] tantumque prædæ fore, quantum non omnibus in unum collatis ante bellis fuisset; ne quam inde aut militum iram ex malignitate prædæ partitæ, aut invidiam apud Patres ex prodiga largitione caperet, literas ad senatum misit: ‘ Deum immortalium benignitate, suis consiliis, patientia militum,[13] Veios jam fore in potestate populi Romani. Quid de præda faciendum censerent?’ Duæ senatum distinebant sententiæ: una senis[14] P. Licinii, quem primum dixisse a filio interrogatum[n] ferunt, ‘ edici palam placere populo, ut, qui particeps esse

[b] *Quod opus ne interrumperetur.*

11 Alii legunt *Veiorum*, alii *Veiis fata appetebant.*—12 Conj. Rupert. *ad quæstores.*

13 Vet. lib. apud. Sigon. *consiliis, et patientia m.*—14 ‘ Decem Mss. auctoritate addidimus voculam *una*, quam non agnoscunt Edd. ante Sigon. et post Gronov. multique boni Mss. in quibus iucuria excidisse videtur. In Veith.

NOTÆ

[1] *Senæ horæ in orbem operi attributæ sunt*] Non proprie operi attributæ sunt horæ, quandoquidem continenter opus fiebat. Sed sextæ cuique munitorum parti assignatæ sunt sex per singulos dies horæ, quibus per vices incumberent operi.

[m] *Urbem opulentissimam capi*] Tempore præsenti utitur, pro futuro, sed instante: nondum enim capiebantur Veii, sed certo cognoscebatur futurum ut mox caperentur.

[n] *A filio interrogatum*] Habebatur enim Senatus, absente dictatore, a tribunis militum, in quibus junior P. Licinius, qui primum obtinebat locum, hunc honorem patri exhibuit, ut eum ante ceteros sententiam rogaret.

prædæ vellet, in castra Veios iret:' altera Ap. Claudii, qui, largitionem novam, prodigam, inæqualem, inconsultam arguens, si semel nefas ducerent,[o] captam ex hostibus in ærario exhausto bellis pecuniam esse, auctor erat stipendii ex ea pecunia militi numerandi, ut eo minus tributi plebes conferret: 'Ejus enim doni societatem sensuras æqualiter omnium domos: non avidas in direptiones manus otiosorum urbanorum prærepturas fortium bellatorum præmia esse: cum ita ferme eveniat, ut segnior sit prædator, ut quisque laboris[15] periculique præcipuam petere partem soleat.'[c p] Licinius contra, 'suspectam et invisam semper eam pecuniam fore,' aiebat: 'causasque criminum ad plebem, seditionum inde ac legum[16] novarum, præbituram. Satius igitur esse, reconciliari eo dono plebis animos: exhaustis atque exinanitis tributo tot annorum succurri: et sentire prædæ fructum ex eo bello, in quo prope consenuerint. Gratius id fore lætiusque, quod quisque sua manu ex hoste captum domum retulerit, quam si multiplex alterius arbitrio accipiat.[d] Ipsum dictatorem fugere invidiam ex eo criminaque. Eo delegasse ad senatum. Senatum quoque debere rejectam rem ad se permittere plebi, ac pati habere, quod cuique fors belli dederit.' Hæc tutior visa sententia est, quæ popularem senatum faceret. Edictum itaque est, ad prædam Veientem, quibus videretur, in castra ad dictatorem proficiscerentur.

21. Ingens profecta multitudo replevit castra. Tum dictator, auspicato egressus, cum edixisset, ut arma mili-

[c] *Ut quo quisque ardentius laboris discriminisque partem expetere solitus sit, eo negligentior sit in præda rapienda.*
[d] *Quam si id multiplicatum accipiat alieno judicio.*

est, *detinebant sententiæ una senis.*' Stroth.—15 Vid. Not. Var.—16 Vett. libb. *seditionumque inde, ac legum.*

NOTÆ

[o] *Si semel nefas ducerent*] Semel pro plane, omnino. Cic. ad Attic. lib. XIV. ep. 112. 'Antonius semel inducit animum sibi licere quod vellet.' Vult itaque Appius, si absolute nollent Senatores pecuniam captam in ærarium redigi, atque ab ea re velut a flagitio quodam abhorrerent, &c.

[p] *Ut quisque*] *Ut*, id est, prout.

tes caperent, 'Tuo ductu,'[q] inquit, 'Pythice Apollo,[r] tuoque numine instinctus pergo ad delendam urbem Veios: tibique hinc decumam[17] partem prædæ voveo. Te simul, Juno Regina,[s] quæ nunc Veios colis,[e] precor, ut nos victores in nostram, tuamque mox futuram, urbem sequare: ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat.' Hæc precatus, superante multitudine,[f] ab omnibus locis urbem aggreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus esset.[g] Veientes, ignari se jam ab suis vatibus,[t] jam ab externis oraculis[u] proditos, jam in partem prædæ suæ vocatos Deos,[†] alios, votis ex urbe sua evocatos, hostium templa novasque sedes spectare, seque ultimum illum diem agere; nihil minus timentes, quam subrutis cuniculo mœnibus arcem jam plenam hostium esse, in muros pro se quisque armati discurrunt; mirantes quidnam id esset, quod, cum tot per dies nemo se ab stationibus Romanis movisset, tum, velut repentino

[e] *Quæ Veios, tanquam urbem tibi speciatim devotam, incolis.*
[f] *Cum hominum copia redundaret.*
[g] *Ut minor esset Veientibus notitia periculi imminentis ex subterranea fossa.*

NOTÆ

[q] *Tuo ductu*] Verba sunt Camilli evocantis Deos tutelares Veiorum, eosque ad migrandum Romam invitantis, templumque et honores voventis, atque urbem expugnandam, cum propugnatoribus, devoventis, qui mos solennis Romanorum in expugnandis urbibus. Formulam verbatim refert Macrob. III. Saturn. cap. 9.

[r] *Pythice Apollo*] Phœbus sive Apollo sub Pythici titulo Delphis colebatur, ut paulo ante dictum.

[s] *Juno Regina*] Hoc inprimis cognomine Junonem Romani coluerunt, quod Jovis Deorum atque hominum regis soror et conjux esset. Licet autem id cognomen videatur Veiorum præsidi Deæ inditum, attamen Romanis quoque ante hæc tempora cognitum fuerat. Nam Junonem reginam cum Jove et Minerva in Capitolio invocatam jam vidimus lib. III. c. 17.

[t] *Ab suis vatibus*] A sene illo Veiente, qui de aqua e lacu Albano emittenda vaticinatus fuerat, supra c. 15.

[u] *Ab externis oraculis*] Apollinis Delphici, qui simile responsum ediderat, c. 16. in fine.

[†] *In partem prædæ suæ vocatos Deos*] Dii non sunt qui prædæ cupiditate capiuntur, urbemque in qua culti fuerant propterea deserunt. Infra simili religione 'invidia' Diis tribuitur. Sed Romani voce 'Deus' potentiorem quidem naturam humana, sed haud multo meliorem, intelligebant. Quod cum ita sit, non mirum

icti furore, improvidi currerent ad muros. Inseritur huic loco[18] fabula; immolante rege Veientium, vocem haruspicis dicentis, 'qui ejus hostiæ exta prosecuisset,[x] ei victoriam dari,' exauditam in cuniculo, movisse Romanos milites, ut, adaperto cuniculo, exta raperent et ad dictatorem ferrent. Sed in rebus tam antiquis, si, quæ similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habeam. Hæc, ad ostentationem scenæ, gaudentis miraculis, aptiora, quam ad fidem, neque affirmare, neque refellere est operæ pretium.[19] Cuniculus, delectis militibus eo tempore plenus, in æde Junonis, quæ in Veientana arce erat, armatos repente edidit. Et pars aversos in muris invadunt hostes: pars claustra portarum revellunt: pars, cum ex tectis saxa tegulæque a mulieribus ac servitiis jacerentur, inferunt ignes. Clamor omnia variis terrentium ac paventium vocibus, mixto mulierum ac puerorum ploratu, complet. Momento temporis dejectis ex muro undique armatis, patefactisque portis, cum alii agmine irruerent, alii desertos scanderent muros, urbs hostibus impletur, omnibus locis pugnatur. Deinde, multa jam edita cæde, senescit pugna:[y] et dictator præcones edicere jubet, ut ab inermi abstineatur. Is finis sanguinis[z] fuit. Dedi inde inermes cœpti; et ad prædam miles permissu dictatoris discurrit. Quæ cum ante oculos ejus aliquantum spe atque opinione major majorisque pretii rerum ferretur; dicitur manus ad cœlum tollens precatus esse: 'ut, si cui Deorum hominumque nimia sua fortuna populique Romani videretur, ut eam

17 *Decimam* Gronov. Doujat. Crevier.—18 Conj. Rupert. *hoc loco*.—19 *Ope-*

NOTÆ

est, proceribus Romanis, tempore Livii, majorum superstitiones displicuisse. Vide l. III. c. 20. *J. Clericus*.

x *Hostiæ exta prosecuisset*] Proseco proprium sacrificiorum, in quibus cocta viscera secabant; et 'prosecta exta' apud Nonium quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta. Unde prosecta, et prosiciæ substantive.

y *Senescit pugna*] Senescere pro languere et remitti: quomodo 'laudem oratorum senescere' dixit Cic.

z *Is finis sanguinis*] Fundendi scilicet.

invidiam lenire quam minimo suo privato incommodo publicoque[a] populi Romani liceret.'[20] Convertentem se inter hanc venerationem, traditur memoriæ, prolapsum cecidisse; idque omen pertinuisse postea eventu rem conjectantibus visum ad damnationem ipsius Camilli, captæ deinde urbis Romanæ, quod post paucos accidit annos, cladem. Atque ille dies[1] cæde hostium ac direptione urbis opulentissimæ[b] est consumtus.

22. Postero die libera corpora dictator sub corona vendidit. Ea sola pecunia in publicum redigitur, haud sine ira plebis. Et quod retulere secum prædæ, nec duci, qui ad senatum, malignitatis auctores quærendo, rem arbitrii sui rejecisset,[h] nec senatui, sed Liciniæ familiæ, ex qua filius

[h] *Divisionem prædæ, quæ ex ipsius, tanquam summi ducis, arbitrio pendebat, ad Senatum retulerat, ut ibi aliquos inveniret, qui mulignæ in plebem sententiæ auctores essent.*

ræ pretium est Gronov. Doujat. Crevier.—20 In vett. edd. ante Ald. legitur: *lenire suo privato incommodo, quam minimo publico populi Rom. liceret.* Edd. recentiores et Mss. plurimi habent: *l. quam minimo suo p. i. publicoque populo Romano liceret.* Vid. Not. Var.—1 Vet. lib. apud Sigon. *Itaque ille dies.*

NOTÆ

[a] *Quam minimo suo privato incommodo publicoque* [*quam minimo publico*] Duplex potest esse hujus loci sensus: alter, ut optet Camillus sibi liceat invidiam ex hac felicitate imminentem avertere privato incommodo suo; aut si publico luendum incommodo sit, certe id quam minimo fiat: alter, ut velit defungi populum Romanum offensi forte numinis invidia suo privato incommodo qualicumque, potius quam publico vel minimo. Par votum memoratur L. Æmilii Paulli a Velleio Paterc. lib. II. Cippi ab Ovid. lib. XV. Metamorph. atque aliorum.

[b] *Urbis opulentissimæ*] Dionysius Halicarn. lib. II. Veios magnitudine exæquabat Athenis, quarum ambitus millia fere passuum tria et viginti colligebat. Nec est, opinor, quod cum Glareano miremur hanc Veiorum cum Athenis comparationem; aut cur, Cluverium secuti, Athenarum loco legamus *Fidenas*, quæ tamen magna illis temporibus erat et populosa. Etenim Dionys. idem lib. IV. et lib. IX. Romæ ambitum regnante jam Servio Tullio cum Athenis comparat: hoc autem libro c. 24. Noster quoque Veios 'urbem' ait 'urbi Romæ vel situ, vel magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum antepositam.' Tam ampla urbs, bellis civilibus exhausta, paulatim defecit: adeo ut Flori tempore vix ejus vestigia extarent. Notatur tamen in tabula Itineraria inter Nepe et Romam, a qua duodecim milliaribus, sive centum fere stadiis distabat. Circa oppidum *Scrofano* Cluverius locat: alii circa *Formello*. Sed validis argumentis Holstenius demonstrat, fuisse in colle prærupto,

ad senatum retulisset, pater tam popularis sententiæ auctor fuisset, acceptum referebant. Cum jam humanæ opes egestæ a Veiis essent, amoliri tum Deum dona ipsosque Deos, sed colentium magis, quam rapientium, modo, cœpere: namque delecti ex omni exercitu juvenes, pure lautis [2] corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi templum iniere, primo religiose admoventes manus; quod id signum, more Etrusco, nisi certæ gentis sacerdos attrectare non esset solitus.[i] Dein cum quidam, seu spiritu divino tactus, seu juvenali [3] joco, 'Visne Romam ire Juno?'† dixisset, annuisse ceteri Deam conclamaverunt. Inde fabulæ adjectum est, vocem quoque dicentis, 'Velle,' auditam. Motam certe sede sua parvi molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus levem ac facilem translatu fuisse: integramque in Aventinum, æternam sedem suam, quo vota Romani dictatoris vocaverant, perlatam; ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit. Hic Veiorum occasus fuit, urbis opulentissimæ Etrusci nominis, magnitudinem suam vel ultima clade indicantis: quod decem æstates hyemesque continuas circumsessa, cum plus aliquanto cladium intulisset, quam accepisset, postremo, jam fato [4] tum denique urgente, operibus tamen, non vi, expugnata est.

23. Romam ut nuntiatum est, Veios captos, quanquam et prodigia procurata fuerant, et vatum responsa et Pythicæ sortes notæ; et, quantum humanis adjuvari consiliis potuerat res, ducem M. Furium, maximum imperatorum omnium, legerant; tamen, quia tot annis varie ibi bellatum

[i] *Effigiem illam, non nisi sacerdos ex certa familia attingere soleret.*

2 *Lotis* Edd. a Sigon. ad Drak.—3 Vulg. *juvenili.*—4 Vulg. *postremo jam fato quoque.*

NOTÆ

qui adjacet Farnesiorum prædio, cui nomen Insulæ, *l'Isola;* ubi diversorium vul. *l'Osteria del Fosso,* vel, *l'Osteria del Storto.*

† *Visne Romam ire Juno*] Hunc Livii locum non satis intellexerat Plutarchus, nisi eum memoria fefellerit: nam Livium inducit dicentem quæ non dixit, in vita Camilli p. 132. Tom. 1. ed. Par. *J. Clericus.*

erat, multæque clades acceptæ, velut ex insperato immensum gaudium fuit; et, priusquam senatus decerneret, plena omnia templa Romanarum matrum, grates [5] Diis agentium, erant. Senatus in quatriduum,[c] quot dierum nullo ante bello, supplicationes decernit. Adventus quoque dictatoris, omnibus ordinibus obviam effusis, celebratior, quam ullius unquam antea fuit; triumphusque omnem consuetum honorandi diei illius [6] modum aliquantum excessit. Maxime conspectus ipse est, curru equis albis juncto [d] Urbem invectus: parumque id non civile modo, sed humanum [e] etiam, visum. Jovis Solisque equis æquiparari dictatorem,† in religionem etiam trahebant: [k] triumphusque ob eam unam maxime rem clarior, quam gratior, fuit. Tum Junoni Reginæ [f] templum in Aventino locavit, dedicavitque Matutæ Matri.[7] [g] Atque, his

[k] *Vertebant etiam in religiosum timorem, atque omen.*

5 Vulg. *gratias.*—6 *Illius diei* Gronov. Doujat. Crevier.—7 Al. *Matris.*—

NOTÆ

[c] *In quatriduum*] Re prospere gesta, agendarum Diis gratiarum causa decernebantur ad eorum templa supplicationes, initio in unum aut alterum diem, postea in multo plures: Pompeio post bellum Mithridaticum in duodecim, Cæsari bello Gallico semel aut iterum in quindecim. Tandem eo res processit ut Pansæ ac Cæsari Octaviano post Mutinense bellum decreti fuerint quinquaginta dies.

[d] *Curru equis albis juncto*] Currum triumphantium (qui celsus ac rotundæ turris instar ex Zonara) ab equis quatuor trahi novum non erat. Sed albæ quadrigæ Deorum regi sacræ habebantur, et Soli lucis patri: quapropter equorum candorem in Camillo populus improbabat, ut Plut. est auctor. Illud quoque Camillo ascribit Plin. XXXIII. 7. ut minio faciem triumphans illeverit, quo vividior appareret: quod et alii secuti.

[e] *Parum non civile modo, sed humanum*] Id videbatur non solum excedere modum civis cum civibus comparati, sed hominis relati ad Deos.

† *Jovis Solisque equis æquiparari dictatorem*] Malim, *Jovi, solique equis æquiparari;* nam hoc vult Livius, equis dictatorem Jovi Solique æquatum, quia currus ejus trahebatur equis albis, non aliter ac illorum Deorum thensæ. Non potuit dicere æquiparatum equis Deorum, nisi ἀκυρολόγως. *J. Clericus.*

[f] *Junoni Reginæ*] Hujus Junonis reginæ Veiis Romam translatæ templum collocatum, exstructumque in Aventino a Victore memoratur in regione Urbis quæ fuit sub Augusto XIII.

[g] *Dedicavitque Matutæ Matri*] An igitur ead. Juno et mater Matuta? Sane apud Victorem legitur 'ædes Junonis Matutæ,' in foro olitorio re-

divinis humanisque rebus gestis, dictatura se abdicavit. Agi deinde de Apollinis dono cœptum. Cui se decumam [8] vovisse prædæ partem cum diceret Camillus, pontifices [9] solvendum religione [h] populum censerent; haud facile inibatur ratio jubendi referre prædam populum, ut ex ea pars debita in sacrum secerneretur. Tandem eo, quod levissimum videbatur, decursum est, ut, qui se domumque religione exsolvere vellet, cum sibimet ipse prædam æstimasset suam, decumæ pretium partis in publicum deferret; ut ex eo donum aureum, dignum amplitudine templi ac numine Dei, ex dignitate populi Romani fieret. Ea quoque collatio plebis animos a Camillo alienavit. Inter hæc pacificatum legati a Volscis et Æquis venerunt: impetrataque pax, magis ut fessa tam diutino bello acquiesceret civitas, quam quod digni peterent.

24. Veiis captis, sex tribunos militum consulari potestate insequens annus * habuit, duos P. Cornelios, Cossum et Scipionem, M. Valerium Maximum iterum, K. Fabium Ambustum tertium,[10] L. Furium Medullinum quintum, Q. Servilium tertium. Corneliis Faliscum bellum, Valerio ac Servilio Capenas sorte evenit. Ab iis non urbes vi aut operibus tentatæ, sed ager est depopulatus, prædæque rerum agrestium actæ. Nulla felix arbor,[i] nihil frugiferum in agro relictum. Ea clades Capenatem populum subegit.

[i] *Nulla arbor fœcunda.*

8 *Decimam* et paulo post *decimæ* Gronov. Doujat. Crevier.—9 Pro *pontifices* in cod. Gærtn. legitur, *pontificesque.*

10 Vet. lib. apud Sigon. *Cæsonem Fabium Ambustum iterum* habet. Vid.

NOTÆ

gione XI. quæ fuit Circi Maximi. Verum Sigonius contendit nunquam Matutæ vocabulum Junoni attributum, scribendumque eo loco *Junonis sospitæ.* Et ex iis quæ c. 19. habentur, si comparentur cum hoc loco, apparebit, præter Junonis reginæ templum a Camillo ædificatum, ædem quoque matris Matutæ a Servio rege olim dedicatam, et vetustate collapsam, a Camillo nunc instauratam fuisse.

[h] *Solvendum religione*] Cum voti reus esset, debere liberari obligatione erga Deum, impleto scilicet voto.

* A. U. C. 359.

Pax petentibus data. In Faliscis bellum restabat. Romæ interim multiplex seditio erat: cujus leniendæ causa coloniam in Volscos, quo tria millia civium Romanorum scriberentur, deducendam censuerant: triumvirique ad id creati terna jugera et septunces viritim[i] diviserant. Ea largitio sperni cœpta; quia spei majoris[k] avertendæ solatium objectum censebant. Cur enim relegari plebem in Volscos, cum pulcherrima urbs Veii agerque Veientanus in conspectu sit, uberior ampliorque Romano agro? Urbem quoque urbi Romæ, vel situ, vel magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum, præponebant. Quin illa quoque actio movebatur,[11][l] quæ post captam utique Romam a Gallis celebratior fuit, transmigrandi Veios. Ceterum partim plebi, partim senatui destinabant habitandos Veios; duasque urbes communis[12] rei publicæ[m] incoli a populo Romano posse. Adversus quæ cum optimates ita

Not. Var.—11 Legit Tan. Faber *quin illa quoque mentio movebatur.*—12 Vulg.

NOTÆ

[i] *Septunces viritim*] Uncia est duodecima pars libræ sive assis, sumiturque pro duodecima cujusque rei parte. Septunx igitur continet septem partes totius in duodecim partes æquales divisi. Hic ergo data sunt unicuique tria jugera cum dimidio, et insuper duodecima jugeri pars.

[k] *Quia spei majoris*] Cum speraret plebs amplissima præmia, et præsertim assignari sibi agrum Veientem, et proximum, et opimum; spernere cœpit distributionem hanc longinquiorum in Volscis agrorum, quam sibi proponi intelligebat ad avertendos a sperato majori præmio animos, et quasi in solatium delusæ spei suæ.

[l] *Illa quoque actio movebatur*] Mavult Tan. Faber *illa quoque mentio movebatur:* ut alibi 'agitata est mentio,' et 'movit mentionem.' Sed apud Livium sæpe *actionis* vocabulum de iis dicitur, quæ magistratus moliebantur, et de quibus ad populum aut senatum agebant, ut lib. IV. cap. 48. in fine, de tribunis plebis, 'actionem deposuere,' et cap. 35. 'et adversa civitati res vires tribuniciæ actioni dedit.' Itemque hoc lib. c. 11. 'Frequentiaque urbana celebrare actiones.'

[m] *Communis rei p.*] Id est, unius et ejusdem reipublicæ, quæ pari jure communis esset tum Romæ, tum apud Veios degentibus, ita ut utrique unam civitatem constituerent. Id sane vult Auctor, atque idcirco Gronovius sic legendum censuit; cum vulgo legatur *communes reipub.* Quam tamen scripturam retineri nihil vetat. Reddit quippe eandem sententiam, ut nempe ambæ civitates censerentur communes uni reipublicæ.

tenderent,[m] ut 'morituros se citius' dicerent 'in conspectu populi Romani, quam quicquam earum rerum rogaretur. Quippe nunc in una urbe tantum dissensionum esse, quid in duabus fore?[13] Victamne ut quisquam victrici patriæ præferret? sineretque, majorem fortunam captis esse Veiis, quam incolumibus fuerit? Postremo, se relinqui a civibus in patria posse: ut relinquant patriam atque cives,[14][n] nullam vim unquam subacturam; et T. Sicinium' (is enim ex tribunis plebis rogationis ejus lator erat) 'conditorem Veios sequantur,[o] relicto Deo Romulo, Dei filio, parente et auctore urbis Romæ.'

25. Hæc cum fœdis certaminibus agerentur, (nam partem tribunorum plebis Patres in suam sententiam traxerant,) nulla res alia manibus temperare plebem cogebat, quam quod, ubi rixæ committendæ causa clamor ortus esset, principes senatus, primi turbæ offerentes se, peti, feriri, atque occidi jubebant. Ab horum ætatibus dignitatibusque et honoribus violandis dum abstinebatur, et ad reliquos similes conatus verecundia iræ obstabat; Camillus identidem omnibus locis concionabatur: 'Haud mirum id quidem esse, furere civitatem, quæ, damnata voti,[p] om-

[m] *Sic contra niterentur.*

communes.—13 Vulg. *quid in duabus urbibus fore?*—14 Legit Tan. Faber *ut relinquant patriam ipsi*, voce *cives* deleta.

NOTÆ

[n] *Ut relinquant patriam atque cives*] Hæc non placent Fabro, qui subtilius hic philosophatur, vultque deleri nomen *cives:* et reponi *ut relinquant patriam ipsi.* Quasi non satis appareat optimates de seipsis loqui: aut quasi per *cives* intelligi nequeat pars civium quæ Romæ relinquenda esset.

[o] *Conditorem Veios sequantur*] Verba sunt Senatorum indignantium, contestantiumque se nunquam secuturos tribunum plebis auctorem Romanæ reip. Veios transferendæ: quem per contemtum vocant *conditorem*, quasi alterius Romuli futurum loco.

[p] *Damnata voti*] *Voti damnatus* est voti compos, qui scil. quod adjuncto voto petierat, obtinuit: unde obnoxius est implendo promisso. Nec ab eo multum differt 'voti reus' qui, voto sub conditione suscepto, se numini obligavit: non enim vere reus est voti, nisi vota Deus audierit.

† *Furere civitatem, quæ damnata*] Furore, nempe, divinitus immisso, ut pœnas neglectæ religionis daret. Qua de re vide Ciceronem de Haruspicum responsis n. 39. *J. Clericus.*

nium rerum[q] potiorem [15] curam, quam religione se exsolvendi, habeat. Nihil de collatione dicere, stipis verius, quam decumæ; quando ea se quisque privatim obligaverit, liberatus sit populus. Enimvero, illud se tacere, suam conscientiam non pati, quod ex ea tantum præda, quæ rerum moventium[r] sit, decuma designetur; urbis atque agri capti, quæ et ipsa voto contineatur,[16] mentionem nullam fieri.' Cum ea disceptatio, anceps senatui visa, delegata ad pontifices esset; adhibito Camillo,[s] visum collegio, quod ejus ante conceptum votum Veientium fuisset, et post votum in potestatem populi Romani venisset, ejus partem decumam Apollini sacram esse. Ita in æstimationem urbs agerque venit: pecunia ex ærario promta,[t] et tribunis militum consularibus,[u] ut aurum ex ea coëmerent, negotium datum. Cujus cum copia non esset, matronæ, cœtibus ad eam rem consultandam habitis, et communi decreto pollicitæ tribunis[x] militum aurum et omnia ornamenta sua, in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maxime senatui

15 *Priorem* Grut. Gronov. Doujat. Crevier. all.—16 *Contineantur* Crevier.

NOTÆ

[q] *Omnium rerum, &c.*] Aiebat Camillus, cum civitas, impetratis omnibus quæcumque a Diis adjuncto voto petierat, nihil prius curare debuisset, quam ut sese ejus voti religione liberaret; nunc mirum non esse si, in pœnam spretæ religionis, furor in eam esset immissus.

[r] *Rerum moventium*] Dixit res moventes, pro mobilibus, quarum duo genera: aliæ proprie mobiles, quæ asportantur; aliæ se moventes, hoc est, animalia.

[s] *Adhibito Camillo*] Is enim voverat, et quid sibi mentis fuisset in vovendo perspectum habebat: vota autem secundum voventium mentem præstanda sunt: unde merito cum collegio pontificum adhibetur ei rei disceptandæ Camillus.

[t] *Pecunia ex ærario promta*] Depromti nempe ex thesauro publico ærei et si qui alii nummi ad comparandum aurum infectum factumve, ex quo donum Apollini conflaretur.

[u] *Tribunis militum consularibus*] Consulares proprie dicebantur qui consules fuerant. Sed hic consulares dici videntur tribuni, qui consulari potestate rempub. administrabant. Alioqui ex tribunis militaribus hujus anni unum invenio, L. Furium Medullinum, qui revera consulatum gessisset.

[x] *Pollicitæ tribunis*] Polliceri est ultro alteri non stipulanti aut petenti promittere. Pollicitatio autem licet inter privatos actionem non pariat, si tamen reip. ob honorem aliamve causam fiat, vim habet obligandi.

unquam, fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque,[y] carpentis festo profestoque[z] uterentur. Pondere ab singulis auri accepto æstimatoque, ut pecuniæ solverentur, crateram[17] auream fieri placuit, quæ donum Apollini Delphos portaretur. Simul ab religione animos remiserunt, integrant seditionem tribuni plebis: incitatur multitudo in omnes principes; ante alios in Camillum: 'eum prædam Veientanam publicando sacrandoque[a] ad nihilum redegisse.' Absentes ferociter increpant:[b] præsentium, cum se ultro iratis offerrent, verecundiam habent. Simul extrahi rem ex eo[18] anno viderunt, tribunos plebis latores legis[c] in annum eosdem[19] reficiunt. Et Patres hoc idem de intercessoribus legis annisi. Ita tribuni plebis magna ex parte iidem refecti.

26. Comitiis tribunorum militum Patres summa ope evi-

—17 Vulg. *craterem.*—18 Vet. lib. apud Sigon. *Simul ut extrahi rem ex eo. Ex* del. Gronov. Doujat. Crevier.—19 Vet. lib. ap. Sigon. *in eum annum eosdem.*

NOTÆ

[y] *Pilento ad sacra ludosque*] Isidorus Orig. lib. xx. c. 12. *pilentum* describit contextum quatuor rotarum vehiculum. Sic forte dictum quasi bene pilatum, sive compactum ἐν πίλοις. Addit Isid. antea pilenta fuisse Veneti coloris, non ut suo tempore russati; iisque nisi castas matronas uti non potuisse. 'Mollia pilenta' vocat Virgil. id est, pensilia, interprete Servio. Hispanorum inventum fuisse dicitur, ut Gallorum *petoritum*, non multum ab eo diversum. *C'étoient des especes de Carosses.*

[z] *Carpentis festo profestoque*] Carpentum vehiculi genus. Videtur Isid. ex eo dictum velle quod sit quasi carrum pompaticum. Fuit tamen promiscui fere usus, et minoris lautitiæ, ut ex hoc loco possumus conjicere. Huic respondere creditur, quod vulgo nobis *coche.*

Ut pilento ad sacra ludosque, carpentis, &c.] Hinc liquet *pilentum* fuisse elegantius quoddam genus vehiculi, carpentum vero minus elegans, et magis vulgare. De utroque multis egit Jo. Schefferus de re vehiculari l. II. c. 17. et 25. quem vide. *J. Clericus.*

[a] *Publicando sacrandoque*] In ærarium illata fuerat pecunia ex pretio captivorum redacta c. 22. Consecrata decima rerum tam immobilium quam mobilium, hoc ipso cap.

[b] *Absentes ferociter increpant*] In Camillum, et alios principes absentes invehebantur plebeii: eosdem occurrentes sibi iratis reverebantur, ac tacebant.

[c] *Latores legis*] T. Sicinium, qui jam ad populum egerat de transferenda Veios parte Senatus et plebis, in fine cap. 24. et collegas ei adhærentes: qui nondum ea de re legem tulerant, sed laturi sperabantur.

cerunt, ut M. Furius Camillus crearetur.* Propter bella simulabant parari ducem, sed largitioni[20] tribuniciæ[d] adversarius quærebatur. Cum Camillo creati tribuni militum consulari potestate L. Furius Medullinus sextum, C. Æmilius, L. Valerius Publicola, Sp. Postumius, P. Cornelius iterum. Principio anni tribuni plebis nihil moverunt, donec M. Furius Camillus in Faliscos, cui id bellum mandatum erat, proficisceretur. Differendo deinde elanguit res: et Camillo, quem adversarium maxime metuebant,[1] gloria in Faliscis crevit. Nam cum primo mœnibus se hostes tenerent, tutissimum id rati, populatione agrorum atque incendiis villarum coëgit eos egredi urbe; sed timor longius progredi prohibuit. Mille fere passuum[2] ab oppido castra locant; nulla re alia fidentes ea satis tuta esse, quam difficultate aditus, asperis confragosisque circa, et partim arctis, partim arduis viis. Ceterum Camillus, captivum indicem ex agris secutus ducem, castris multa nocte motis, prima luce aliquanto superioribus locis se ostendit. Trifariam Romani muniebant.[e] Alius exercitus prælio intentus stabat. Ibi impedire opus conatos hostes fundit fugatque; tantumque inde pavoris Faliscis injectum est, ut, effusa fuga castra sua, quæ propiora erant, prælati,[n] urbem peterent. Multi cæsi vulneratique, priusquam pa-

[n] *Progressi ultra propria castra.*

20 Vulg. *sed rogationi.*—1 *Metuerant* Gronov. Doujat. Crevier.—2 Vet. lib. apud Sigon. *sed timore longius progredi prohibente, mille fere passuum.*—

NOTÆ

* A. U. C. 360.

[d] *Largitioni tribuniciæ*] Promotæ nimirum a tribunis pl. Alias *rogationi tribuniciæ:* quod et Glareano probatur. Corrigit, ex veteribus codicibus, Gronovius. Quantum ad sententiam parum interest. *Rogatio* quippe hoc loco legem agrariam significat: *largitio* divisionem agrorum ex ejusmodi lege, ut lib. II. cap. 41. 'Largitione consulem periculosas libertati opes struere,' de Cassio qui primus agrariam legem promulgavit: et ibidem, 'consul alter largitioni resistebat.'

[e] *Trifariam Romani muniebant*] Ita copias diviserat Camil. ut pars operibus faciendis incumberet, ac munitiones tribus locis adversus hostes instrueret; pars reliqua staret in armis, ad eorum insultus repellendos.

ventes portis inciderent. Castra capta; præda ad quæstores redacta cum magna militum ira: sed, severitate imperii victi, eandem virtutem et oderant, et mirabantur. Obsidio inde urbis et munitiones, et interdum per occasionem impetus oppidanorum in Romanas stationes, præliaque parva fieri; et teri tempus, neutro inclinata spe; cum frumentum copiæque aliæ ex anteconvecto largius obsessis, quam obsidentibus, suppeterent. Videbaturque æque diuturnus futurus labor, ac Veiis fuisset; ni fortuna imperatori Romano simul et cognitæ rebus bellicis virtutis specimen[f] et maturam victoriam dedisset.[3]

27. Mos erat Faliscis, eodem magistro liberorum et comite uti: simulque plures pueri, quod hodie quoque[4] in Græcia manet, unius curæ demandabantur. Principum liberos, sicut fere fit, qui scientia videbatur præcellere, erudiebat. Is cum in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique causa producere; nihil eo more per belli tempus intermisso, tum, modo brevioribus,[5] modo longioribus spatiis, trahendo eos a porta, lusu sermonibus-

3 Quidam particulam *et* ante *maturam* putant delendam, vel legendum: *ni fortuna imperatoris Romani simul, et cognitæ rebus bellicis virtutis specimen*, vel *cognitæ re non bellica*, vel *incognitæ rebus bellicis virtutis specimen, ei maturam v. d.*

4 ' Pro *hodie quoque* J. F. Gronovius, probante Dukero, mavult *hodieque*, quod pro, hodie adhuc, jam ab aureæ ætatis scriptoribus dictum esse, idoneis exemplis ad h. l. probatum iverunt Interpretes. At, cum in lectionem *hodie quoque* omnes codd. Drakenborchii amice conspirent, ea nobis præferenda

NOTÆ

f *Ni fortuna . . . et cognitæ rebus bellicis virtutis specimen*] At hic Camillus non virtutis militaris, sed fidei justitiæque specimen edidit. Itaque ad Livii sententiam verba sic aptanda putabat Gronov. *ni fortuna Romani imperatoris simul, et cognitæ re non bellica virtutis specimen, ei maturam victoria, dedisset.* Ego verba retineri posse censeo, ut intelligantur duo fuisse quæ celerem Camillo victoriam præstiterint: et fortuna, quæ scilicet occasionem præbuit ostendendæ fidei et humanitatis antea incognitæ; et simul specimen paulo ante ab eo editum satis cognitæ virtutis bellicæ.

Fortuna imperatori Romano, &c.] Hoc est, nisi fortuna imperatori Romano dedisset occasionem ostendendi speciminis virtutis rebus bellicis jam cognitæ, sed in aliis, quæ ad magnanimitatem pertinent, nondum satis hostibus perspectæ. Brevitas Livium hic, ut alibi obscurum reddidit. *J. Clericus.*

que variatis, longius solito, ubi res dedit,[o] progressus, inter[6] stationes eos hostium castraque[p] inde Romana in prætorium ad Camillum perduxit. Ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addidit: 'Falerios[g] se in manus Romanis tradidisse; quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dediderit.' Quæ ubi Camillus audivit, 'Non ad similem,' inquit, 'tui nec populum, nec imperatorem, scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis,[h] quæ pacto fit humano, societas non est. Quam ingeneravit natura, utrisque est eritque. Sunt et belli, sicut pacis, jura:[i] justeque ea, non minus quam fortiter, didicimus gerere. Arma habemus, non adversus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur; sed adversus armatos et ipsos, qui, nec læsi, nec lacessiti a nobis, castra Romana ad Veios oppugnarunt. Eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, sicut Veios, vincam.'

[o] *Cum permisit occasio.*
[p] *Per medias stationes et castra.*

videtur.' *Doering.*—5 Vulg. *dum modo b.*—6 Conj. Rupert. vel *intra,* vel *in,*

NOTÆ

[g] *Falerios*] Nomen est urbis Faliscorum, quam Dionysius antiquissimis temporibus a Siculis, deinde a Pelasgis habitatam scribit; alii ab Haleso Agamemnonis filio sive a Phalerio Argivo conditam memorant. Sita initio fuit arduo loco ad Tiberis ripam, Etruscam scilicet, ubi nunc *Citta Castellana:* post a Romanis destructa, teste Zonara, circa annum U. C. 512. aliaque condita urbs in planicie ad sesquimilliare, cujus ruinæ *Falari* adhuc vocantur, consentientibus Cluverio et Holstenio: quanquam Massa Faleriorum situm trahit ad *Galese* patriam suam. Videtur Stephanus duo diversa oppida *Falerium* et *Faliscum* intellexisse, in quo peccavit etiam Solinus: cum *Falisci* nomen populi fuerit, *Falerii* vero urbis.

[h] *Nobis cum Faliscis*] Distinguit duo genera societatum: specialem quæ singulari fœdere inter populos initur jure gentium, et communem quæ sine fœdere sola natura duce inter omnes homines constituta est: 'homines enim hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint,' ut Cic. ait 1. de Offic.

[i] *Sunt et belli, sicut pacis, jura*] Belli et fœderum jura moderabantur Feciales apud Romanos. Vide lib. 1. cap. 32. nec priscis Romanis illud probabatur, 'dolus an virtus quis in hoste requirat.' Idem exemplum secutus in Pyrrho C. Fabricius.

Denudatum deinde eum, manibus post tergum illigatis,[7] [k] reducendum Falerios pueris tradidit: virgasque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes, dedit. Ad quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde a magistratibus de re nova vocato senatu, tanta mutatio animis est injecta, ut, qui modo, efferati odio iraque, Veientium exitum[8] [l] pæne, quam Capenatium pacem, mallent, apud eos pacem universa posceret civitas. Fides Romana, justitia imperatoris, in foro et curia celebrantur: consensuque omnium legati ad Camillum in castra, atque inde permissu Camilli Romam ad senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur. Introducti ad senatum ita locuti traduntur: 'Patres conscripti, victoria, cui nec Deus, nec homo quisquam invideat,[m] victi a vobis et imperatore vestro, dedimus nos vobis; rati, quo nihil victori pulchrius est, melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris, victuros. Eventu hujus belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt. Vos fidem in bello, quam præsentem victoriam, maluistis: nos, fide provocati, victoriam ultro detulimus. Sub ditione vestra sumus. Mittite, qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant. Nec vos fidei nostræ, nec nos imperii vestri pœnitebit.' Camillo et ab hostibus et a civibus gratiæ actæ. Faliscis in stipendium militum ejus anni, ut populus Romanus tributo vacaret, pecunia imperata. Pace data, exercitus Romam reductus.

vel *per*.—7 Al. *alligatis*.—8 Vet. lib. apud Sigon. *exitium*.

NOTÆ

[k] *Manibus post tergum illigatis*] Præclarum hoc Camilli factum memorat Valer. Max. l. VI. c. 5. in eo, ut videtur, deceptus, quod Camillo consuli id tribuat, quem Plutarchus consulem nunquam fuisse observat. An autem *manibus illigatis*, an *alligatis* legamus, nihil interest.

[l] *Veientium exitum*] Gall. *La même fin qu'avoient eu les Veiens*. Veientium quidem exitus urbis et civium exitium fuit, non ideo tamen cum Sigonio legendum *exitium*. Cic. Philip. II. 'Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere.'

[m] *Cui nec Deus, nec homo quisquam invideat*] Nova loquendi forma, hypallagen redolens. Non enim victoriæ, sed victoribus invideri solet. Rectum erat, victoriam, quam vobis nec Deus, &c. invideat.

28. Camillus meliore multo laude, quam cum triumphantem albi per Urbem vexerant equi, insignis justitia fideque, hostibus victis, cum in Urbem redisset, tacite ejus verecundiam[9] non tulit senatus,[n] quin sine mora voti liberaretur:[o] crateramque auream donum Apollini Delphos legati qui ferrent, L. Valerius, L. Sergius, A. Manlius, missi longa una nave, haud procul freto Siculo a piratis Liparensium excepti, devehuntur Liparas.[p] Mos erat civitatis, velut publico latrocinio partam prædam dividere. Forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior, quam suis: qui, legatorum nomen, donumque, et Deum, cui mitteretur, et doni causam[10] veritus ipse,[q] multitudinem quoque, quæ semper ferme regenti est similis,[q] religionis justæ implevit: adductosque in publicum hospitium legatos, cum præsidio etiam navium Delphos prosecutus, Romam inde sospites restituit. Hospitium cum eo senatus consulto est factum, donaque publice data. Eodem anno in Æquis varie bellatum: adeo ut in incerto

[q] *Et ipse, ob causam muneris reverentia commotus.*

9 'Haud Displicet Gronovii conjectura *taciti ejus v.*' Stroth.—10 Post

NOTÆ

[n] *Tacite ejus verecundiam non tulit senatus*] Legit Gronov. *taciti*, id est, tacentis, quasi solus Camilli aspectus exprobraret moram in persolvendo Apollini voto. Posset et sine correctione intelligi, Senatores per silentium non tulisse, silentio non transmisisse pudorem ex Camilli aspectu conceptum; sed de voto exsolvendo ultro egisse, ac per legatos craterem aureum mitti decrevisse.

[o] *Voti liberaretur*] Liberandi verbum construi solet cum ablativo adjuncta præpositione, vel absque ea etiam, cum significat absolvere. Nonnunquam tamen cum genitivo jungitur, ut lib. I. 'liberare ejus culpæ regem.' Possis et subintelligere, *voti religione liberaretur*.

[p] *Devehuntur Liparas*] Ad præcipuam nempe urbem Liparæ, quæ insula est maris Ausonii ad latus Boreale Siciliæ Occidentalis, ducentis stadiis a freto Siculo, ab ora vero Siciliæ proxima millibus pass. 30. vulgo *Lipari*, primaria septem insularum, quæ de ipsius nomine Lipareæ, et quod magna ex parte ignem eructent, Vulcaniæ; itemque Æoliæ dictæ ab Æolo tertio, ibi olim regnante. Hunc ventorum regem poëtæ finxerunt, quoniam hic maris tractus ventis maxime obnoxius.

[q] *Quæ semper ferme regenti est similis*] At paulo ante suis similem Timasitheum esse negaverat. Habita scilicet ratione morum quos suopte genio sequebantur ita fuerat locutus.

fuerit et apud ipsos exercitus et Romæ, vicissent, victine essent. Imperatores Romani fuere ex tribunis militum C. Æmilius, Sp. Postumius. Primo rem communiter gesserunt: fusis inde acie hostibus, Æmilium præsidio Verruginem obtinere placuit, Postumium fines vastare. Ibi eum, incomposito agmine negligentius ab re bene gesta euntem, adorti Æqui, terrore injecto, in proximos compulere tumulos: pavorque inde Verruginem etiam ad præsidium alterum est perlatus. Postumius, suis in tutum receptis, cum concione advocata terrorem increparet ac fugam; fusos esse ab ignavissimo et fugacissimo hoste; conclamat universus exercitus, merito se ea audire, et fateri admissum flagitium; sed eosdem correcturos esse, neque diuturnum id gaudium hostibus fore. Poscentes, ut confestim inde ad castra hostium duceret, (in conspectu [11] erant posita in plano,) nihil pœnæ recusabant, ni ea ante noctem expugnassent. Collaudatos corpora curare, paratosque esse quarta vigilia jubet. Et hostes, nocturnam fugam ex tumulo Romanorum ut ab ea via, quæ ferebat Verruginem, excluderent, fuere obvii: [r] præliumque ante lucem (sed luna pernox erat) commissum est: et haud incertius [r] diurno prælio fuit. Sed clamor Verruginem perlatus, cum castra Romana crederent oppugnari, tantum injecit pavoris, ut, nequicquam retinente atque obsecrante Æmilio, Tusculum palati fugerent. Inde fama Romam perlata est, Postumium exercitumque occisum. Qui, ubi prima lux metum insidiarum effuse sequentibus sustulit, cum perequitasset aciem, promissa repetens, tantum injecit ardoris, ut non ultra sustinuerint impetum Æqui. Cædes inde fugientium, qualis, ubi ira magis, quam virtute, res geritur, ad perniciem hostium facta est; tristemque ab Tusculo nuntium, nequic-

[r] *Atque hostes obvii fuere, ut fugam nocturnam e loco eminentiore, ubi Romani consederant, arcerent ab ea via quæ ducebat Verruginem.*

causam desiderari *intelligens*, vel quid simile, monet Pighius.—11 Vet. lib. apud Sigon. *et in conspectu.*

NOTÆ

[r] *Haud incertius*] Dictum pro non minus incerto prælii eventu.

quam exterrita civitate, literæ a Postumio laureatæ sequuntur:[s] victoriam populi Romani esse; Æquorum exercitum deletum.

29. Tribunorum plebis actiones quia nondum invenerant finem, et plebs continuare latoribus legis tribunatum, et Patres reficere intercessores legis annisi sunt. Sed plus suis comitiis plebs valuit. Quem dolorem ulti Patres sunt, senatus consulto facto, ut consules, invisus plebi magistratus, crearentur. Annum post quintum decimum creati consules L. Lucretius Flavus, Ser. Sulpicius Camerinus.* Principio hujus anni, ferociter, quia nemo ex collegio intercessurus erat, coortis ad perferendam legem tribunis plebis, nec segnius ob id ipsum consulibus resistentibus, omnique civitate in unam eam curam conversa, Vitelliam coloniam[t] Romanam in suo agro Æqui expugnant. Colonorum pars maxima incolumis, quia nocte proditione oppidum captum liberam per aversa urbis fugam dederat, Romam perfugere. L. Lucretio consuli ea provincia evenit. Is, cum exercitu profectus, acie hostes vicit; victorque Romam ad majus aliquanto certamen redit.[12] Dies dicta erat tribunis plebis biennii superioris, A. Virginio et Q. Pomponio; quos defendi Patrum consensu ad fidem senatus pertinebat:[u] neque enim eos aut vitæ ullo crimine alio aut gesti magistratus

12 *Rediit* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[s] *Laureatæ sequuntur*] Moris erat ut consules aliique duces, adepta victoria, de re a se bene gesta laureatas literas ad Senatum mitterent, id est, lauro involutas in signum victoriæ, utque lictoribus uterentur laureatis, qui scilicet laureis coronati, laureatos quoque fasces præferrent.

* A. U. C. 361.

[t] *Vitelliam coloniam*] Quo tempore deducta fuerit hæc Romanorum colonia in Æquorum regionem parum constat. Suspicatur Onufrius circa an. U. C. 295. præsidii causa deductam, cum primum de hoc populo triumphatum. De hoc oppido dictum lib. II. c. 39. num. 13. Videtur fuisse ad dextram viæ Labicanæ, haud procul a *Rocca Priora*, forte circa *S. Silvestro*.

[u] *Ad fidem senatus pertinebat*] Fides hic sumi potest vel pro fide interposita seu promisso a Senatu dato, vel pro auctoritate ipsius, cui fidem illi tribuni plebis habuerint.

quisquam arguebat, præterquam quod, gratificantes Patribus, rogationi tribuniciæ intercessissent. Vicit tamen gratiam senatus plebis ira; et pessimo exemplo innoxii denis millibus gravis æris condemnati sunt. Id ægre passi Patres. Camillus palam sceleris plebem arguere, ‘ quæ, jam in suos versa, non intelligeret, se pravo judicio de tribunis intercessionem sustulisse; intercessione sublata, tribuniciam potestatem evertisse. Nam, quod illi sperarent, effrænatam licentiam ejus magistratus Patres laturos, falli eos. Si tribunicia vis tribunicio auxilio repelli nequeat, aliud telum[x] Patres inventuros esse.’ Consulesque increpabat, quod fide publica decipi tribunos eos taciti tulissent, qui senatus auctoritatem secuti essent. Hæc propalam concionabundus in dies magis augebat iras hominum.

30. Senatum vero incitare adversus legem haud desistebat: ‘ ne aliter descenderent in forum, cum dies ferendæ legis venisset, quam ut qui meminissent, sibi pro aris focisque et Deum templis ac solo, in quo nati essent, dimicandum fore. Nam quod ad se privatim attineat, si suæ gloriæ sibi inter dimicationem patriæ meminisse sit fas, sibi amplum quoque esse, urbem ab se captam frequentari, quotidie se frui monumento gloriæ suæ, et ante oculos habere urbem latam in triumpho suo, insistere omnes vestigiis laudum suarum: sed nefas ducere, desertam ac relictam ab Diis immortalibus incoli urbem; et in captivo solo habitare populum Romanum, et victrice patria victam mutari.’ His adhortationibus principis concitati Patres, senes juvenesque,[13] cum ferretur lex, agmine facto in forum venerunt: dissipatique per tribus, suos quisque tribules prensantes,[14] orare cum lacrymis cœpere, ‘ Ne eam pa-

13 Legendum monet Sigon. ex auctoritate veterum librorum, *His adhortationibus Patres concitati, principes, senes, juvenesque.*—14 Vulg. *prehensantes.*

NOTÆ

[x] *Aliud telum*] Aliam nempe rationem et viam conficiendi negotii: dictaturam haud dubie Camillus innuit.

triam, pro qua fortissime felicissimeque ipsi ac patres eorum dimicassent, desererent,' Capitolium, ædem Vestæ, cetera circa templa Deorum ostentantes. 'Ne exulem, extorrem populum Romanum ab solo patrio ac Diis penatibus in hostium urbem agerent; eoque rem adducerent, ut melius fuerit, non capi Veios, ne Roma desereretur.' Quia non vi agebant, sed precibus, et inter preces multa Deorum mentio erat, religiosum parti maximæ fuit.[s] Et legem una[15] plures tribus antiquarunt, quam jusserunt.[t] Adeoque ea victoria læta Patribus fuit, ut postero die, referentibus consulibus, senatus consultum fieret, ut agri Veientani septena jugera plebi dividerentur; nec patribus familiæ tantum, sed ut omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur; vellentque in eam spem[y] liberos tollere.

31. Eo munere delenita plebe, nihil certatum est, quo minus consularia comitia haberentur. Creati consules L. Valerius Potitus, M. Manlius,* cui Capitolino postea etiam[16] fuit cognomen. Hi consules magnos ludos[z] fecere, quos M. Furius dictator voverat Veienti bello. Eodem anno ædes Junonis Reginæ, ab eodem dictatore eodemque bello vota, dedicatur: celebratamque dedicationem ingenti matronarum studio tradunt. Bellum haud memorabile in Algido cum Æquis gestum est, fusis hostibus prius pæne, quam manus consererent. Valerio, quod perseverantior cædendis in fuga[17] fuit, triumphus; Manlio, ut ovans

[s] *Plerique religioni duxerunt eam rem.*

[t] *Numerus tribuum legem improbantium unius tribus suffragiis superavit numerum probantium eand. legem.*

—15 Vulg. *Et legem unam.*

16 'Vox *etiam* a multis libris recte, opinor, abest, nisi forte post *Manlius* excidit primum ejus cognomen *Vulso.*' Rupert.—17 Vet. lib. ap. Sigon. *cæ-*

NOTÆ

[y] *Vellentque in eam spem*] Repetendum *ut*, sed alio sensu: ut scilicet sic invitarentur, cives tenuiores ad liberos educandos, spe commodioris fortunæ.

* A. U. C. 362.

[z] *Magnos ludos*] Hi ludi, magni dicti, apud Romanos duorum generum fuerunt: alii stati, qui et Romani, dicti in honorem trium magnorum Deorum, Jovis, Junonis, et Minervæ: alii votivi extra ordinem in honorem Jovis Deorum principis: ut ex Liv. colligere est lib. XXXVI. cap. 2.

ingrederetur Urbem, decretum est. Eodem anno novum bellum cum Volsiniensibus[18 a] exortum: quo propter famem pestilentiamque in agro Romano, ex siccitate caloribusque nimiis ortam, exercitus duci nequivit. Ob quæ Volsinienses, Salpinatibus adjunctis,[b] superbia elati, ultro agros Romanos incursavere. Bellum inde duobus populis indictum. C. Julius censor decessit: in ejus locum M. Cornelius suffectus. Quæ res postea religioni fuit;[c] quia eo lustro Roma est capta. Nec deinde unquam in demortui locum censor sufficitur: consulibusque morbo implicitis placuit, per interregnum renovari auspicia.[d] Itaque, cum ex senatus consulto consules magistratu se abdicassent, interrex creatur M. Furius Camillus; qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Potitum interregem prodidit. Ab eo creati sex tribuni militum[e] consulari potestate; ut, etiamsi cui eorum incommoda valetudo fuisset, copia magistratuum rei publicæ esset.[19]

32. Kalendis Quintilibus[f] magistratum occœpere L. Lucretius, Ser. Sulpicius, M. Æmilius, L. Furius Medullinus

dendis hostibus in fuga.—18 Al. *Vulsiniensibus.*—19 Vid. Not. Var.

NOTÆ

[a] *Cum Volsiniensibus*] Volsinienses, quorum urbs *Volsinii* (patria postea Æl. Sejani) vulgo hodie *Bolsena*, ad cognominem lacum in Patrimonio S. Petri, e duodecim principibus Etruriæ populis fuere, apud quos inventæ molæ versatiles, ex Plin. l. XXXVI. cap. 18.

[b] *Salpinatibus adjunctis*] Quo situ fuerit *Salpinum*, sive *Salpis*, Cluverio ipsi non liquet. In Etruria haud dubie, et satis opulentum fuisse, ex hac cum Volsiniensibus inita adversus Romanos belli societate; ultra Volsinios situm, inde facile conjicias quod Romani Volsinienses prius adorti sunt, cap. 32. Verisimilis conjectura eo ducit ut circa Volsiniensium et Clusinorum confinia collocandi videantur, forte versus *Acqua pendente.*

[c] *Quæ res postea religioni fuit*] Abstinuerunt postea Romani, religione quadam, a sufficiendo censore in locum demortui, nondum impleto tempore: quod tamen in reliquis fere magistratibus solenne.

[d] *Per interregnum renovari auspicia*] Creari interreges, ut per eorum aliquem auspicata haberentur comitia creandis supremis magistratibus.

[e] *Ab eo creati sex tribuni militum*] Immo a populo, sed comitiis per L. Valerium habitis.

[f] *Kalendis Quintilibus*] Ante præstitutum tempus, quia consulibus morbo implicitis, resp. magistratu summo destituebatur.

septimum, Agrippa Furius, C. Æmilius iterum.* Ex his L. Lucretio et C. Æmilio Volsiniensis[20] provincia evenit: Salpinates Agrippæ Furio et Ser. Sulpicio. Prius cum Volsiniensibus pugnatum est: bellum numero hostium ingens, certamine haud sane asperum fuit. Fusa concursu primo acies in fugam: millia octo armatorum ab equitibus interclusa, positis armis, in deditionem venerunt. Ejus belli fama effecit, ne se pugnæ committerent Salpinates. Mœnibus armati se tutabantur. Romani prædas passim et ex Salpinati agro, et ex Volsiniensi, nullo eam vim arcente, egerunt; donec Volsiniensibus fessis bello ea conditione, ut res populo Romano redderent, stipendiumque ejus anni exercitui præstarent, in viginti annos induciæ datæ. Eodem anno M. Cædicius de plebe[g] nuntiavit tribunis, se in nova via, ubi nunc sacellum est,[h] supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse clariorem humana, quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare. Id, ut fit, propter auctoris humilitatem spretum, et quod longinqua, eoque ignotior,[i] gens erat. Neque Deorum modo monita, ingruente fato, spreta; sed humanam quoque opem, quæ una erat, M. Furium ab urbe amovere.[k] Qui, die dicta ab L. Apuleio tribuno plebis[l] propter prædam Veientanam, filio quoque adolescente per idem tempus orbatus, cum, accitis domum tribulibus clientibusque,[m] (magna[1] pars plebis erat,) percunctatus animos eorum,[n] responsum tulis-

20 Al. *Volsinienses.*—1 *Et clientibus quæ magna* Edd. ab Ald. ad Drak. et Ms. Veith. Vid. Not. Var.

NOTÆ

* A. U. C. 363.

g *Cædicius de plebe*] Videndus Plut. de fortuna Romanorum.

h *Ubi nunc sacellum est*] Aio Locutio dicatum, quasi Deo cujus voce prænuntiatus Gallorum adventus.

i *Quod longinqua, eoque ignotior*] Galli, antequam Alpes transgressi essent, longius sane Roma distabant. At hoc tempore ad Apenninum, qua parte Æsin fl. emittit, pervenerant, et minus quatridui ab Urbe itinere Umbriam incolebant.

k *Amovere*] Romani.

l *L. Apuleio tr. pl.*] Diversus hic ab Apuleio Saturnino qui legem tulit de agrorum divisione.

m *Tribulibus clientibusque* [*et clientibus, quæ*] Sunt *tribules* homines ejusdem tribus. Gron. mavult: *accitis domum tribulibus clientibusque* (*magna pars plebis erat*) *percontatus.*

n *Percunctatus animos eorum*] Nove dictum *percunctari* pro tentare et ex-

set, ‘ se collaturos,[o] quanti damnatus esset, absolvere eum non posse,’ in exilium[p] abiit; precatus ab Diis immortalibus, ‘ si innoxio sibi ea injuria fieret, primo quoque tempore desiderium sui[q] civitati ingratæ facerent.’ Absens quindecim millibus gravis æris[r] damnatur.

33. Expulso cive, quo manente, si quicquam humanorum certi est, capi Roma non potuerat; adventante fatali urbi clade, legati ab Clusinis veniunt, auxilium adversus Gallos petentes. Eam gentem traditur fama, dulcedine frugum maximeque vini,[s] nova tum voluptate, captam, Alpes transisse,[t] agrosque ab Etruscis ante cultos[u] posse-

NOTÆ

plorare sensus illorum: cum *percunctari*, seu *percontari*, aliquem, vel ex aliquo, sit proprie interrogare, sciscitari, exquirere.

[o] *Se collaturos*] Effugere se non posse quin damnarent; sed, pro amicitia sua et studio in illum, exsoluturos collata stipe tantam pecuniam quanta damnaretur.

[p] *In exilium*] Ardeam concessit. Plut.

[q] *Desiderium sui*] Achilleum votum Suidas vocat.

[r] *Quindecim millibus gravis æris*] Computatis in singulas æris libras assibus nostratibus 13. cum dimidio fere fient 10125. lib. monetæ Francicæ.

[s] *Maximeque vini*] Hujusmodi ex causa Italiam a Transalpinis Gallis ac præsertim Helvetiis appetitam narrat etiam Plin. lib. XII. cap. I. sed antiquiorem alium pro Arunte Clusino ejus incepti auctorem subjicit. ‘Produnt,’ inquit, ‘ Alpibus coërcitas, et tum insuperabili munimento, Gallias, hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiæ, quod Elico ex Helvetiis civis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam, et uvas, oleique et vini primitias remeans secum tulisset.’

[t] *Alpes transisse*] Gallorum lingua alti montes *Alpes* vocantur, testibus Servio et Isid. unde Pyrenæi quoque Alpium nomine dicti leguntur. Ideoque hallucinatus videtur Fest. Pompeius, qui *Alpes* a candore dictas tradit, quod perpetuis fere nivibus albescant: Sabini autem *Alpum* dixerint, quod postea Latini *album*. Hi montes celsissimi, variis distincti cognominibus, Septemtrionale Italiæ latus claudunt a Varo amne et Infero mari ad Arsiam et mare Superum, per millia passuum ferme 800. ut Cluver. docet lib. I. Ital. antiquæ c. 3. hæc saluberrima imperio juga, veluti naturæ providentia, Galliam, Germaniam, et Illyricum ab illa summovent, ut Plin. lib. III. loquitur, eique muri aut valli vicem præstant. Hinc eleganter Cicero in Orat. de Provinc. consularibus; ‘Alpibus Italiam munierat natura, non sine aliquo divino numine. Nam si ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset, nunquam hæc urbs summo imperio domicilium ac sedem præbuisset.’ Nobis hodie *les Alpes* generali nomine vocantur: Italis, *l'Alpi:* Germanis, *Alben*. Vide Cluver. lib. I. Ital. antiq. cap. 30. et seqq.

disse: et invexisse in Galliam vinum illiciendæ gentis causa Aruntem Clusinum,[x] ira corruptæ uxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipse, præpotente juvene, et a quo expeti pœnæ, nisi externa vis quæsita esset, nequirent.[u] Hunc transeuntibus Alpes ducem, auctoremque Clusium oppugnandi fuisse. Equidem haud abnuerim, Clusium Gallos ab Arunte, seu quo alio Clusino, adductos: sed eos, qui oppugnaverint Clusium,[y] non fuisse, qui primi Alpes transierint, satis constat. Ducentis quippe annis[z] ante, quam Clusium oppugnarent, urbemque Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt: nec cum his primum Etruscorum,[a] sed multo ante cum iis, qui inter Apenninum[b]

[u] *Ira ex eo concepta quod Lucumo Clusinus uxorem ipsius Aruntis, quondam tutoris sui, vitiasset, juvenis tanta potentia subnixus, ut supplicium de eo sumi non posset, præterquam advocato extraneo auxilio.*

NOTÆ

[u] *Ab Etruscis ante cultos*] Hoc ex sequentibus non de iis Etruscis capiendum qui inter Apenninum montem et mare Inferum siti, sed de priscis illis qui ad mare Superum a Pado ad Apenninum incolebant: quorum urbes præcipuæ Felsina, post Bononia dicta, et Mantua. Hæc enim vetus eorum sedes antequam a Gallis pellerentur, et pars ultra Apenninum in eam regionem quæ Tusciæ appellationem retinuit, pars trans Alpes in Rhetiam Rheto duce abirent.

[x] *Aruntem Clusinum*] Hanc famam mox refellit.

[y] *Qui oppugnaverint Clusium*] De Clusio Tusciæ civitate dictum lib. II. c. 9.

[z] *Ducentis quippe annis*] Circa Urbis igitur annum 263. Tarquinii Prisci 26. qui tertio anno Olympiadis 74. respondet, quo tempore cœpisse creditur ultimus Medorum rex Astyages, Solon Atheniensibus leges ferebat, Sedechias Davidici generis postremus rex Judæorum, exciso cum Hierosolymis templo, excæcatus et Babylonem captivus a Nabuchodonosore abductus est.

[a] *Nec cum his primum Etruscorum*] Sensus est, Gallos non cum his Etruscis primum pugnasse, qui inter Apenninum et mare Inferum, sed cum illis qui antea ab Apennino versus mare Superum habitabant. Duas fuisse Italiæ regiones Etruscis sive Tuscis habitatas paulo ante monui. Antiquiores ad mare Hadriaticum colebant, posteriores ex illis orti ad Tyrrhenum, medio inter utrumque tractum Apennino. Illos primum suis locis Galli expulerant: hos nunc eorum posteros aggrediebantur: aut unum e primariis eorum populis Clusinos. Nam utrobique in populos duodecim divisos Etruscos fuisse constat, quorum singuli per Lucumones, et quasi dictatores suos regebantur. De veteribus intelligendus Virg. lib. x. qui ut patriæ suæ gratificaretur, principem eorum urbem facit Mantuam, subditque: 'Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.' Eorum qui post, Pelasgis Tyrrhenisque permixti, ab Arno, ac deinde a Macra ad Tiberim agebant, populi duo-

Alpesque incolebant, sæpe exercitus Gallici pugnavere. Tuscorum ante Romanum imperium[c] late terra marique opes patuere. Mari supero inferoque, quibus Italia insulæ modo cingitur, quantum potuerint,[2] nomina sunt argumento; quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum[3] mare, ab Hadria Tuscorum colonia,[d] vocavere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras: prius cis Apenninum[e] ad inferum mare, postea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, coloniis missis: quæ trans Padum[f] omnia loca,

2 Pro *potuerint* scribendum monet Doering. *patuerint*.—3 ' Forte rectius

NOTÆ

decim fuere; Veientes primum, tum Coritani, sive Cortonenses; Tarquinienses; Cæretani; Volsinii; Perusini; Aretini; Falisci; Volaterrani; Rusellani; Vetulonienses, et Clusini. De hac Plinius lib. III. c. 5. ' Etruria est ab amne Macra: ipsa mutatis sæpe nominibus. Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi: hos Lydi, a quorum rege Tyrrheno Tyrrheni; mox a sacrifico ritu lingua Græcorum Thusci sunt cognominati,' ἀπὸ τοῦ θύειν scilicet, *a sacrificando*.

b *Inter Apenninum*] *Apenninus*, sive plurali numero *Apennini montes*, tractus est montium, et Alpium ingens quasi ramus perpetuis, ac lunatis jugis, Italiam, quam longa est, ab Alpibus maritimis ad Siculum fretum et Brutiorum extremos fines dividens in duo veluti latera, quorum lævum ad mare Adriaticum vergit, dextrum ad mare Tyrrhenum.

c *Tuscorum ante Romanum imperium*] Non mari modo celebratæ Tuscorum vires, sed terra quoque, et sedes ultra Lirim fl. protulerant. Eorumque fuit Vulturnus, quæ post Capua est dicta; ut vidimus lib. IV. c. 37. Porro Etruscos sive Tyrrhenos, non ex Lydia advenas, ut vulgo creditum, sed Italiæ indigenas fuisse probat Halicarn. lib. I.

d *Ab Hadria* [*Adria*] *Tuscorum colonia*] Illustris olim et potens urbs trans omnia Padi ostia fuit *Adria*, sive *Hadria*. Hujus urbis reliquiæ adhuc supersunt in Venetorum finibus, quæ, cum episcopali dignitate, nominis etiamnum servat vestigia; diciturque *Adria* vel *Adri*: sicut et in Piceni finibus alia civitas *Hadria*, Ducali titulo insignis, quæ *Atri* nunc vocatur. Vide sup. lib. I. c. 1.

e *Prius cis Apenninum*] Aliter Dionysius lib. I. qui primos Etruscos trans Apenninum ad oram maris Superi collocat: unde migraverunt in eam regionem quæ nunc Tuscia est, quamque antea magna ex parte Umbri tenuerant.

f *Trans Padum*] Metrodorus Scepsius apud Plin. lib. III. c. 16. tradit *Padum* nomen accepisse quoniam circa fontem arbor multa sit picea, quæ *Pades* Gallice vocetur. Ligurum lingua hic amnis *Bodincus* vocabatur, quod significabat fundo carentem.

excepto Venetorum angulo,[g] qui sinum circumcolunt maris, usque ad Alpes[h] tenuere. Alpinis quoque[i] ea gentibus haud dubie origo est, maxime Rætis:[4k] quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter sonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent.

34. De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus. Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia[l] est, penes Bituriges[m] summa imperii fuit.

scribitur *Adriaticum.*' Rupert.—4 Al. *Rhætis, Rhætiis, Rhetis.*

NOTÆ

Græcis dictus *Eridanus,* ab Eridano Solis filio, apud Isidorum: Phaëtontem fabulæ vocant, et fulmine ictum in Padum narrant cecidisse. Heliades autem ejus sorores, dum interitum fratris deflent, in arbores populos versas, pro lacrymis electrum fundere, aiunt. Padum autem Eridani titulo a Græcis indigitatum crediderim de nomine amnis exigui non procul Athenis in Ilissum defluentis. *Padus* porro nunc Italis Gallisque *Po,* Germanis *Paw,* non uno fonte oritur ex Vesulo monte, quæ pars est Alpium Cottiarum, (vulgo *Mont de Viso,*) in Vagiennorum finibus, ubi hodie Marchionatus Salutiarum: perque duo milliaria sese cuniculo condens, mox quasi renascens, Taurinos inter et Vagiennos Ligures fluit, et Galliam Cisalpinam, quæ ab eo Circumpadana, nunc Lombardia dicitur, in duas partes secans, tandem in mare Hadriaticum septem ostiis se effundit, quæ septem maria vocantur: quorum præcipua duo, Volana ad lævam nomen vetustum retinens, et Padusa ad dextram, quod et ostium Spineticum dixere: unde fossa ab Augusto Ravennam usque ducta.

[g] *Excepto Venetorum angulo*] De Venetis dictum lib. I. c. 1.

[h] *Usque ad Alpes*] Ampliores veris indicat Etruscorum veterum fines. Vix enim est ut ad Alpes usque pertinuerint, cum hinc Ligures, inde Euganei viciniora Alpibus loca occuparent: nisi velit Euganeos Etruscorum partem fuisse.

[i] *Alpinis quoque*] Immo pleræque Alpinarum gentium Gallicæ originis fuere: nec solum Maritimarum, Cottiarum, Graiarum, ac Penninarum; sed et magna ex parte Juliarum et Carnicarum Alpium incolæ. Nam Iapydes ex Tauriscorum genere, et Carni a Carnutibus orti, quorum regio adhuc Carniolæ nomen ex parte retinet.

[k] *Maxime Rætis* [*Rhetis*] Fuerunt sedes antiquæ *Rhetorum* seu *Rhætorum* inter Helvetios ab Occasu, intercurrente Rheno, Vindelicos a Septemtrione, Noricos, Carnos, atque ex parte Venetos ab Oriente, Euganeos a Meridie. Ita ut eum tractum comprehenderent quem nunc occupant Tridentinus Episcopatus, Grisones, Suevi Meridionales, Tirolis Comitatus, et Episcopatus Brixinensis. Caput Tridentum fuit, vulgo *Trento.* Adjecta est postea Vindelicia, quæ Rhetia secunda post divisum imperium dicta, caput habuit Augustam Vindelicorum, nunc *Augsbourg,* Sueviæ hodiernæ præcipuam civitatem.

[l] *Celtarum, quæ pars Galliæ tertia*] Late adeo patuit Celtarum nomen,

Ii regem Celtico[n] dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaque cum sua, tum publica, præpollens, quod imperio[5 x] ejus Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse jam, exonerare prægravante turba regnum cupiens, Bellovesum ac Sigovesum,[o] sororis filios, impigros

[x] *Quod eo regnante.*

NOTÆ

ut Europam universam Celticæ nomine ex veterum scriptorum, ac Strabonis præsertim auctoritate, comprehendere non sit veritus Ortelius. Ea certe appellatione nationes Occidentis plerasque, Britannos scilicet, Hispanos, Germanos, Illyrios, una cum Gallis, contineri Cluverius ostendit in Germ. antiq. Proprie tamen *Celtæ*, Κέλται, Græcis dicti, qui Romanis *Galli*. Quin et Gallia nostra Transalpina, (illorum respectu,) qua Cæcias flat, in Belgicæ nomen abiit, in Aquitaniæ qua spirat Africus: reliqua, inter utramque media, Celticæ vocabulum diu retinuit: donec ea pars, quæ a Rhodani Septemtrionali cursu, et Cemmenis montibus ad mare Mediterraneum meridiem versus protenditur, et proprio nomine Braccata vocatur, Romanorum victoriis a corpore Celticæ avulsa, Provinciæ Narbonensis cognomen accepit. Hac seclusa, Galliam omnem, (Comatam nempe,) divisam esse in partes tres Cæsar tradidit: quarum Celticam eam esse ait, quam Galli proprie dicti incolant. Ea inter Sequanam et Garumnam fluvios sita. Augustus sub Lugdunensis denominatione decurtavit, detractis, atque Aquitaniæ contributis, populis quatuordecim, qui inter Ligerim et Garumnam.

[m] *Penes Bituriges*] Duo in Celtica veteri fuere hujus nominis populi, Bituriges Cubi, quorum metropolis Avaricum, et Bituriges Vibisci, quorum caput Burdigala. Illi hodie *Berrugers*: hi *Bourdelois* vulgo vocitantur. De prioribus hic intelligendus videtur Livius.

[n] *Celtico*] Sic dicitur *Celticum*, ut hosticum: subintelligitur utrobique solum: nisi malis hic intelligere *nomen*, pro gente.

[o] *Sigovesum*] Hunc in Germaniam secuti non solum Helvetii, Boii, (a quibus Boiohæmum, et Boioaria,) sed et Turoni quoque; et Senonum præterea, et Venetorum pars, Lemovicesque, a quibus Semnones, Venedi, Lemovii; quibus alii quoque ab aliis adduntur. Tectosages inprimis qui bello æque ac justitia clari Cæsare teste. Hos in tractu Sueviæ, ubi nunc Teccensis Ducatus, consedisse plerique volunt: tempore autem procedente in Illyricum atque Asiam colonias deduxisse. Templi certe Delphici manubias, Tolosam in antiquam patriam, asportasse, ex Strabone, Pausania, Justino, aliisque scriptoribus constat: unde 'aurum Tolosanum.' Qui vero eorum in Germania remanserunt, eos post Cæsaris tempora in Chattorum nomen transisse, conjicit haud improbabiliter vir eruditiss. mihique amicissimus Ægidius Lacarrius e Soc. Jesu. Nec desunt qui Rendingos Germaniæ, qui et Rugii, et Festo Ruteni, a Rutenis Galliæ; Varinos, seu Varnos, ab Arvernis; Carinos, seu Caritnos, a Carnutibus; Longones, sive Longobardos, a Lingonibus; Endoses, sive potius Eduoses, ab Edulis; Nuithones a cognomine Helvetiorum populo, atque ab Helvetiorum gente Helvecones;

juvenes, missurum se esse, in quas Dii dedissent auguriis sedes, ostendit. Quantum ipsi vellent numerum hominum, excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercynii saltus:[p] Belloveso haud paulo lætiorem in Italiam viam Dii dabant. Is, quod ejus ex populis abundabat,[6 q] Bituriges, Arvernos,[r] Senones,[7 s]

5 Vulg. *quod in imperio.*—6 ' In Mss. optimis legitur *ejus*, in ed. Junt. *ei*, in plerisque edd. antt. *eis* sive *iis ex populis*, sc. qui mox memorantur; et in multis codd. *quod ea gens p. a.* sc. Italia, quam hinc multitudine suorum succinctus petiit, quod arrisit Gron. qui etiam conj. *quod septem ex p. a.*' Rupert. Crevierius, qui lectionem vulgatam, *quod ei sex populis* servavit, pro *eis* malebat *his*, nempe sequentibus. Vid. Not. Var.—7 Reponendum putat Sigon.

NOTÆ

quin et a Cavaris Caviones, Surdaones derivent a Sardonibus, qui nunc Ruscinonenses.

p *Hercynii saltus*] Sylva Hercynia, sive Orcynium nemus, a Rheno in Sarmatiam olim sexaginta dierum itinere in longitudinem patebat ex Mela, novem in latitudinem, auctore Cæsare. Paulatim pluribus locis excisa, et pagis atque urbibus frequentata, vetustum horrorem nitore mutavit. Quod ejus superest, per totam fere Germaniam sparsum, ut locis, ita appellationibus est distinctum. In Suevia, Sylva Nigra, *Schwartz-Waldt*; in Turingia, Turingica, *Duringer-Waldt*; qua Bohemiam in coronæ modum ambit, Bohemica, *Bohmer-Walt*; alibi aliis nominibus vocatur.

q *Is, quod ejus* [*eis*] *ex populis abundabat*] Missis Sigonii, Gronovii, aliorumque variis lectionibus, vulgatæ congruum inesse video sensum, quemadmodum agnovit tandem Gronovius, ut dicat Livius *ex illis populis*, qui mox enumerantur, quive Celtarum in regione erant, multitudinem, quæ superfluebat, evocatam a Belloveso in Italiam. Est enim *abundare* idem quod redundare, et habere ultra id quod est necessarium.

r *Arvernos*] Hi regionem incolebant, quæ nunc *Auvergne*, seque fratres Romanorum, quasi a Trojanis oriundos, dicebant, auctore Lucano. Cæsaris tempore inter Celticæ gentes de principatu cum Heduis certabant: post ab Augusto Aquitaniæ contributi. Caput urbium quondam *Gergobia*, (cujus vestigia apud locum *Gergoye*,) deinde *Arvernum*, cui nunc a Claromonte appellatio indita, vulgo *Clermont en Auvergne*.

s *Senones*] Conjicit Sigonius pro *Senonibus* hic reponendos *Santones*: alioqui Senones et inter primos, et ultimi Alpes transcenderint: cum mox cap. proxime sequenti subjiciat Livius, ' tum Senones recentissimi advenarum.' Sed nihil obstat quominus plures ejusdem gentis coloniæ diversis præsertim temporibus deduci potuerint; et qui primi e Senonibus Italiam petierint, aliis permixti, nomen mutaverint, quod Arvernis aliisque ex horum priorum numero contigit. Santones autem ad Garumnæ ostia siti, cum Celticæ ad Cæsarem usque pars fuissent, deinde ex Augusti instituto Aquitaniæ populis accenseri cœperunt. Oppidum primarium, Mediolanum, nunc *Saintes*, regio *Saintonge*, dicitur.

Æduos,[t] Ambarros,[u] Carnutes,[x] Aulercos,[y] excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis, in Tricastinos[z] venit. Alpes inde oppositæ erant; quas inexsuperabiles visas haud equidem miror, nulla dum via (quod quidem continens memoria sit,[a] nisi de Hercule[b] fabulis credere libet,) superatas.[8] Ibi cum velut septos montium altitudo teneret Gallos, circumspectarentque, quanam per juncta cœlo juga in alium orbem terrarum transirent, religio

Santones.—8 ' *Nulla dum via quod quid. cont. memoria sit, nisi de Herc. fab. credere libet, superatas.* Ego germanam hujus loci lectionem eam esse existimo, quæ in priscis aliquot exemplaribus est ejusmodi: *nulla dum via* (*quod quidem continens ulla memoria sit*) *nisi ab Hercule* (*si fabulis credere libet*) *superatas:* ita ut hanc totam sententiam duæ parentheses includant. Præterea malim etiam, *quo de quidem continens,* quam *quod quidem,* ut sit elegans et usi-

NOTÆ

[t] *Æduos*] *Ædui,* sive *Hedui,* populi Celticæ, quæ postea Lugdunensis, socii Romanorum, tempore Cæsaris Galliæ principatum obtinebant. Eorum sedes, a Burgundionibus occupatæ, Ducatus Burgundiæ nomen habent, *Duché de Bourgogne;* cujus tamen fines Heduorum finibus ampliores. Princeps quondam civitas *Bibracte,* vulgo *Bevray;* postea *Augustodunum,* nunc *Autun.*

[u] *Ambarros*] Pars seu pagus Heduorum fuere Ambarri. Alii Nivernensem, Sanso Cabilonensem interpretatur Diœcesin, *Le Chalonois.*

[x] *Carnutes*] Celticæ, ac postea Lugdunensis Senoniæ populi, apud quos præcipuæ Druidum scholæ, amplissima regione complectebantur initio Carnotensem et Aurelianensem tractus, id est, Belsiam late sumtam. Urbium olim caput *Autricum,* nunc vulgo *Chartres.*

[y] *Aulercos*] Tres ejus nominis fuere populi in Gallia Celtica, *Eburovices,* qui secundæ Lugdunensi post ascripti, *Cenomani* et Diablintes, qui tertiæ. Hic Aulercos Eburovices, (*Ceux d'Evreux, en Normandie*) intelligi inde conjicio, quod Cenomanorum speciatim deinde mentio fit, et Diablintes minus clari.

[z] *In Tricastinos*] Tricastini populi sunt Provinciæ olim Narbonensis, post Viennensis, hodie Delphinatus, ad lævam Rhodani ripam, satis angustis finibus. Oppidum priscis *Augusta,* nunc *Saint Paul de Trois-Châteaux.*

[a] *Quod quidem continens memoria sit*] Nihil opus Sigonii correctione: est enim illud, *quod quidem continens memoria sit,* idem ac si diceret, *quod quidem* factum esse, *continuata* ad nos usque *memoria sit;* sive, *saltem quod testentur monumenta* antiquitatis, quæ ad nostram ætatem deducta sunt.

[b] *Nisi de Hercule*] Græcum Herculem ferunt, devicto in Hispania Geryone, in Italiam per eam Alpium partem transiisse, quæ ex eo Graiæ dictæ: nunc vocantur, *Le petit Saint Bernard;* inter Cottias, *Le Mont-Cenis,* et Penninas, *Le grand Saint Bernard.* Eo tractu fuit Ideonni postea regnum; hodie fere Tarantasia, *La Tarentaise.*

etiam tenuit, quod allatum est, advenas quærentes agrum ab Salyum gente[c] oppugnari. Massilienses erant[d] hi, navibus a Phocæa[9] profecti. Id Galli fortunæ suæ omen rati,[e] adjuvere, ut, quem primum in terram egressi occupaverant, locum patentibus sylvis communirent.[f] Ipsi per Taurinos saltusque[g] invios Alpes[10] transcenderunt:[h] fusisque acie Tuscis haud procul Ticino flumine,[i] cum, in

tata verborum transgressio.' *Sigon.* Vid. Not. Var.—9 Vulg. *Phocide.*—10 ' Lectio h. l. debetur Drak. In antt. edd. *saltusque Juliæ Alpis*, in aliis e conj. Rhenan. *ipsi Taurino saltu invias Alpes:* in Ms. Lips. *saltus qua mlie ante alpes:* unde Lips. in Epist. ad Belgas I. 93. conj. *saltus, qua minime altæ Al-*

NOTÆ

[c] *Ab Salyum gente*] Salyes, sive Salyi, aut Salluvii populi fuere Galliæ Narbonensis e Ligurum genere, inter Rhodanum et Alpes; in plura distincti nomina; proprie tamen dicti Salyi ea loca incolebant, ubi postea Aquæ-Sextiæ, et Diœcesis Aquensis, *d'Aix en Provence.*

[d] *Massilienses erant*] Phocæenses, non e Phocide Achaiæ Provincia, sed Phocæa Atheniensium colonia in Asia minori, (quæ adhuc Italis, *Focchia Vecchia,*) profecti. Hi ab Harpago, Cyri Persarum regis præfecto, obsessi, rebus omnibus suis in navem impositis, ac dira sibi, si unquam redirent imprecati, (unde in proverbium abiit Phocæensium execratio, Φωκαιέων ἀρά,) ad Corsicam primum insulam, ac deinde ad oram Gallicam appulere, ubi Massiliam condiderunt, circa Olympiadem 60. Videndi Herodotus præsertim et Justinus.

[e] *Fortunæ suæ omen rati*] Quod hi Galli, Belloveso duce, novas sibi, relicta patria, sedes quærerent, non secus ac Græci illi Phocæenses ideo advenas hosce tuendos censebant adversus Gallos alios.

[f] *Patentibus sylvis communirent*] Itane patentes sylvæ ad muniendum aptæ? Non sylvis ipsis, sed congesta e proximis ac late patentibus sylvis lignorum strue, ad muniendum locum, Phocæenses a Celtis adjuti.

[g] *Taurinos saltusque* [*Taurino saltu*] Taurini, quos Polybius *Tauriscos* quoque appellat, sub Alpibus Cottiis, in limine Italiæ, ad lævam Padi incolunt: populi Gallici generis, aut, quod eodem recidit, Ligustici, atque ab Etruscis diversi. Nunc Pedemontani dicuntur, stricte sumto nomine. Primarium oppidum Taurasia primum, post Augusta Taurinorum: hodie *Turin:* Italice, *Torino.*

[h] *Invios* [*invias*] *Alpes transcenderunt*] Ab Rhenano est. Vulgata enim lectio, *ipsi per Taurinos saltusque Juliæ Alpis.* Sed *Juliæ Alpes* neque hac regione sunt, sed in Pannoniæ Italiæque confinio: necdum a Julio Cæsare nomen acceperant. Non tamen satis esse causæ videtur, cur aliud quam *Juliæ* nomen mutetur, legendumque *per Taurinos saltusque inviæ Alpis,* vel potius *Cottiæ Alpis, transcenderunt.* Nam quod postea Livius *eodem saltu* dixit in numero singulari, parum ad rem facit: cum nihil tritum magis apud auctores quam hæc numerorum commutatio.

[i] *Ticino flumine*] Ex altissimo Alpium jugo, *Adula,* vulgo nunc *Mont*

quo consederant, agrum Insubrium[k] appellari audissent, cognomine[11] Insubribus pago[l] Æduorum,[12] ibi, omen sequentes loci, condidere urbem: Mediolanum appellarunt.[m]

35. Alia subinde manus Cenomanorum,[13] [n] Elitovio duce,[o] vestigia priorum secuta, eodem saltu,[p] favente Belloveso, cum transcendisset[14] Alpes, ubi nunc Brixia[q] ac Verona[r]

pes, vel *qua inviæ ante Alpes.'* Rupert.—11 J. F. Gronovius tentabat *cognominem*.—12 *Heduorum* Gronov. Doujat.

13 Al. *Cænomanorum*. Mss. plurimi *Germanorum*, Ms. Veith. *manus Germanos et Citonio duce*.—14 Vet. lib. *transcendissent*, quod probat Sigon.—

NOTÆ

Saint Godard, inter Penninas et Rheticas Alpes interjecto, Ticinus fl. per lacum Verbanum, hodie *Lac Majour*, perque Insubrum agrum, ad ejusdem nominis oppidum, inde in Padum decurrit. Ticinus (ad quem tunc, si Livio fides, incolebant Tusci) nobis est *Le Tesin*, Ticinum oppidum *Pavie*.

[k] *Agrum Insubrium*] Trans Padum Insubres habitarunt, Alpes versus, ubi nunc ferme tractus Mediolanensis, *Il Milanese*, Diœcesis nempe Mediolanensis cum Laudensi et Papiensi: nam Comensis cum Bergomensi ad Orobios, Novaria ad Lævos, opinor, proprie pertinebat: quos utrosque sub nomine Insubrum comprehendisse Ptol. videtur.

[l] *Cognomine Insubribus pago*] Rhenanus subaudit *existente*. Gronov. scribit *cognominem Insubribus pago Heduorum*: sensu haud sane diverso. An nominis vestigia in oppido Burgundiæ *Seurre*, quod nunc *Bellegarde*, ad Ararim?

[m] *Mediolanum appellarunt*] Non videtur a vero abhorrere, quod Cluverius conjicit, Hednos et Aulercos Eburovices præcipuos in hac expeditione fuisse; ideoque ab Heduorum pago sive regiuncula, et loci nomine ubi Tuscos devicerant, Insubrum nomen sibi indidisse totam hanc gentem ex pluribus Gallorum populis conflatam; ab urbe autem Eburovicum primaria, Mediolano, cui et aliæ in Gallia Transalpina cognomines, inditum oppido communi opera condito vocabulum. Fuit autem hoc Mediolanum vicus primum ex Strabone; deinde urbs præclara. Et sane quamvis sæpius captum, vix cuiquam hodie Italicarum urbium cedit, sub Hispanorum ditione, vulgo *Milan*, Italice *Milano*, Germanice *Meylandt*.

[n] *Cenomanorum*] In Gallia Celtica. Urbs Vindinum, nunc *Le Mans*, regio *Le Maine*. In Ital. Territoria tenuere, quæ nunc *Veronese* et *Bresciano*, *Cremonese* et *Mantoano*.

[o] *Elitovio duce*] Non displicet Glareani conjectura, *Litavicum ducem* conjicientis: quod apud Cæsarem nomen est Gallicum, ex quo natum *Ludovici* apud posteros vocabulum credibile est.

[p] *Eodem saltu*] Inviæ Alpis, Cottiæ nimirum, quæ Taurinis imminet.

[q] *Brixia*] Caput gentis Cenomanorum, a quibus tunc condita, vici-

urbes sunt, (locos tenuere Libui,)[15 s] considunt. Post hos Salluvii,[t] prope antiquam gentem Lævos Ligures,[u] incolentes circa Ticinum amnem.[x] Penino deinde[y] Boii[z] Lingones-

NOTÆ

num habet amnem Melam: a Catullo dicitur mater Cremonæ. Nunc Longobardiæ ascripta in Venetorum est ditione, vulgo *Brescia*, Gallice, *Bresse*.

[r] *Ac Verona*] Major quam Brixia fuit, estque adhuc Verona, flumini Athesi imposita, quam, ab Euganeis simul et Rhætis primum conditam, Galli Brixiani occuparunt, coloniaque auxerunt. Venetis et ipsa paret, nomenque antiquum retinet. Germ. *Bern.*

[s] *Locos tenuere Libui*] Hi *Libui* Tuscorum gentis fuerint oportet ex Liv. Nisi potius legendum *Libici*, ut est apud Ptol. aut *Lebecii*, ut vocat Polyb. Hos modo Gallici, modo Ligustici generis faciunt antiqui scriptores. Sed et Ligures a Gallis orti: et forte Libici ante Gallorum hanc expeditionem, patentibus late finibus, hæc loca tenuerant a Taurinis ad Venetos; donec ab Insubribus ac Cenomanis Lævisque ulteriori regione pulsi, intra eas sedes se continuerunt, quæ ipsis post ab auctoribus assignantur, Vercellensi nempe agro, et Laumellino, in confinio Pedemontii hodierni et Mediolanensis Ducatus. Sic nihil erit reliqui, quod Tuscis antiquis trans Padum ascribi debuerit; sibique ipsi, ut et Dionysio, contrarius invenietur Livius: nisi sensus ejus interpunctione mutetur, ut paulo post indicabo.

[t] *Salluvii*] Iidem cum Sallyis, sive Salybus, de quibus cap. superiori.

[u] *Lævos Ligures*] Horum meminit quoque lib. XXXIII. ubi a Liguribus ita distinguuntur, ut appareat inter utrosque interjectum fuisse Padum. His lucem aliquam afferre poterit Plinii locus lib. III. c. 17. 'Vercellæ Libiciorum, ex Salyis ortæ; et Novaria ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodieque pago, non, ut Cato existimat, Ligurum: ex quibus Levi et Marici condidere Ticinum, non procul Pado:' sed ultra flumen et ad lævam ejus. Ceterum Maricorum nomen non facile alibi occurrit, confusorum haud dubie cum Lævis. Horum ergo memoratum oppidum Ticinum, cui postea Papiæ nomen inditum: unde ager hodie, *Il Pavese*.

[x] *Incolentes circa Ticinum amnem*] Totus hic locus a Rhenano, Sigonio, Cluverio, Gronovio mire vexatus: quorum varias a scriptis codicibus abhorrentes lectiones rationesque afferre longum, nec multum utile fuerit. Omnia ex fide manuscriptorum a Gronovio adductorum, sola interpunctione mutata, (quæ facillima et maxime probabilis corrigendi ratio est,) proxime ad mentem Cluverii redigi poterunt. Verum ponendum primo, quod satis constat, propositum esse Auctori describere, qui Gallorum populi, qua parte Alpium transgressi, quibus populis pulsis victisve, qua in Italiæ parte quisque consederint. Ponendum deinde, post has invasiones, memorari adhuc a Geographis aliisque scriptoribus Galliæ Cisalpinæ populos, quorum hic Noster meminit, 'Insubres,' 'Cenomanos,' 'Libicos,' sive 'Libuos,' 'Lævos,' 'Boios,' 'Lingones,' ac 'Senones;' qui proinde non in pulsorum, sed in pellentium, aut certe cum pellentibus sociatorum, numero habendi. His ita constitutis, satis plana videbitur hoc loco Auctoris sententia sic

que[a] transgressi,[16] cum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo,[b] sed

NOTÆ

legenti: *alia subinde manus Cenomanorum, &c. ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, (locos tenuere Libui,) considunt: post hos Salluvii, prope* (vel, quod idem est, *præter*) *antiquam gentem Lævos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem. Pennino deinde Boii, &c.* Hic duæ impressiones describuntur; secunda nimirum Cenomanorum, qui eadem parte, qua priores Galli, per Alpes nempe Cottias ingressi, Tuscos ex aliis, quos adhuc tenebant, ultra Insubres, locis exturbaverint; et tertia, qua Libici Salluviorum pars, sive ex Salyis orti, teste Plinio paulo ante laudato, juxta antiquos Ticini Padique incolas Lævos, ex Liguribus ortos, consederint. Libui Salluvii dicuntur appositione, quemadmodum Senones Galli. Alioqui Salyorum per se in hac regione nulla posterioribus temporibus mentio. Quarta sequitur expeditio, qua Boii et Lingones per Alpes Penninas irrumpentes protulere fines suos ad Padi ostia. Ultra hos adhuc perrupere quinto loco Senones. Singulorum situm designat Polyb. lib. II. qui *Laos* pro *Lævis* nominat, atque inter Padum et Apenninum primos *Ananes*, sive *Anamares*, quorum solus ille meminit. Eos, sive iidem fuere cum Ambarris, sive ex quacumque tandem Galliarum regione profecti, circa Placentiam incoluisse conjicit Cluverius, non improbabiliter.

[y] *Penino deinde*] Saltu vel jugo. Alpes Peninæ sic ab Hannibalis Pœni transitu nuncupatæ plerisque creduntur. Apud Plin. Livius vero nomine Penninas dictas indicat lib. XXI. a Pennino Deo; sive ille Pennus dicendus, ut vult Cluv.

[z] *Boii*] In Transalpina Gallia inter Heduos atque Arvernos siti fuere Boii, ea regione, quæ hodie *Bourbonnois*. Eorum pars in Germaniam transiit. His Italia magis placuit, ubi sedes in Etruscorum veteri solo fixere, occupata urbe Felsina, quam de suo nomine Bononiam vocarunt, (vul. *Bologne la grasse*,) et in ea regione consederunt, quæ post Æmilia, nunc *Lombardia di qua dal Po*, complectens agros Parmensem, Regiensem, Mutinensem, cum Bononiensi.

[a] *Lingonesque*] Fuere Lingones Celticæ Galliæ populi, aliquando Belgis contributi: nunc in finibus Campaniæ et Burgundiæ. Horum oppidum quondam Andematunum, vulgo nunc *Langres*. In Italiam transgressi quædam loca tenuisse aliquamdiu videntur inter Bononiam et Ravennam, circa Butrium, in Umbrorum Tuscorumque veterum confinio, *Sur la Frontiere de la Lombardie et de la Romagne*. Sed aut a Senonibus aut a Boiis, majoribus ac vicinis populis obscurati, iisve immixti, vix ullam sui apud scriptores alios memoriam reliquerunt.

[b] *Non Etruscos modo*] Ingentem his temporibus terrarum tractum Etrusci sive Tusci tenebant, ab Alpibus fere ad Superum Inferumque mare, ut Plutarchus scribit in Camillo. Eorum regionem ad utrumque Padi latus plures Gallici populi occupavere inter sinum Hadriaticum et Apenninum, quæ hodie fere *Lombardia*: ipsi inter hunc montem et Tuscum ab eis dictum mare sedes retinuerunt, hoc est, Tusciæ hodiernæ partem, quæ ad Umbronem fluvium pertinet; eamque amplificarunt, devictis Pelasgis, qui Orientalia ejus tractus Umbris eripuerant. Qua de re Dionys.

etiam Umbros,[c] agro pellunt: intra Apenninum tamen sese tenuere. Tum Senones, recentissimi advenarum, ab Utente flumine[d] usque ad Æsim[e] fines[17] habuere. Hanc gentem Clusium, Romamque inde, venisse comperio. Id parum certum est, solamne, an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adjutam. Clusini, novo bello exterriti, cum multitudinem, cum formas[18] hominum invisitatas[19] cernerent, et genus armorum, audirentque, sæpe ab iis, cis Padum ultraque, legiones Etruscorum fusas; quanquam adversus Romanos nullum eis jus societatis amicitiæve erat, nisi quod Veientes consanguineos adversus populum Romanum non defendissent, legatos Romam, qui auxilium ab senatu peterent, misere. De auxilio nihil impetratum. Legati tres M. Fabii Ambusti[f] filii missi, qui senatus populique Romani nomine agerent cum Gallis, ne, a quibus nullam

15 Al. *Libici*, al. *Lebecii*.—16 Vid. Not. Var.—17 Ms. Veith. *ab Ufente flumine usque Athesim fines*.—18 Vulg. *cum multitudinem tum formas*.—19 *Inusitatas* Gronov. Doujat. Crevier. all. et Ms. Veith.

NOTÆ

[c] *Umbros*] Antiquissima Italiæ gens; et auctore Boccho apud Solinum ac Servium, Gallorum veterum propago, Umbri, prima in Etruria sedes ad mare Inferum habuit inter Umbronem et Tiberim. Inde ultra Apenninum ad sinum usque Adriaticum progressi, a dextro fere Padi ostio, aut certe a Ravenna ad Piceni usque fines colnere. Verum a Gallis, tum Boiis et Lingonibus ad extremos versus Padum limites, tum præsertim Senonibus, exclusi ab ora Superi maris, (ubi nunc *Romandiola*, et *Ducatus Urbinas*), inter Apenninum Tiberimque et Narem fluvios consederunt, (quem tractum hodie vocant *Ducatum Spoletanum*): donec profligatis tandem Romanorum virtute Senonibus, aut ipsi pristinas sedes, aut regio ipsorum nomen recepit ad Superum mare.

[d] *Ab Utente flumine*] Sic legendum Sigonius docuit, non *Ufente*, qui hinc procul apud Tarracinam in mare Tyrrhenum influit; vulg. *Aufente*. At vero *Utis* prope Ravennam in Superum evolvitur, hodie *Montone* dictus.

[e] *Ad Æsim*] Hic quoque ingens mendum irrepserat; quod idem Sigon. advertit: legebatur enim *ad Athesin*, qui nunc *Adige*, Veronam alluit. *Æsis* vero ultra Senam Gallicam, sui nominis oppidum alluit, (nunc *Jesi*), Senonesque aut Umbriam, a Piceno disterminans, in Adriaticum cadit. Vulg. *Fiumesino*, quasi, *Fiume Esino*.

[f] *M. Fabii Ambusti*] Hic M. Fabius Vibulanus, primus e Fabiis cognomen Ambusti tulisse videtur; fueratque jam consul, ac tribunus militum consulari potestate.

injuriam accepissent, socios populi Romani atque amicos oppugnarent: Romanis eos bello quoque, si res cogat, tuendos esse: sed melius visum, bellum ipsum amoveri, si posset; et Gallos, novam gentem, pace potius cognosci, quam armis.

36. Mitis legatio, ni præferoces legatos, Gallisque magis quam Romanis similes, habuisset. Quibus, postquam mandata ediderunt in concilio Gallorum, datur responsum: 'Etsi novum nomen audiant Romanorum, tamen credere viros fortes esse, quorum auxilium a Clusinis in re trepida sit imploratum: et, quoniam legatione adversus se maluerint, quam armis, tueri socios, ne se quidem pacem, quam illi afferant, aspernari, si Gallis, egentibus agro, quem latius possideant, quam colant, Clusini, partem finium concedant: aliter pacem impetrari non posse: et responsum coram Romanis accipere velle:[20] et, si negetur ager, coram iisdem Romanis dimicaturos, ut nuntiare domum possent, quantum Galli virtute ceteros mortales præstarent.' 'Quodnam id jus esset, agrum a possessoribus petere, aut minari arma,' Romanis quærentibus, et, 'quid[1] in Etruria rei Gallis esset;' cum illi, 'se in armis jus ferre,'[g] et 'omnia fortium virorum esse,' ferociter dicerent, accensis utrimque animis ad arma discurritur, et prælium conseritur. Ibi, jam urgentibus Romanam urbem fatis, legati contra jus gentium[h] arma capiunt. Nec id clam esse potuit, cum ante signa Etruscorum tres nobilissimi fortissimique Romanæ juventutis pugnarent. Tantum eminebat peregrina virtus.[i] Quin etiam Q. Fabius, evectus extra aciem equo, ducem Gallorum, ferociter in ipsa signa Etruscorum incursantem, per latus transfixum hasta, occidit; spoliaque ejus

20 *Se accipere* Edd. ante Drak. *responsum contra a Romanis se accipere velle*

NOTÆ

[g] *Se in armis jus ferre*] Eadem militari, sed a recto jure aliena, voce usus est Cæsar, dissuadentibus amicis, bellum patriæ illaturus.

[h] *Contra jus gentium*] Neque enim jus gentium patitur, ut idem pacificatoris simul et bellatoris adversus eosdem personam gerat.

[i] *Peregrina virtus*] Fortitudo Romanorum assiduis bellis exercitatorum, inter Clusinos præcellens.

legentem Galli agnovere, perque totam aciem, Romanum legatum esse, signum datum † est.[y] Omissa inde in Clusinos ira, receptui canunt, minantes Romanis. Erant, qui extemplo Romam eundum censerent. Vicere seniores, ut legati prius mitterentur questum injurias, postulatumque, ut pro jure gentium violato Fabii dederentur. Legati Gallorum cum ea, sicut erant mandata, exposuissent, senatui nec factum placebat Fabiorum, et jus postulare barbari videbantur: sed, ne id, quod placebat, decerneret[2] in tantæ nobilitatis viris, ambitio obstabat.[z] Itaque, ne penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptæ,[3] [k] cognitionem de postulatis Gallorum ad populum rejiciunt. Ubi tanto plus gratia atque opes valuere, ut, quorum de pœna agebatur, tribuni militum consulari potestate in insequentem annum crearentur. Quo facto, haud secus quam dignum erat, infensi Galli bellum propalam minantes, ad suos redeunt. Tribuni militum cum tribus Fabiis creati Q. Sulpicius Longus,[4] Q. Servilius quartum, Ser. Cornelius Maluginensis.[5] *

37. Cum tanta moles mali instaret, (adeo occæcat animos fortuna, ubi vim suam ingruentem refringi non vult,) civitas, quæ adversus Fidenatem ac[6] Veientem hostem aliosque finitimos populos, ultima experiens auxilia, dictatorem multis tempestatibus dixisset, ea tunc, invisitato[7]

[y] *Signo dato observatum.*
[z] *Impediebat gratia, et nimius in potentiores favor.*

Ms. Veith.—1 Vulg. *ecquid.*—2 *Decernerent* vel *decerneretur* conj. Rupert. *Decernerent* dat Crevier.—3 Legendum monet Tan. Faber *accipiendæ.*—4 Vulg. *P. Sulpicius Longus.*—5 Vulg. *P. Servilius Maluginensis.*

NOTÆ

† *Signum datum*] Vocale, nempe, quod per omnes ordines, dum alii alios excipiunt, brevi sparsum est. *Signum* autem dicitur, quod signi instar, quod ante pugnam dabatur, per aciem sit nuntiatum. *J. Clericus.*

[k] *Cladis forte Gallico bello acceptæ*] Non concoquit Tan. Faber illud *acceptæ* de re futura; vultque legendum omnino *accipiendæ:* sed adjectum *forte* conditionem inducit, quasi dieas, *si accepta esset.* Et futura clades mentibus Senatorum quasi præsens, aut etiam quasi jam præterita, obversabatur.

* A. U. C. 364.

atque inaudito hoste ab Oceano[1] terrarumque ultimis oris bellum ciente, nihil extraordinarii imperii[m] aut auxilii quæsivit. Tribuni, quorum temeritate bellum contractum erat, summæ rerum præerant: delectumque nihilo accuratiorem, quam ad media bella[a] haberi solitus erat, (extenuantes etiam famam belli,) habebant. Interim Galli, postquam accepere, ultro honorem habitum violatoribus juris humani, elusamque legationem suam[8] esse, flagrantes ira, cujus impatiens[9] est gens,[n] confestim signis convulsis, citato agmine iter ingrediuntur. Ad quorum prætereuntium raptim tumultum cum exterritæ urbes ad arma concurrerent, fugaque agrestium fieret, Romam se ire, magno clamore significabant; quacumque ibant, equis virisque longe ac late fuso agmine immensum obtinentes loci.[b] Sed, antecedente fama nuntiisque Clusinorum, deinceps inde aliorum populorum, plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit; quippe quibus, velut tumultuario exercitu raptim ducto, ægre ad undecimum lapidem occursum est, qua flumen Allia,[10] [b]

[a] *Ad bella mediocria.* [b] *Vastum spatium occupantes.*

6 *Et* Gronov. Doujat. Crevier.—7 *Inusitato* iid.—8 *Suam legationem* iid. —9 '*Impatiens* revocavi e Mss. et vett. edd. pro *impotens*, quod vulgo editum ex emend. Rhenani.' *Rupert.*—10 Scribendum monet Sigon. *Alia.*

NOTÆ

[1] *Ab Oceano*] Ita Florus: 'quondam ab ultimis terrarum oris, et cingente omnia Oceano.' Amplificatio est: neque enim Senones in patria Oceano proximi: neque hi tunc ex longinquis trans Alpes terris veniebant, sed ex Umbria, in quam jam ante migraverant.

[m] *Extraordinarii imperii*] Potestatis et imperii nomine intelligitur major magistratus, penes quem est merum imperium. Inter extraordinarios erat inprimis dictator, ad quem non nisi urgente periculo recurri solebat.

[n] *Cujus impatiens* [*impotens*] *est gens*] Ita Rhen. antea *impatiens*, eodem sensu. Est enim 'impotens iræ,' qui facile iram refrænare ac comprimere non potest. Sed num in re simili moderatiores Romani?

[b] *Flumen Allia*] Cluv. post Blondum putat exiguum esse amnem, qui sub Ereto sive Monte Rotundo ad primum milliare occurrit, quinque milliaribus supra Crustumium, seu Marcilianum vetus, vocaturque vulgo *Rio di Mosso.* Holstenius Alliam esse putat rivulum, qui paulum ultra Marcilianum, inter prædium Sanctæ Columbæ et Sancti Joannis, præalto alveo defluit in Tiberim quinque aut

Crustuminis montibus præalto defluens alveo, haud multum infra viam Tiberino amni miscetur. Jam omnia contra circaque[p] hostium plena erant, et nata in vanos tumultus gens,[q] truci cantu clamoribusque variis, horrendo cuncta compleverant sono.

38. Ibi tribuni militum, non loco castris ante capto, non præmunito vallo, quo receptus esset, non Deorum saltem, si non hominum, memores, nec auspicato, nec litato,[c] instruunt aciem deductam[11] in cornua,[r] ne circumveniri multitudine hostium possent. Nec tamen æquari frontes poterant, cum extenuando infirmam et vix cohærentem mediam aciem haberent. Paulum erat ab dextera editi loci, quem subsidiariis repleri placuit; eaque res, ut initium pavoris ac fugæ, sic una salus fugientibus fuit. Nam Brennus, regulus Gallorum,[s] in paucitate hostium artem maxime timens, ratus ad id captum superiorem locum, ut,

[c] *Cum nec captassent auspicia, nec sacrificio Deos placassent.*

NOTÆ

sex passuum millibus supra Fidenas, sive Castellum Jubileum. Ut ut sit, ignobilis alioqui amnis Romanorum clade nobilitatus est, atque ob infaustam hanc pugnam Alliensem dies xv. Kal. Sextiles (Julii 18.), alioqui deletis ad Cremeram Fabiis infelix, inter nefastos relatus est.

[p] *Contra circaque*] Vult, opinor, Senones præ multitudine totam regionem implevisse, ut non tantum, qua ibant Romani, hostes haberent a fronte obvios, sed etiam undique dextra lævaque circumfusos.

[q] *Nata in vanos tumultus gens*] Est quod Titi nostri miremur inconstantiam ex vecordi in Gallicam gentem odio. Nunc ut vanos arguit Gallos, quod clamorem militarem, seu barritum tollant; mox cap. prox. Romanos suos damnat quod clamorem ad pugnam ineundam non ediderint.

[r] *Aciem deductam* [*diductam*] *in cornua*] Quod Gronovius *deductam* legit, hoc est, extenuatam, et parum densam, nihil est quod mutetur; cum non minus *diducta* dispersam significet, sensu haud absimili, ut probatur vel ex illo Cic. de Orat. 'Cum autem diduxerat pugnum, et manum dilataverat.'

[s] *Brennus, regulus Gallorum*] Brenni plures fuere. Certe ab hoc diversus fuit, utpote toto sæculo junior, is qui Græciam vastavit, templumque Delphicum revera spoliavit, quicquid Pausanias aliique negent: Galli autem illi prisci duces magis quam reges habebant: et reges vel ad tempus, vel certe non cum summo imperio erant, uti ex Cæsare discimus. Neque absurdum, neque tibi, Serenissime Princeps, injucundum omnino fore putavi, si hujus Brenni effigiem ex Iconum Promtuario, Gallicum in morem armatam ornatamque, non quasi certum antiquitatis monumentum, sed ad Gallici decoris me-

ubi Galli cum acie legionum recta fronte concucurrissent,[12] subsidia in aversos transversosque[t] impetum darent, ad subsidiarios signa convertit: si eos loco depulisset, haud dubius, facilem in æquo campi tantum superanti multitudini[13] victoriam fore.[d] Adeo non fortuna modo, sed ratio etiam, cum barbaris stabat. In altera acie nihil simile Romanis, non apud duces, non apud milites, erat. Pavor fugaque occupaverat animos, et tanta hominum oblivio,[u][14] ut multo major pars Veios, in hostium urbem, cum Tiberis arceret, quam recto itinere Romam ad conjuges ac liberos fugerent. Parumper subsidiarios tutatus est locus. In reliqua acie simul est clamor, proximis ab latere, ultimis ab tergo, auditus, ignotum hostem prius pæne quam viderent, non modo non tentato certamine, sed ne clamore quidem reddito, integri intactique fugerunt. Nec ulla cædes pugnantium fuit. Terga cæsa suomet ipsorum certamine in[15] turba impedientium fugam. Circa ripam Tiberis, quo armis abjectis totum sinistrum cornu defugit,[16][x] magna

[d] *Sibi, qui Romanos adeo multitudine vinceret, victoriam in loco plano proclivem futuram.*

11 *Diductam* Edd. ab Ald. ad Drak.—12 *Concurrissent* Gronov. Doujat. Crevier.—13 In nonnullis edd. *superanti multitudine*, vel *superante multitudine*.—14 ' Supplendum *erat* suadente Bauero, aut vox *hominum* post *animos* ponenda. Sed recte, opinor, Gron. pro *hominum* conj. *omnium* sc. rerum.' *Rupert.* *Omnium* quoque probant Drak. et Doering. et extat in Crevier. min.—15 Præpositionem *in* omisit Ms. Veith.—16 J. F. Gronov. emendat *diffugit*.

NOTÆ

moriam, subjicerem:

[t] *In aversos transversosque*] Gall. *Qu'ils ne les prissent par derriere, et en flanc.*

[u] *Tanta hominum oblivio*] Haud dubie *omnium*, ex Gronovio: nisi malis *hominum* Romanorum oblivionem intelligi.

[x] *Sinistrum cornu defugit*] *Defugere* est vitare, recusare; ut defugere auctoritatem, munus, &c. Unde non abs re placet Gronov. *diffugit* potius legi.

strages facta est: multosque, imperitos nandi aut invalidos, graves loricis aliisque tegminibus, hausere gurgites. Maxima tamen pars incolumis Veios perfugit; unde non modo præsidii quicquam, sed ne nuntius quidem cladis, Romam est missus. Ab dextro cornu, quod procul a flumine et magis sub monte steterat, Romam omnes petiere, et, ne clausis quidem portis urbis, in arcem confugerunt.

39. Gallos quoque velut obstupefactos miraculum victoriæ tam repentinæ tenuit. Et ipsi[17] pavore defixi primum steterunt, velut ignari, quid accidisset. Deinde insidias vereri; postremo cæsorum spolia legere, armorumque cumulos,[y] ut mos eis est, coacervare. Tum demum, postquam nihil usquam hostile cernebatur, viam ingressi, haud multo ante solis occasum ad urbem Romam perveniunt. Ubi cum prægressi equites, non portas clausas, non stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris, retulissent; aliud priori simile miraculum eos sustinuit;[e] noctemque veriti et ignotæ situm urbis, inter Romam atque Anienem consedere, exploratoribus missis circa mœnia aliasque portas, quænam hostibus in perdita re consilia essent. Romani, cum pars major ex acie Veios petisset, nemo superesse quenquam præter eos, qui Romam refugerant, crederet, complorati omnes, pariter[z] vivi mortuique, totam prope urbem lamentis impleverunt.[18] Privatos

[e] *Mira res alia illos continuit, ne ultra progrederentur.*

17 Conj. Rupert. *ipso.*—18 ' *Romani . . . . complorati omnes, pariter vivi mortuique, totam prope urbem lamentis impleverunt.* Id elegantius multo quam quod a Sigon. defenditur, *comploratis omnibus pariter vivis mortuisque.* Sed ita nullum est verbum, quod ac voc. *Romani* pertineret, nec plane structu-

NOTÆ

[y] *Armorumque cumulos*] Ad tropæa.

[z] *Complorati omnes, pariter*] Hoc sane elegantius Gron. mihique visum, quam Sigonianum, *comploratis omnibus vivis pariter mortuisque.* Figurate ascribit Auctor mortuis et absentibus (qui Veios aufugerant, et, vivi licet, pro mortuis habebantur) querelas luctusque eorum qui in urbe remanserant; quandoquidem illi in causa erant, cur hæc in urbe fierent: nec vero luctu complere locum ii tantum dici possunt, qui lugent; sed et qui lugentur, sive quorum amissio mœrorem efficit.

deinde luctus stupefecit publicus pavor,[f] postquam hostes adesse nuntiatum est. Mox ululatus cantusque dissonos, vagantibus circa mœnia turmatim barbaris, audiebant. Omne inde tempus suspensos ita tenuit animos usque ad lucem alteram, ut identidem jam in urbem[a] futurus videretur impetus primo adventu,[19] quo accesserant ad urbem. Mansuros enim ad Alliam fuisse, nisi hoc consilii foret. Deinde sub occasum solis, quia haud multum diei superat, ante noctem rati se invasuros;[g] tum in noctem dilatum consilium esse, quo plus pavoris inferrent. Postremo lux appropinquans exanimare: timorique perpetuo ipsum malum continens fuit,[h] cum signa infesta portis sunt illata. Nequaquam tamen ea nocte, neque insequenti die similis illi, quæ ad Alliam[b] tam pavide fugerat,[20] civitas fuit. Nam cum defendi urbem posse, tam parva relicta manu, spes nulla esset, placuit, cum conjugibus ac liberis juventutem militarem senatusque robur in arcem Capitoliumque concedere,[1] armisque et frumento collatis, ex loco inde

f Postea communis metus compressit, et quasi hebetavit domesticam singulorum mœstitiam.

g Existimantes fore ut Galli ipsos adorirentur.

h Et malum ipsum irruptionis metui non intermisso conjunctum fuit.

ræ ratio apparet: nam τὸ *Romani* aut redundat, aut anacoluthon existit, aut leg. *Romæ* vel *Romanis*. Neque enim *Romani* hic sunt illi ipsi, qui complorarentur, sed ipsi, qui Romæ degerent, incolumes adhuc, sed ignari omnium ac soliciti. Itaque ab voc. *Romani* malim ablativos retinere.' *Bauer*. Vid. Not. Var.—19 ' Post *impetus* majorem distinct. posuit Stroth. non male! . . . . *a primo adventu* malebat Gron. Sed aut ipsum ablat. commode intelligi puto, aut *cum* vel *simul* suppleri posse.' *Bauer*. Distinctionem post *impetus* delevit Doering.—20 J. F. Gronov. malebat, *similis illis, qui ad Alliam tam pavide fugerant*.—1 *Conscendere* Edd. a Sigon. ad Drak. et Ms. Veith.—

NOTÆ

[a] *Ut identidem jam in urbem*] Illud *identidem* refertur ad tria tempora, quibus Galli urbem invasuri timebantur, et causas cur quovis horum temporum timerentur. Primo, cum statim a prælio ad urbem accesserunt. 2. Sub occasum Solis. 3. Initio noctis. 4. Initio diei sequentis, quo tempore urbem intrarunt.

[b] *Similis illi, quæ ad Alliam*] Displicet Gronovio quod dicitur, *ad Alliam fugisse civitas*: suspicatur reponendum: *similis illis qui ad Alliam tam pavide fugerant*. Non est tamen novum civitatem dici pro civibus, civiumque potiori parte.

munito[2] [e] Deos hominesque[d] et Romanum nomen defendere: Flaminem[3] sacerdotesque Vestales, sacra publica, a cæde, ab incendiis procul auferre; nec ante deseri cultum eorum, quam non superessent, qui colerent. Si arx Capitoliumque, sedes Deorum, si senatus, caput publici consilii, si militaris juventus superfuerit imminenti ruinæ urbis, facilem jacturam esse seniorum, relictæ in urbe utique perituræ turbæ. Et, quo id æquiore animo de plebe multitudo ferret, senes triumphales consularesque simul se cum illis palam dicere obituros; nec his corporibus, quibus non arma ferre, non tueri patriam possent, oneraturos inopiam armatorum.

40. Hæc inter seniores morti destinatos jactata solatia. Versæ inde adhortationes ad agmen juvenum, quos in Capitolium atque in arcem prosequebantur, commendantes virtuti eorum juventæque urbis per trecentos sexaginta annos omnibus bellis victricis,[e] quæcumque reliqua esset, fortunam. Digredientibus, qui spem omnem atque opem secum ferebant, ab iis, qui captæ urbis non superesse statuerant exitio; cum ipsa res speciesque miserabilis erat,

2 Lipsius in Tacit. scripsit *endomunito.*—3 '*Flaminem,* sing. pro plur. nisi leg. *Flamines.*' Rupert.

NOTÆ

[c] *Ex loco inde munito*] Nempe inde tanquam ex loco munito.

[d] *Deos hominesque*] Deorum est homines defendere, non contra: sed per Deos intelliguntur templa Deorum Romæ tutelarium.

[e] *Urbis per trecentos sexaginta annos.... victricis*] Glar. exactam non esse hanc annorum computationem notat, sed eam potius quæ in Camilli oratione sub finem libri exhibetur: erat enim hic annus ab Urbe condita 365. inquit. Sigon. fatetur Urbem captam anno 365. a Livio dici: sed non iusubtiliter ait annos hic a Livio non a prima Urbis origine, quemadmodum in oratione Camilli, sed a primo bello, quod an. 4. Romulus gessit adversus Sabinos teste Dionysio: quanquam lib. VII. ait, 'conditæ urbis æqualem victoriam fuisse,' sed hoc rhetorice. Præterea dici potest nihil esse usitatius apud auctores, quam ut rotundum numerum, qui vero proximus sit, pro vero sequantur. Sed annum Urbis captæ certo invenire Plutarchus difficile esse testatur. Plinius quartum et sexagesimum numerat supra trecentesimum. Nos uno minus cum Sigonio, summam Capitolinam secuto; quæ, demtis primis Urbis condendæ annis, quibus bellatum non est, reddet præcise annos 360. a Livio notatos.

tum muliebris fletus et concursatio incerta, nunc hos nunc illos sequentium, rogitantiumque viros natosque, cui se fato darent, nihil, quod humanis superesset malis, relinquebant. Magna pars tamen earum in arcem suos prosecutæ sunt, nec prohibente ullo, nec vocante; quia, quod utile obsessis ad minuendam imbellem multitudinem, id parum humanum erat. Alia, maxime plebis, turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in[4] tanta inopia frumenti poterat, ex urbe effusa velut agmine jam uno petiit Janiculum. Inde pars per agros dilapsi, pars urbes petunt finitimas, sine ullo duce aut consensu, suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis, exequentes. Flamen interim Quirinalis virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, quæ sacrorum[f] secum ferenda,[5] quæ (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent, consultantes, quisve[6] ea locus fideli asservaturus custodia esset; optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo ædibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere: cetera inter se onere partito ferunt via, quæ sublicio ponte ducit ad Janiculum. In eo clivo eas cum L. Albinius,[7] de plebe Romana homo, conspexisset, plaustro conjugem ac liberos vehens inter ceteram turbam, quæ inutilis bello urbe excedebat: salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum, irreligiosum ratus, sacerdotes publicos sacraque populi Romani pedibus ire,[g] ferrique, se ac suos in vehiculo conspici; descendere uxorem ac pueros jussit, virgines sacraque in plaustrum imposuit, et Cære,[h] quo iter sacerdotibus erat, pervexit.

4 Delendum monet Tan. Faber τὸ *in*.—5 Vulg. *quæ sacrorum ferenda*.—6 Alii legunt *quisque*. Conj. Rupert. *quive* et *quique*.—7 Al. *Albinus*, al. *Albanius*.

NOTÆ

Trecentos sexaginta annos] Erat annus 365. sed numero rotundo utuntur, ut solet fieri in locis, ubi non opus est accurato calculo. Vide cap. 54. *J. Clericus*.

[f] *Quæ sacrorum*] Sacra hic sunt res Diis consecratæ, simulacra inprimis Deorum, qui præcipuo in honore.

[g] *Pedibus ire*] Florus notat: ‘ Virgines ex sacerdotio Vestæ nudo pede

41. Romæ interim, satis jam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compositis, turba seniorum, domos regressa, adventum hostium obstinato ad mortem animo expectabat. Qui eorum curules[i] gesserant magistratus, ut in fortunæ pristinæ honorumque aut virtutis insignibus[k] morerentur, quæ augustissima vestis est tensas[8] ducentibus[l] triumphantibusve, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere. Sunt, qui, M. Fabio Pontifice Maximo præfante carmen,[m] devovisse eos se pro patria Quiritibusque Romanis, tradant. Galli, et quia interposita nocte a contentione pugnæ remiserant animos, et quod nec in acie ancipiti usquam certaverant prælio, nec tum impetu aut vi capiebant urbem, sine ira, sine ardore animorum ingressi postero die urbem[9] patente Collina porta, in forum perveniunt, circumferentes oculos ad templa Deum arcemque, solam belli speciem tenentem. Inde, modico relicto præsidio, (ne quis in dissipatos ex arce aut Capitolio impetus fieret,) dilapsi ad prædam vacuis occursu hominum[10] viis,[n]

8 Al. *thensas*.—9 Voc. *urbem* nonnulli delendam putant, quia modo præ-

NOTÆ

fugientia sacra comitatas:' reverentiæ scilicet causa.

[h] *Cære*] Quæ alias Agylla urbs Etruriæ. Hinc factum ex Val. Max. l. I. c. 1. aliisque, ut sacra *cærimoniæ* vocentur, quia Cæretani ea infracto reip. statu perinde ac incolumi coluerant.

[i] *Curules*] Majores magistratus curru vehebantur, sedentes in sella eburnea.

[k] *Honorumque aut virtutis insignibus*] Honorum, ut consulatus, dictaturæ, censuræ: virtutis, ut triumphi. Consulares, et qui alii in imperio fuerant, togis prætextis utebantur. Censorii purpureis, triumphales auro intertextis.

[l] *Tensas* [*thensas*] *ducentibus*] Ex Serv. in I. Æn. *thensæ* sunt currus quibus simulacra Deorum portantur. Festus *tensam* scribit, traditque esse vehiculum, quo exuviæ Deorum ludicris Circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur: fuisseque ex ebore et argento. Alii a divinitate dici putant (ἀπὸ τοῦ Θεοῦ): alii quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere et tangere qui eas deducunt.

Thensas ducentibus] Curribus, quibus signa Deorum vehebantur, præeuntibus. Solebant enim in ejusmodi pompa pretiosissimis vestibus in honorem Deorum uti. Vide Festum ad vocem 'Thensa.' *J. Clericus.*

[m] *Præfante carmen*] Concepta et solennia verba intellige, ut lib. III. cap. 64. Hic verba devotionis designantur, cujus formulam habes l. VIII. c. 9. ut detestationis lib. X. cap. 38. Octoginta fuisse, qui se ita devoverint, Zonaras notat.

pars in proxima quæque tectorum agmine ruunt, pars ultima, velut ea demum intacta et referta præda, petunt. Inde rursus ipsa solitudine absterriti, ne qua fraus hostilis vagos exciperet, in forum ac propinqua foro loca conglobati redibant: ubi eos, plebis ædificiis obseratis, patentibus atriis principum, major prope cunctatio tenebat aperta, quam clausa, invadendi. Adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in ædium vestibulis[o] sedentes viros, præter ornatum habitumque humano augustiorem, majestate etiam, quam vultus gravitasque oris præ se ferebat, simillimos Diis. Ad eos, velut simulacra, versi cum starent, M. Papirius, unus ex his, dicitur Gallo, barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram movisse; atque ab eo initium cædis ortum, ceteros in sedibus suis trucidatos. Post principum cædem nulli deinde mortalium parci, diripi tecta, exhaustis injici ignes.

42. Ceterum, seu non omnibus[11] delendæ urbis[p] libido erat, seu ita placuerat principibus Gallorum, et ostentari quædam incendia terroris causa, si compelli ad deditionem caritate sedium suarum[12] obsessi possent, et non omnia concremari tecta, ut, quodcumque superesset urbis, id pignus ad flectendos hostium animos haberent; nequaquam perinde atque in capta urbe prima die aut passim aut late

cessit. Vid. Not. Var.—10 Legit Tan. Faber *occursu hostium.*

NOTÆ

[n] *Vacuis occursu hominum viis*] Legit Tan. Faber, *vacuis occursu hostium viis*, id est, propter hostes occurrentes: at mihi *vacuæ occursu hominum viæ* recte dici videntur, quæ vacant ac destituuntur hominibus, seu in quibus nulli homines occurrunt. Sic 'vacuum igne,' 'vacuum curis,' 'periculo' Cic. dixit.

[o] *In ædium vestibulis*] Paulo ante dixit 'medio ædium.' In medio scilicet atrii, quod fere in aditu ædium.

[p] *Seu non omnibus delendæ urbis*] Pro *omnibus* scribit Gronov. *omnis*, ut dicatur non hanc fuisse Gallorum mentem ut totam urbem delerent, sed ut ex parte tantum incenderent injiciendi terroris causa. Retenta tamen lectione vulgari sensus esse potest, vel omnium Gallorum quasi consensu tacito, vel principum decreto, factum esse, ut non tota urbs, licet capta, incenderetur; sed pars ejus duntaxat, ob causam quæ subjicitur.

vagatus est ignis. Romani, ex arce plenam hostium urbem cernentes, vagosque per vias omnes cursus, cum alia atque alia parte nova aliqua clades oriretur, non mentibus solum concipere,[13] [q] sed ne auribus quidem atque oculis satis constare [r] poterant. Quocumque clamor hostium,[14] mulierum puerorumque ploratus, sonitus flammæ et fragor ruentium tectorum advertisset,[15] [s] paventes ad omnia, animos oraque et oculos flectebant, velut ad spectaculum a fortuna positi occidentis patriæ, nec ullius rerum suarum relicti, præterquam corporum, vindices: tanto ante alios miserandi magis, qui unquam obsessi sunt, quod interclusi a patria obsidebantur, omnia sua cernentes in hostium potestate. Nec tranquillior nox diem tam fœde actum excepit: lux deinde noctem inquietam [t] insecuta est.[16] Nec ullum erat tempus,

11 Pro *omnibus*, J. F. Gronov. rescribendum censebat, *omnis*.—12 Vulg. *caritate ædium suarum:* vet. lib. ap. Sigon. *sedum*.—13 Recentiores edd. ex Lipsii conjectura, *consipere;* Bauer. legit *consistere*. Conj. et Rupert. *compotes esse*. —14 Vulg. *Quocumque clamor, sonitus hostium*.—15 Ita emend. J. F. Gronov. pro vulg. *avertisset*.—16 Legendum putat Tan. Faber. *nec lux deinde noctem*. Conj. J. F. Gronov. *lux deinde noctem inquieta insecuta est:* bene, judice Ru-

NOTÆ

Non omnis] Sic Gronovius, pro *omnibus*. J. Clericus.

[q] *Non mentibus solum consipere*] Respuenda videtur Rhenani conjectura legentis, *concidere*, id est, non mentibus solum concidebant. Qui malunt *consipere*, ii verbo parum usitato, sed ad rem qua de agitur aptissime inserendo, auctoritate Catonis apud A. Gell. lib. VI. cap. 3. niti possunt. Cato enim initio orationis pro Rhodiensibus, 'Vereri se ostendit, ne patres, gaudio atque lætitia rerum gestarum prospere de statu mentis suæ deturbati, non satis consiperent, neque ad recte intelligendum consulendumque essent idonei.'

Mentibus consipere] Hoc est, mentis compotes esse; quod hic quidem de animo rebus adversis expavefacto; apud Catonem vero, de animo rebus prosperis elato occurrebat, sed eodem sensu. Vid. Aul. Gellium l. III. c. 7. Sic 'resipiscere' est ad priorem statum animi et corporis redire. *J. Clericus.*

[r] *Satis constare*] Aliqua corporis aut animi parte constare est, ejus compotem esse, usumque ejus integrum habere, sive ea, (ut in verbo *competere* Nonius explicat,) constanter valere. Nam *competere* animo, auribus, lingua, eandem vim habet, præsertim apud Sallust.

[s] *Fragor.... advertisset* [*avertisset*] Gron. mavult *advertisset*. Sed quod ad unam partem advertit, ab alia avertit: quidni et ab his horrore aversi Romani?

[t] *Lux deinde noctem inquietam*] Alii *inquietem*, parvo discrimine. Gronovio haud placet illud epitheton, quia proxime dictum est, eodem sensu: 'Nec tranquillior nox:' præsertim

quod a novæ semper cladis alicujus spectaculo cesserat. Nihil tamen, tot onerati atque obruti malis, flexerunt animos, quin, etsi omnia flammis ac ruinis æquata[u] vidissent,[17] [x] quamvis inopem parvumque, quem tenebant, collem, libertati relictum, virtute defenderent; et jam, cum eadem quotidie acciderent, velut assueti malis, abalienaverant ab sensu rerum suarum animos; arma tantum ferrumque in dextris, velut solas reliquias spei suæ, intuentes.

43. Galli quoque, per aliquot dies in tecta modo urbis nequicquam bello gesto,[y] cum inter incendia ac ruinas captæ urbis nihil superesse, præter armatos hostes, viderent, nequicquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionem animos, ni vis adhiberetur; experiri ultima, et impetum facere in arcem statuunt. Prima luce, signo dato, multitudo omnis in foro instruitur: inde, clamore sublato ac testudine facta,[18] [z] subeunt. Adversus quos Romani nihil temere nec trepide, ad omnes aditus stationibus firmatis, qua signa ferri videbant, ea robore virorum opposito scandere hostem sinunt: quo successerit[19] magis in arduum, eo pelli posse per proclive facilius rati. Medio fere clivo restitere: atque inde ex loco superiore, qui prope sua sponte in hostem inferebat, impetu facto, strage ac ruina fudere Gallos: ut nunquam postea nec pars, nec universi tentaverint tale pugnæ genus. Omissa itaque spe per vim atque arma subeundi, obsidionem parant: cujus ad id tempus immemores, et, quod in urbe fuerat, frumen-

pert. Al. *inquietem.*—17 Legit Tan. Faber *videbant.*

NOTÆ

cum simile nihil adjungatur nomini *lux:* conjicit, *lux deinde noctem inquieta est insecuta:* quod magis probaverim, quam quod Tan. Faber legendum putat, *nec lux deinde noctem,* scilicet, tranquillior insecuta est.

[u] *Æquata*] Et solo, et inter se æquata; pari nempe omnium ædificiorum fœditate, sive diruta manibus, sive ignibus absumta essent.

[x] *Vidissent*] Mallem, *videbant,* cum Fabro.

[y] *Nequicquam bello gesto*] Frustra ad summam rei: alioqui non omnino frustra, utpote incensis aut dirutis hostium sedibus.

[z] *Testudine facta*] Militaris hujus testudinis usum Gallis familiarem discimus ex Cæsare lib. II.

tum incendiis urbis[20] absumserant, et ex agris per ipsos dies[a] raptum omne Veios[b] erat. Igitur, exercitu diviso, partim per finitimos populos prædari placuit, partim obsideri arcem; ut obsidentibus frumentum populatores agrorum præberent. Proficiscentes Gallos ab Urbe ad Romanam experiendam virtutem fortuna ipsa Ardeam, ubi Camillus exulabat, duxit: qui mœstior ibi fortuna publica, quam sua, cum Diis hominibusque accusandis senesceret, indignando mirandoque ubi illi viri essent, qui secum Veios Faleriosque cepissent, qui alia bella fortius semper, quam felicius, gessissent; repente audit, Gallorum exercitum adventare, atque de eo pavidos Ardeates consultare. Nec secus quam divino spiritu tactus, cum se in mediam concionem intulisset, abstinere suetus ante talibus conciliis:

44. 'Ardeates,' inquit, 'veteres amici, novi etiam cives mei,[c] quando et vestrum beneficium ita tulit, et fortuna hoc egit mea, nemo vestrum conditionis meæ oblitum[d] me huc processisse putet: sed res ac periculum commune cogit, quod quisque possit in re trepida præsidii, in medium conferre. Et quando ego vobis pro tantis vestris in me meritis gratiam referam, si nunc cessavero? aut ubi usus erit mei vobis, si in bello non fuerit? Hac arte in patria steti; et, invictus bello, in pace ab ingratis civibus pulsus sum.

18 Conj. Bauer. *acta*.—19 Idem conj. *successerat*, aut *successisset*.—20 'Forte leg. *ejus*, vel plane delenda est vox.' *Bauer*.—1 Conj. J. F. Gronov. *per eos ipsos dies*.

NOTÆ

[a] *Per ipsos dies*] *Ipsum* pro *eo ipso* dici exemplis confirmare conatur hoc loco Gronov.

[b] *Raptum omne Veios*] A Romanis nempe, qui ex Alliensi pugna eo confugerant.

[c] *Novi etiam cives mei*] Qui capitalis criminis rei agebantur, si ob id solum verterent, non prius censebantur civitatem amisisse, quam recepti essent in eam ad quam exulatum ierant: uti Cicero tradit. Camillus itaque, renuntiata patria, translatoque Ardeam domicilio, ascitus fuerat in civium numerum ab Ardeatibus.

[d] *Conditionis meæ oblitum*] Quod revera exul esset, atque a patria extorris. Et quamvis Ardeatinus civis, non tamen origine, sed Ardeatum beneficio, ac velut precario. Certe privatum ibi egisse testatur Plin.

Vobis autem, Ardeates, fortuna oblata est, et pro tantis pristinis populi Romani beneficiis, quanta ipsi meministis, (nec enim exprobranda apud memores sunt,) gratiæ referendæ, et huic urbi decus ingens belli ex hoste communi pariendi. Quæ effuso agmine adventat, gens est, cui natura corpora animosque magna magis, quam firma, dederit. Eo in certamen omne plus terroris, quam virium, ferunt. Argumento sit clades Romana. Patentem cepere urbem; ex arce Capitolioque his exigua resistitur manu. Jam obsidionis tædio victi abscedunt, vagique per agros palantur. Cibo vinoque raptim hausto repleti, ubi nox appetit,[2] prope rivos aquarum, sine munimento, sine stationibus ac custodiis, passim ferarum ritu sternuntur, nunc ab secundis rebus magis etiam solito incauti.[i] Si vobis in animo est, tueri mœnia vestra, nec pati hæc omnia Galliam fieri,[k] prima vigilia capite arma frequentes: me sequimini ad cædem, non ad pugnam. Nisi vinctos[3] somno, velut[4] pecudes, trucidandos tradidero, non recuso eundem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ habui.'

45. Æquis iniquisque[l] persuasum erat, tantum bello virum neminem usquam ea tempestate esse. Concione dimissa, corpora curant, intenti, quam mox signum daretur. Quo dato, primæ silentio noctis[5] ad portas Camillo[6] præsto fuere. Egressi, haud procul urbe, sicut[7] prædictum erat, castra Gallorum, intuta neglectaque ab omni parte nacti, clamore invadunt. Nusquam prælium, omnibus locis cædes est: nuda corpora et soluta somno[e] trucidantur.

[i] *Nunc incautiores solito propter res prosperas.*
[k] *Totam hanc regionem fieri Gallorum.*
[l] *Amicis et inimicis.*

2 Vulg. *palantur, cibo vinoque raptim hausto repleti. Ubi nox appetit.* 'Punctum posui non post *repleti*, sed post *palantur*, pro quo forte leg. ex uno cod. *populantur*, judice etiam Wakef. ad Lucret. II. 10.' *Rupert.*—3 Al. *victos.*—4 *Veluti* Gronov. Doujat. Crevier.

5 *Noctis silentio* Gronov. Doujat. Crevier.—6 *Ad portas cum Camillo.* Ms. Veith. et Edd. plerique ab Ald. ad Jac. Gronov.—7 *Sicuti* Gronov. Doujat.

NOTÆ

[e] *Soluta somno*] Non a somno libera, sed, contra, somno languentia et resoluta.

Extremos tamen pavor cubilibus suis excitos, quæ aut unde vis esset, ignaros, in fugam, et quosdam in hostem ipsum improvidos tulit.[f] Magna pars in agrum Antiatem delati, incursione ab oppidanis in palatos facta, circumveniuntur. Similis in agro Veienti Tuscorum[g] facta strages est: qui urbis, jam quadringentesimum[h] annum vicinæ, oppressæ ab hoste invisitato[8] inauditoque, adeo nihil miseriti sunt, ut in agrum Romanum eo tempore incursiones facerent, plenique prædæ Veios etiam, præsidiumque[9] et spem ultimam Romani nominis, in animo habuerint oppugnare. Viderant eos milites Romani, vagantes per agros et congregatos agmine, prædam præ se agentes, et castra cernebant haud procul Veiis posita. Inde primum miseratio sui, deinde indignitas, atque ex ea ira animos cepit, 'Etruscisne etiam, a quibus bellum Gallicum in se avertissent, ludibrio esse clades suas?' Vix temperavere animis, quin extemplo impetum facerent: compressique a Cædicio centurione,[i] quem sibimet ipsi præfecerant, rem in noctem sustinuere.[m] Tantum par Camillo defuit auctor: cetera eodem ordine eodemque fortunæ eventu gesta. Quin etiam, ducibus captivis, qui cædi nocturnæ superfuerant, ad aliam manum Tuscorum ad Salinas[k] profecti, nocte in-

[m] *Distulerunt aggressionem usque ad noctem.*

Crevier.—8 *Inusitato* iid.—9 Τὸ *que* delendum esse conj. Bauer.

NOTÆ

[f] *In hostem ipsum improvidos tulit*] Omnia auget in pejus, quoties de Gallis agit. Plutarchus fuisse refert, qui arma caperent, sed superante hostium multitudine, inter pugnandum cæsos. Alios in fuga oppressos ab equitatu.

[g] *Tuscorum*] Eorum, ut videtur, qui Veiis proximi, Faliscorum puta, Tarquiniensium, Volsiniensium. An et Clusinorum? Id certe suadet quod subjicitur, 'a quibus bellum Gallicum in se avertissent.'

[h] *Jam* [*prope*] *quadringentesimum*] Numerus rotundus in majus auctus, pro vero: sed cum temperamento accipiendus: deerant ad summam anni saltem 36.

[i] *A Cædicio centurione*] Idem, ut puto, M. Cædicius fuit, qui tribunis, tanquam divino monitu, denuntiaverat proximum Gallorum adventum, cap. 32.

[k] *Ad Salinas*] Ostienses sunt Salinæ.

sequenti ex improviso majorem cædem edidere, duplicique victoria ovantes Veios redeunt.

46. Romæ interim plerumque obsidio segnis, et utrimque silentium esse, ad id tantum intentis Gallis, ne quis hostium evadere inter stationes posset; cum repente juvenis Romanus admiratione in se cives hostesque convertit. Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiæ.[l] Ad id faciendum C. Fabius Dorso, Gabino cinctu,[10 m] sacra manibus gerens,[n] cum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus, nihil ad vocem cujusquam terroremve motus, in Quirinalem collem pervenit. Ibique omnibus solenniter peractis, eadem revertens similiter

10 'In multis Mss. est vel *Gabino ritu cinctus*, vel *ritu Gabino cinctus;* in

NOTÆ

[l] *Genti Fabiæ*] Sacra apud Romanos alia publica erant, alia privata. Publica dicuntur a Festo, 'quæ publico sumtu pro populo fiunt; quæque pro montibus, pagis, curiis, sacellis.' At privata, 'quæ pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt.' Nam et sua curiæ cuique assignata numina erant jam a temporibus Romuli: et familiæ propria sacra, propriasque ferias habebant. Sed sacra non habebantur quæcumque religionis causa privatim constituta erant, nisi quæ ex instituto Pontificum stato die ac certo loco facienda erant. Hæc autem gentilitia et domestica sacra ne interirent, ea familiis prodi ac significari oportebat; eorumque obligatio ad eos transibat, ad quos cujusque pecunia perveniret, id est, ad successores et bonorum possessores, ut Cic. disputat lib. II. de Legib.

[m] *Gabino cinctu*] Viris cinctus, cingulum mulieribus attribuebatur, auctore Varr. Servius Gabinum cinctum sic explicat, ut sit 'toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat.' Ab eo Persii non abhorret interpres: 'Habitu Gabino,' inquit, 'Dii Penates formabantur, involuti toga, supra humerum sinistrum et sub dextro.' Eo habitu Romani magistratus et sacerdotes utebantur, quoties belli causa operabantur sacris, eodemque habitu milites pugnabant, ex Festo. Hujus moris originem Servius idem hanc fuisse ait, quod cum Gabii, Campaniæ civitas, (non antiquæ illius, quæ Felix dicta, sed recentioris, quæ Latium complexa,) sacris operaretur, bellum subito venit: tum cives, accincti togis suis, ab agris ad bella profecti sunt, et adepti victoriam.

Gabino cinctu] Gabinus cinctus est, ut docet Servius ad Æneid. VII. 612. toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia revocata hominem cingant. Vide init. ad eum Virgilii locum. *J. Clericus.*

[n] *Sacra manibus gerens*] Immo et humeris, teste Plut. in Camillo post Val. Max. lib. I. Sacra hic sunt quæ ad sacrificium necessaria.

constanti vultu graduque, satis sperans propitios esse Deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos rediit, seu attonitis Gallis miraculo audaciæ, seu religione etiam motis, cujus haudquaquam negligens est gens.[11] [o] Veiis interim non animi tantum in dies, sed etiam vires, crescebant; nec Romanis solum eo convenientibus ex agris, qui a[12] prælio adverso [p] aut clade captæ urbis palati fuerant, sed etiam ex Latio voluntariis confluentibus, ut in parte prædæ, essent. Maturum jam videbatur, repeti patriam eripique ex hostium manibus: sed corpori valido caput deerat. Locus ipse admonebat Camilli,[q] et magna pars militum erat, qui ductu auspicioque ejus res prospere gesserant; et Cædicius negare, se commissurum, cur sibi aut Deorum aut hominum quisquam imperium finiret potius, quam ipse memor ordinis sui posceret imperatorem. Consensu omnium placuit, ab Ardea Camillum acciri; [r] sed antea consulto senatu,[s] qui Romæ esset. Adeo regebat omnia pudor, discriminaque rerum prope perditis rebus servabant.[13] Ingenti periculo transeundum per hostium custodias erat. Ad eam rem Pontius Cominius,[14] impiger juvenis, operam pollicitus, incubans cortici, secundo Tiberi ad Urbem defertur. Inde, qua proximum fuit a ripa, per præruptum, eoque neglectum

plurimis τὸ *ritu* desideratur; omnes autem exhibent *cinctus.*' Stroth.—11 Vulg. *negligens est.*—12 *Aut* Edd. ante Drak.—13 Conj. Rupert. *servabantur.*—

NOTÆ

[o] *Cujus haudquaquam negligens est gens*] Mirum hoc Gallis Livium non invidisse, licet omnes omnium temporum auctores testentur.

[p] *A* [*aut*] *prælio adverso*] Gronov. *a prælio adverso.* Sed et sine præpositione idem erit ac 'per adversum prælium.'

[q] *Locus ipse admonebat Camilli*] Utpote Veiorum expugnatoris, et per quem nunc tuti ea in urbe agebant.

[r] *Ab Ardea Camillum acciri*] Neque enim Camillum, qui exul; ne se quidem cives esse Romanos, cum patria in potestate Gallorum esset, censebant.

[s] *Sed antea consulto senatu*] Plutarchus evocatum ab his, qui Veios confugerant, Camillum tradit negasse quicquam negotii administraturum injussu eorum Senatorum qui Capitolium retinerent: penes eos quippe esse rempublicam.

hostium custodiæ, saxum in Capitolium evadit; et, ad magistratus ductus, mandata exercitus edit. Accepto inde senatus decreto, ut et,[15] comitiis curiatis[t] revocatus de exilio, jussu populi Camillus dictator[u] extemplo diceretur, militesque haberent imperatorem, quem vellent,[x] eadem degressus[16] nuntius Veios contendit: missique Ardeam legati ad Camillum, Veios eum perduxere; seu (quod magis credere libet, non prius profectum ab Ardea, quam comperit[17] legem latam; quod nec injussu populi mutari finibus[y] posset, nec, nisi dictator dictus, auspicia in exercitu habere)[z] lex curiata lata est, dictatorque absens dictus.

47. Dum hæc Veiis agebantur, interim arx Romæ Capitoliumque in[18] ingenti periculo fuit.[a] Namque Galli, seu vestigio notato humano, qua nuntius a Veiis pervenerat, seu sua sponte animadverso ad Carmentis saxo[b] ascensu æquo,[19] nocte sublustri, cum primo inermem, qui tentaret

14 Vet. lib. apud Sigon. *Cominus.*—15 '*Et* forte delendum.' *Rupert.*—16 Vulg. *digressus.*—17 Legendum monet Bauer. *compererit.*

18 Præpositionem ignorant quidam codd.—19 *Saxa* et *saxos* et *saxo* Mss. *saxum* Edd. omnes ante Drak. *saxorum* Drak. ex conjectura J. F. Gronov.

NOTÆ

[t] *Comitiis curiatis*] His comitiis dabatur magistratibus militare imperium.

[u] *Camillus dictator*] Absens, nec consularis, quorum prius nunquam antea factum, posterius contra leges: nisi quod salus populi suprema lex esse debet. Is viginti millium Romanorum exercitum contraxit præter socios, ex Zonara.

[x] *Imperatorem, quem vellent*] Non quemcumque ipsi eligere vellent; Camillus enim dictator creatus erat comitiis habitis: sed Camillum, quem ipsi velle se ostenderant.

[y] *Mutari finibus*] Revocari ab exilio, et loci, ubi exulabat, limitibus. Et tamen sponte Ardeam profectus fuerat: et quindecim millibus æris, non exilio damnatus legitur. Sed nimirum satis erat civitatem mutasse.

[z] *Auspicia in exercitu habere*] Ductare exercitum sub auspiciis militaturum.

[a] *In ingenti periculo fuit*] Potest expungi præpositio ex fide optimorum codicum, teste Gronov. variante sensu.

[b] *Ad Carmentis saxo* [*saxum*] Carmenta vel Carmentis mater fuit Evandri fatidica, alio nomine Themis. Ea in imo Saturnii montis, qui post Tarpeius et Capitolinus dictus, habitavit, ubi postea ipsius fanum, testibus Dionys. et Solino. *Carmentis saxum*, imminens portæ Carmentali, eo loco fuisse Sigonius conjicit ex Plut.

viam, præmisissent, tradentes inde arma, ubi quid iniqui esset, alterni innisi, sublevantesque in vicem et trahentes alii alios, prout postularet locus;[n] tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, solicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent. Anseres non fefellere, quibus sacris Junoni[c] in summa inopia cibi tamen abstinebatur. Quæ res saluti fuit. Namque clangore eorum[d] alarumque crepitu excitus M. Manlius, qui triennio ante consul fuerat, vir bello egregius, armis arreptis, simul ad arma ceteros ciens, vadit; et, dum ceteri trepidant, Gallum, qui jam in summo constiterat, umbone ictum deturbat. Cujus casus prolapsi cum proximos sterneret,[o] [20] trepidantes alios, armisque omissis saxa, quibus adhærebant, manibus amplexos, trucidat. Jamque et alii congregati telis missilibusque saxis proturbare hostes, ruinaque tota prolapsa acies in præceps deferri. Sedato deinde tumultu, reliquum noctis (quantum in turbatis mentibus poterat, cum præteritum quoque periculum solicitaret) quieti datum est. Luce orta, vocatis classico[e] ad concilium militibus ad tribunos, cum et recte et perperam facto pretium deberetur; Manlius primum ob virtutem laudatus donatusque,[f] non ab tribunis solum militum, sed

[n] *Qua occurrebat locus aliquis minus æquus, nec satis planus, alternatim et mutuo, modo alter ab altero sustentatus, modo illum erigens atque attollens.*
[o] *Cujus ruentis lapsu cum sequentes præcipitarentur.*

NOTÆ

[c] *Sacris Junoni*] In sacello seu delubro Junonis, quod erat in Capitolio, anseres sacri alebantur.

[d] *Clangore eorum*] Hac de causa non solum anseribus e publico præbebatur cibus, verum etiam aurea anserum simulacra colebant Romani, ex Plin. Et vero Plut. auctore in lib. de Fortuna Roman. Anser in splendida lectica et stragula veste certo die quotannis solenni pompa gestari solitus erat. Contra vero canes supplicia annua pendebant inter ædem Juventutis et Summani, vivi in furca sambucea fixi.

[e] *Classico*] *Classicum* est signum, quo milites tuba buccinave aut cornu officii sui admonentur; vel a calando, id est, vocando, dictum; vel a classibus in quas digestus erat populus. Vetustius enim, inquit Festus, fuit multitudinem hominum, quam navium, classem appellari: et ita classicum, quo classes convocantur.

[f] *Donatusque*] Præmiis militaribus, veluti corona, torque, hasta: idque a tribunis militum.

consensu etiam militari; cui universi selibras farris[g] et quartarios vini[1 h] ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt: Rem dictu parvam: ceterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis, cum, se quisque victu suo fraudans, detractum corpori atque usibus necessariis ad honorem unius viri conferret. Tum vigiles ejus loci, qua fefellerat ascendens hostis, citati: et cum in omnes more militari se animadversurum Q. Sulpicius tribunus militum pronuntiasset; consentiente clamore militum, in unum vigilem conjicientium culpam, deterritus, a ceteris abstinuit: reum haud dubium ejus noxæ, approbantibus cunctis, de saxo dejecit. Inde intentiores utrimque custodiæ esse; et apud Gallos, quia vulgatum erat, inter Veios Romamque nuntios commeare; et apud Romanos, ab nocturni periculi memoria.[2]

48. Sed ante omnia obsidionis bellique mala fames utrimque[3] exercitum urgebat: Gallos pestilentia etiam, cum loco jacente inter tumulos[i] castra habentes, tum ab incendiis torrido et vaporis pleno, cineremque, non pulverem modo, ferente, cum quid venti motum esset. Quorum intolerantissima gens, humorique[4] ac frigori assueta, cum,

Conj. Dukerus *ascensu aliquo.*—20 Vulg. *cum primos sterneret.*—1 Quidam libri habent *sex libras farris, sex quartarios vini.*—2 Al. *ob nocturni periculi memoriam.* Vet. lib. apud Sigon. *nocturni periculi memoria,* sine τῷ *ab.*

3 Tres Mss. *utrumque,* probantibus Duk. Bauero, et Drak.—4 Τὸ *que* vel

NOTÆ

g *Selibras farris*] Non *sex libras,* ut in quibusdam antiquis, sed *selibras,* nam Plutarchus id explicat per ἡμίλιτρον. Unusquisque igitur, suum defraudans genium, dimidiam frumenti libram M. Manlio contulit, id est, sex uncias.

h *Quartarios vini*] Quartarius est quarta pars congii, ex Bud. vel potius sextarii, qui sexta pars congii: unde quartarius esset congii pars 24. Cum igitur congius libras decem, sive uncias 120. capiat; apparet quartarium uncias quinque continere. Sed Plutarchus quartarium interpretatur quartam partem cotyles Græcorum, quæ et hemina: nonnisi unciis novem comparatur in libello de mensuris. Hac ratione quartarius duas tantum uncias haberet, cum unciæ quadrante.

i *Inter tumulos*] Accipi posset de sepulcris mortuorum, tam Romanorum a Gallis interemtorum, quam ipsorum Gallorum pestilentia absumtorum: nisi insepulta jacuisse cadavera, et Noster innueret, et Plutarchus testaretur.

æstu et angore vexata,[5] vulgatis velut in pecua[k] morbis moreretur,[6] jam pigritia singulos sepeliendi promiscue acervatos cumulos hominum urebant; Bustorumque inde Gallicorum[l] nomine insignem locum fecere. Induciæ deinde cum Romanis factæ, et colloquia permissu imperatorum habita: in quibus cum indentidem Galli famem objicerent, eaque necessitate ad deditionem vocarent, dicitur avertendæ ejus opinionis causa multis locis panis de Capitolio[m] jactatus esse in hostium stationes. Sed jam neque dissimulari, neque ferri ultra fames poterat. Itaque, dum dictator delectum per se Ardeæ habet, magistrum equitum L. Valerium a Veiis abducere exercitum jubet, parat instruitque, quibus haud impar adoriatur hostes: interim Capitolinus exercitus, stationibus vigiliisque fessus, superatis tamen[7] humanis omnibus malis, cum famem unam natura vinci non sineret, diem de die prospectans, ecquod auxilium ab dictatore appareret; postremo spe quoque jam, non solum cibo, deficiente, et, cum stationes procederent,[8] [n] prope obruentibus infirmum corpus armis, vel dedi, vel redimi se, quacumque pactione possent, jussit; jactantibus non obscure Gallis, haud magna mercede se adduci posse, ut ob-

redundat, vel positum pro *quippe*.' Bauer. Vid. Not. Var.—5 *Vexati* Edd. a Froben. ad Drak.—6 *Morerentur* Edd. ante Drak.—7 ' Haud me pœnitet sententiæ esse Drakenborchii, qui, cum cod. Voss. sec. pro *tamen* offerat *tantum*, legendum forte suspicatur, *tantum non*, h. e. fere, propemodum, quod egregie quadrat.' *Doering*. Emend. Drakenborch. probat et Rupert. —8 Profert Sigon. ex aliquot vett. libb. *et, cum in stationes procederent*.—

NOTÆ

[k] *Velut in pecua*] Sic ex veteribus codicibus Sigon. Nam *pecua* et *pecuda*, ita ut *pecora*, Veteres dixerunt, Nonio Marcello teste, cap. 2.

[l] *Bustorumque inde Gallicorum*] In 4. Urbis ab Augusto divisæ regione, cui nomen a Via Sacra, fuere hæc Busta Gallica, inter Vicum sceleratum, et locum ubi postea Vespasiani amphitheatrum.

[m] *Panis de Capitolio*] Inde Jupiter pistor, de quo Lactant. post Ovid. VI. Fast. Hoc inventum Manlio Florus ascribit: qui tamen privatus erat. Sed forte tribunis militum, qui in imperio, id strategematis suggessit.

[n] *Cum stationes procederent*] A Rhenano est hæc lectio, ex Borbetomagensi. *Procedere* enim eleganter dicitur pro, continuari, ordine progredi. Ita Cic. Ep. 25. lib. XI. 'Non imitor Λακωνισμὸν tuum. Altera jam pagella procedit.'

sidionem relinquant. Tum senatus habitus, tribunisque militum negotium datum, ut paciscerentur. Inde inter Q. Sulpicium[9] tribunum militum et Brennum regulum Gallorum colloquio transacta res est, et mille pondo auri[o] pretium populi gentibus mox imperaturi factum. Rei, fœdissimæ per se, adjecta indignitas est. Pondera ab Gallis allata iniqua,[p] et, tribuno recusante, additus ab insolente Gallo ponderi gladius; auditaque intoleranda Romanis vox, 'Væ victis[q] esse.'[10]

49. Sed Diique et homines[11] prohibuere redemtos vivere Romanos. Nam forte quadam, prius quam infanda merces perficeretur, per altercationem nondum omni auro appenso, dictator intervenit; auferrique aurum de medio, et Gallos summoveri jubet. Cum illi renitentes pactos dicerent sese, negat eam pactionem ratam esse, quæ, postquam ipse dictator creatus esset, injussu suo ab inferioris juris magistratu facta esset; denuntiatque Gallis, ut se ad prælium ex-

9 Vulg. *inter P. Sulpicium.*—10 'Τὸ *esse* delendum, judice etiam Bauero; et forte ex ultimis literis τοῦ *victis* primisque τοῦ *sed* ortum.' *Rupert.*

11 Vulg. *Sed Diique homines.* Vett. libb. plerique *Sed Dii et homines.*—

NOTÆ

o *Mille pondo auri*] Sunt mille quingentæ auri selibræ, seu marcæ Gallicæ, octava forsan parte minus. Auri autem maxime puri selibræ singulæ, ut plurimi æstimentur, non superant libras Francicas argenteas 424. et sic libra Romana non pluris erit quam 556. nostrarum ejusmodi librarum; quam si millies repetas, exibit summa 5560000 libr. nostratium, quinquagies scilicet centena, quingenta et sexaginta millia. Sed videtur Varro hanc summam duplicasse apud Non. cap. 3. in voce 'torquem:' ait enim: 'Auri pondo duo millia acceperunt ex ædibus sacris, et matronarum ornamentis: a quibus postea id aurum et torques aureæ multæ, relatæ Romam atque consecratæ.' Solvi potest aliquatenus hic nodus ex Plin. lib. XXXIII. cap. 1. 'Cum a Gallis capta urbe pax emeretur, non plus quam mille pondo effici potuere. Nec ignoro duo millia pondo auri perisse Pompeii tertio consulatu, e Capitolini Jovis solio, a Camillo ibi recondita; et ideo a plerisque existimari duo millia pondo collata. Sed quod accessit Gallorum præda fuit, detractumque ab his in captæ urbis delubris.'

p *Pondera iniqua*] Sunt veris sive minora, sive (ut hic) majora, *de faux poids.*

q *Væ victis*] In proverbium abiit hæc superba vox: qua testatur Festus remuneratum postea Brennum a Furio Camillo, cum circumventus insidiis quereretur contra fœdus fieri.

pediant. Suos in acervum conjicere sarcinas, et arma aptare, ferroque, non auro, recuperare patriam jubet, in conspectu habentes fana Deum, et conjuges, et liberos, et solum patriæ deforme belli malis, et omnia, quæ defendi repetique et ulcisci fas sit. Instruit deinde aciem, ut loci natura patiebatur, in semirutæ solo urbis, et natura inæquali; et omnia, quæ arte belli secunda suis eligi præpararive poterant, providit.[12] Galli, nova re trepidi, arma capiunt, iraque magis, quam consilio, in Romanos incurrunt. Jam verterat fortuna; jam Deorum opes humanaque consilia rem Romanam adjuvabant. Igitur primo concursu haud majore momento fusi Galli sunt, quam ad Alliam vicerant. Justiore altero deinde prælio ad octavum lapidem Gabina via,[r] quo se ex fuga contulerant, ejusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur. Ibi cædes omnia obtinuit.[s] Castra capiuntur, et ne nuntius quidem cladis relictus. Dictator, recuperata ex hostibus patria,[t] triumphans in Urbem redit: interque jocos militares,[u] quos inconditos jaciunt, Romulus[x] ac parens patriæ, conditorque alter Urbis, haud vanis laudibus appellatur. Servatam deinde

12 Conj. Bauer. *providet.*

NOTÆ

[r] *Gabina via*] Via hæc a porta Gabina sive Gabiusa (quæ nunc clausa) Gabios perducebat ad XII. milliare. Media initio inter Tiburtinam, quæ a læva, et Prænestinam, quæ a dextra; sed in hanc deducta.

[s] *Cædes omnia obtinuit*] Occidionem fuisse vult, non pugnam, quasi internecione deleti sint hostes. Sed tamen et Plutarch. summa contentione dimicatum asseverat; et paulo post Gallos videbimus in agro Romano lib. VII. cap. 9. et 26. atque alibi.

[t] *Recuperata ex hostibus patria*] Post sex menses, ut habent Varro et Florus: Plut. et alii septem numerant. A XVI. Kal. Sext. quo Romam Galli intraverunt, ad Idus Febr. quo pulsi victive sunt a Camillo.

[u] *Interque jocos militares*] Milites, qui triumphantis currum sequebantur, omnes laureati, inter carmina triumphalia jocos etiam, atque adeo scommata in triumphantem miscebant, quibus vitia ejus notarentur. Indicat Noster lib. III. cap. 29. Vid. Suet. in Cæs. Idque, opinor, ne tanto honore elatus nimium superbiret. Eadem de causa servus quoque eodem curru vectus, aureamque coronam pone sustinens, summonebat, ut hominem se esse meminisset. Ac præterea currui appendebatur, teste Zonara, tintinnabulum cum flagro, signa capitalis judicii, et servitutis in quæ incidere posset.

[x] *Romulus*] Hoc illi cognomen invidiam conflavit teste Plutarcho.

bello patriam iterum in pace haud dubie servavit, cum prohibuit migrari Veios, et tribunis rem intentius agentibus post incensam urbem, et per se inclinata magis plebe ad id consilium. Eaque causa fuit non abdicandæ post triumphum dictaturæ,[y] senatu obsecrante, ne rem publicam in incerto relinqueret statu.

50. Omnium primum, ut erat diligentissimus religionum cultor, quæ ad Deos immortales pertinebant, retulit; et senatus consultum facit,[13 z] 'Fana omnia, quod ea hostis possedisset,[14 a] restituerentur, terminarentur,[b] expiarenturque,[15] expiatioque eorum in libris per duumviros[c] quæreretur: cum[16] Cæretibus[d] hospitium publice[17] fieret, quod

13 Vet. lib. apud Sigon. *retulit, Senatusconsultum fit.*—14 *Hostes possedissent* Gronov. Doujat. Crevier.—15 Vid. inf. et Not. Var.—16 *Quæreretur, cum, &c.* Gronov. Doujat. Crevier. cum Drak.—17 *Publice hospitium* Gronov.

NOTÆ

[y] *Non abdicandæ post triumphum dictaturæ*] Ut a ceteris factum, etiam aliquando intra 16. dies, velut a L. Quintio Cincinnato lib. III. cap. 29. At Camillus in annum contra legem prorogavit dictatorium imperium, ex Plut. et Liv. lib. seq. cap. 1. sed volente ac rogante Senatu.

[z] *Senatus consultum facit*] Magistratus Senatusconsultum facere dicitur, cum fieri curat, quemadmodum observat Gronov. ut apud Cic. IX. ad Att. 'Primas ejus actiones horreo. Volet enim Senatusconsultum facere.'

[a] *Quod ea hostis possedisset* [*hostes possedissent*] Quid imposterum incommodi ex hac semestri possessione, postquam recesserant hostes? Nonne omnia jam in pristinum statum, aut certe in suam causam redierant? Destructa quidem refici ac restaurari, profanata expiari oportebat, etiamsi possessa ab hostibus non fuissent: at eo solo quod fuissent in hostium potestate, parum videtur causæ fuisse cur restitui deberent aut expiari: nisi forte Romani, captarum a se urbium Deos evocare soliti, ut supra cap. 21. et mox cap. 52. simile quid a Gallis tentatum suspicati, eos aliquo cærimoniarum genere retinendos censuere.

[b] *Terminarentur*] Omisit Gruterus, sive consulto, sive operarum errore: ante illum omnes habent: et recte Gronovii judicio: templa quippe non modo augurii auspiciive causa designata, sed et quæ perpetuæ religionis gratia ædificabantur, conceptis verbis finiri ac terminari mos erat. Hinc et fines 'templares' apud Agrimensores antiquos. Cum itaque incendiis omnia confusa essent, investigandi templorum termini, aut certis saltem terminis ea restituenda fuere.

[c] *In libris per duumviros*] Sibyllini aliive fatidici libri intelliguntur, quorum inspectio in religionis rebus dubiis penes duumviros sacris faciundis erat. Initio enim duo tantum ejus generis sacerdotes a Tarquinio instituti. Postea numerus crevit. Vide lib. III. cap. 10. et hujus libri cap. 13.

[d] *Cum Cæretibus*] De hoc Cæreta-

sacra populi Romani ac sacerdotes recepissent, beneficioque ejus populi non intermissus honos Deum immortalium esset: ludi Capitolini[e] fierent, quod Jupiter optimus maximus suam sedem atque arcem populi Romani in re trepida tutatus esset: collegiumque ad eam rem[f] M. Furius dictator constitueret ex iis, qui in Capitolio atque arce habitarent.' Expiandæ etiam vocis nocturnæ, quæ nuntia cladis ante bellum Gallicum audita neglectaque esset, mentio illata, jussumque templum in Nova via[g] Aio Locutio[h] fieri. Aurum, quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis templis inter trepidationem in Jovis cellam[i] collatum, cum, in quæ referri oporteret, confusa memoria esset, sacrum omne judicatum, et sub Jovis sella† poni jussum. Jam ante in eo religio civitatis apparuerat, quod, cum in

NOTÆ

norum facto sup. cap. 40. in f. Adde quod est apud Gell. lib. I. cap. 13. 'Primos municipes sine suffragii jure esse factos, concessumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent; sed negotiis tamen atque muneribus vacarent; idque pro sacris bello Gallico receptis, custoditisque.'

[e] *Ludi Capitolini*] Hos ludos Jovi Capitolino sacros Circenses fuisse colligas ex Liv. lib. VII. cap. 2. Fuere et antiquiores alii, Tarpeii et Capitolini dicti, ex instituto Romuli in honorem Jovis Feretrii, ut Piso tradidit apud Tertullianum. Atque ad hos pertinet quod refert in quæstionibus Romanis Plut. Ludis Capitolinis voce præconis Sardianos venales proclamari solitos, et post aliquot prætextatos senem quendam produci, qui puerilem bullam collo appensam gereret; quo quidem ritu in Veientes a Lydis Sardibusque ortos ludibrium continebatur, ut ipse explicat, et Festus a Scaligero correctus. Ab utrisque his ludis diversi fuere Agones Capitolini a Domitiano instituti, in quibus omnis generis artifices certabant.

[f] *Collegiumque ad eam rem*] Pleraque collegia, sive sodalium corpora, a Numa ad tollendas partium discordias instituta, artificum fere fuerunt, Plut. auctore. In honorem Deorum duo præterea collegia legimus; hoc Capitolinorum ludorum Jovi curandorum celebrandorumve causa conditum; et Mercurialium, quod mercatorum proprium.

[g] *In Nova via*] Foro Romano juncta erat 'via Nova' ex Palatii parte, et in Velabrum desinebat.

[h] *Aio Locutio*] Fuit ædes Aii Locutii in regione 8. ex descriptione Augusti, cui nomen a foro Romano, supra templum Vestæ, nunc, ut volunt, *S. Maria Liberatrice.*

[i] *In Jovis cellam*] In templo Jovis Capitolini erat cella, quam ingredi profanis nefas; in eo servabantur sacri thesauri.

† *Sub Jovis sella* [*cella*] Sic scribendum, non *sella*, ut erat in editionibus Gronovianis in 8. et in 12. annorum 1678. et 1679. Intelligitur sacellum Jovis. De *cellis* vide quæ congessit Henr. Dodwellus ad Diarium rerum urbanarum. *J. Clericus.*

publico deesset aurum, ex quo summa pactæ mercedis Gallis confieret, a matronis collatum acceperant; ut sacro auro abstineretur. Matronis gratiæ actæ, honosque additus, ut earum, sicut virorum, post mortem solennis laudatio esset. Iis[18] peractis, quæ ad Deos pertinebant, quæque per senatum agi poterant; tum demum, agitantibus tribunis plebem assiduis concionibus, ut, relictis ruinis, in urbem paratam Veios transmigrarent, in concionem, universo senatu prosequente, escendit,[19] atque ita verba fecit:

51. 'Adeo mihi acerbæ sunt, Quirites, contentiones cum tribunis plebis, ut nec tristissimi exilii solatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quam quod procul ab his certaminibus eram: et ob eadem hæc, non,[20] si me senatus consulto populique jussu revocaretis, rediturus unquam fuerim. Nec nunc me, ut redirem, mea voluntas mutata, sed vestra fortuna perpulit. Quippe, ut in sua sede maneret patria, id agebatur; non ut ego utique in patria essem. Et nunc quiescerem ac tacerem libenter, nisi hæc quoque pro patria dimicatio esset; cui deesse, quoad vita suppetat, aliis turpe, Camillo etiam nefas est. Quid enim repetiimus? quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si recuperatam ipsi deserimus? et cum, victoribus Gallis, capta tota urbe, Capitolium tamen atque arcem Diique et homines Romani tenuerint, habitaverint; victoribus Romanis, recuperata urbe, arx quoque et Capitolium deseretur?[1] et plus vastitatis huic urbi secunda nostra fortuna faciet, quam adversa fecit? Equidem, si nobis cum urbe simul positæ traditæque per manus religiones nullæ essent, tamen tam evidens numen hac tempestate rebus affuit Romanis, ut omnem negligentiam divini cultus exemtam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res, vel adversas: invenietis omnia prospere evenisse sequentibus Deos, adversa spernentibus. Jam

Doujat. Crevier.—18 'Aut del. *Iis*, aut leg. *Ita*.' Bauer.—19 *Ascendit* Gronov. Doujat. Crevier.

20 'Recte omnes Mss. et edd. antt. ante Froben. In hac et cett. ad Crev. perperam legitur *nisi*.' Rupert.—1 *Deseritur* Gronov. Doujat. Crevier.

omnium primum Veiens bellum (per quot annos, quanto labore gestum!) non ante cepit finem, quam monitu Deorum aqua ex lacu Albano[k] emissa est. Quid hæc tandem urbis nostræ clades nova? num ante exorta est, quam spreta vox cœlo emissa[2][l] de adventu Gallorum? quam gentium jus ab legatis nostris violatum? quam a nobis, cum vindicari deberet, eadem negligentia Deorum[m] prætermissum? Igitur victi captique ac redemti[3][n] tantum pœnarum Diis hominibusque dedimus, ut terrarum orbi documento essemus. Adversæ deinde res admonuerunt religionum. Confugimus in Capitolium ad Deos, ad sedem Jovis optimi maximi; sacra in ruina rerum nostrarum alia terræ[4] celavimus,[o] alia, avecta in finitimas urbes, amovimus ab hostium oculis. Deorum cultum, deserti ab Diis hominibusque, tamen non intermisimus. Reddidere igitur patriam, et victoriam, et antiquum belli decus amissum: et in hostes, qui cæci avaritia in pondere auri fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem fugamque et cædem.

—2 Malit J. F. Gronov. *cœlo missa:* improb. Drak.—3 Conj. Doujat. *relicti.* —4 'Forte cum Gron. leg. *terra;* et mox pro *fefellerunt* cum Bauero *fefellerant.*' Rupert. 'Melius utique diceretur *terra* vel *in terra:* sed duo exempla affert Drak. in quibus verba 'condere' et 'recondere' similiter construuntur. Lucan. lib. I. 606. 'Arans dispersos fulminis ignes Colligit, et terræ mœsto cum murmure condit.' Florus lib. I. cap. 13. 'Quicquid religiosissimi in templis erat, partim in doliis defossa terræ recondunt, partim imposita plaustris secum auferunt.' Videor mihi tamen nescio quid ingratum in hujusmodi Latinitate sentire. In Ms. Veith. est: *alia certe celavimus, alia adfecta in finitimas terras amovimus.*' Stroth. 'Excidit fortasse post *terræ* verbum quoddam, e. g. *credita* vel *commissa,* vel simile quid.' *Doering.*

NOTÆ

[k] *Aqua ex lacu Albano*] Vide supra cap. 15. et seqq. et Plut. in Camillo.

[l] *Vox cœlo emissa*] Mavult Gronov. *cœlo missa,* tum, quia proxime *emissa:* tum, quia sic, inquit, passim Veteres: sed vix tanti est.

[m] *Eadem negligentia Deorum*] Diis scilicet æque neglectis; jus enim belli ac fœderum penes feciales sacerdotes constitutum a Numa, pars divini juris.

[n] *Victi captique ac redemti*] Quando vero *redemti?* An cum mille pondo auri pacti sunt Gallis abeuntibus daturos? At persolutum non est illud aurum. An *redemti* armis? Sed hoc posterius fuit iis quæ mox dicuntur. An *redemti* ab exitio per hæc mala? Quid si legamus *relicti,* a Diis nempe?

[o] *Terræ celavimus*] Terentius dixit, præter morem, 'Si hoc celetur patri.' Sed *celare terræ,* pro eo quod est terræ mandare, terra tegere, occultare, abscondere, Patavinitas forte quædam sit. Malim, *terra,* cum Gronovio.

52. ‘ Hæc culti neglectique numinis tanta monumenta in rebus humanis cernentes, ecquid sentitis, Quirites, quantum vixdum e naufragiis[5] prioris culpæ cladisque emergentes paremus nefas? Urbem auspicato inauguratoque conditam habemus; nullus locus in ea non religionum Deorumque est plenus: sacrificiis solennibus non dies magis stati, quam loca sunt, in quibus fiant. Hos omnes Deos, publicos privatosque, Quirites, deserturi estis? Quam par vestrum[6] factum est, quod[p] in obsidione nuper in egregio adolescente C. Fabio, non minore hostium admiratione, quam vestra, conspectum est, cum inter Gallica tela degressus ex arce solenne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit![p] An gentilicia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra et Romanos Deos etiam in pace deseri placet? et pontifices flaminesque negligentiores publicarum religionum esse, quam privatus in solenni gentis fuerit? Forsitan aliquis dicat, aut Veiis ea nos facturos, aut huc inde missuros sacerdotes nostros, qui faciant: quorum neutrum fieri salvis cærimoniis potest. Et, ne omnia generatim sacra omnesque percenseam Deos, in Jovis epulo[q] num alibi, quam in Capitolio, pulvinar suscipi potest? Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod imperii pignus[r] custodia ejus templi tenetur, loquar? quid de ancilibus vestris, Mars Gradive, tuque, Quirine pater?[s] hæc omnia

[p] *Anniversarium familiæ suæ sacrificium.*

5 *Ex naufragiis* Gronov. Donjat. Crevier.—6 Scribendum monet J. F.

NOTÆ

[p] *Quam par vestrum factum est, quod*] Vel intersere *ei* seu *illi*, ante, *quod*; vel scribe, *vestro*, monente Gron. ex lib. XXVIII. ‘ Quam compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa.’

[q] *In Jovis epulo*] Cum placandi Jovis causa convivium ei per triumviros, vel postea per septemviros epulonum, in Capitolio exhibebatur, solebat ipse in lectulum, Juno et Minerva (quæ intra idem templum colebantur) in sellas ad cœnam invitari: et sacris ejusmodi epulis adhibebantur pulvinaria, uti jam ante observatum.

[r] *Signoque, quod imperii pignus*] Palladium innuit, quod a Vestalibus servari quidam credebant, ab Ænea in Italiam delatum, inde Alba aut Lavinio translatum Romam.

[s] *Tuque, Quirine pater*] Ancilia fe-

in profano deseri placet sacra, æqualia urbi,[q] quædam vetustiora[t] origine urbis? Et videte,[7] quid inter nos ac majores intersit. Illi sacra quædam in monte Albano[u] Lavinioque[8][x] nobis facienda tradiderunt. An ex hostium[9] urbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit;[y] hinc sine piaculo[z] in hostium urbem Veios transferemus? Recordamini, agitedum, quoties sacra instaurentur, quia aliquid ex patrio ritu negligentia casuve prætermissum est. Modo quæ res, post prodigium Albani lacus, nisi instauratio sacrorum auspiciorumque renovatio, affectæ Veienti bello rei publicæ remedio fuit? At etiam, tanquam veterum religionum memores,[10] et peregrinos Deos transtulimus Romam, et instituimus novos. Juno Regina, transvecta a Veiis, nuper in Aventino quam insigni ob excellens matronarum studium celebrique dedicata est die! Aio Locutio templum, propter cœlestem vocem exauditam in Nova via, jussimus fieri: Capitolinos ludos solennibus aliis addidimus; collegiumque ad id novum, auctore senatu, condidi-

[q] *Æque antiqua atque urbs.*

Gronov. *vestro.* Vid. Not. inf.—7 *At videte* conj. Bauer.—8 'Videtur Livius scripsisse, *in monte Albano Laviniique.* Voss. prior, Andreas, et priscæ edd. *Lavinoque.*' J. F. Gronov.—9 Scribit J. F. Gronov. *Quæ ex hostium.*—10 'Quidam Mss. *immemores,* aptius forte, etsi respuit Drak.' *Rupert.*

NOTÆ

rebant per Urbem Salii Marti Gradivo sacri: lib. I. cap. 20. Sed quid hoc ad Romulum seu Quirinum, ut ad eum arma cœlestia referantur, quorum usus a Numa? Num quia Romulus bellicosus, et Marte genitus?

[t] *Quædam vetustiora*] Vestæ sacerdotes et sacra Albæ recepta ante Romam conditam: quin et ab Ænea, ut quidam volebant, in Latium invecta.

[u] *In monte Albano*] Quo feriarum Latinarum causa proficiscebantur quotannis Romani magistratus. Vid. sup. c. 37.

[x] *Lavinioque*] Alii, *Lavinoque,* scilicet monte vel colle; alioqui dicendum esset *Laviniique,* id est, apud Lavinium oppidum. Colebantur antiquo ritu Dii Penates Æneæ, atque urbis Romæ, quos Ascanius Albam traducere frustra tentaverat.

[y] *Religiosum fuit*] Religioni conveniens: alias superstitiosum.

[z] *Hinc sine piaculo*] Oratio hic hiare Gronovio videtur. Verum si ab initio periodi huc transferatur interrogativa particula, *an,* et subintelligatur e proximo vox *sacra,* aut ejus loco pronomen, nihil hiabit. *An hinc ea* (sacra scilicet) *in hostium urbem Veios transferemus?*

mus. Quid horum opus fuit suscipi, si una cum Gallis urbem Romanam relicturi fuimus? si non voluntate mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis? si ab hostibus metu retenti sumus? De sacris loquimur et de templis: quid tandem de sacerdotibus? Nonne in mentem venit, quantum piaculi committatur? Vestalibus nempe una illa sedes est, ex qua eas nihil unquam, præterquam urbs capta, movit. Flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas est. Hos Veientes pro Romanis facturi estis sacerdotes, et Vestales tuæ te deserent, Vesta? et flamen peregre habitando in singulas noctes tantum sibi reique publicæ piaculi contrahet? Quid alia, quæ auspicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni, aut cui negligentiæ damus? Comitia curiata,† quæ rem militarem continent;[a] comitia centuriata, quibus consules tribunosque militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi assolent,[b] fieri possunt? Veiosne hæc transferemus? an comitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab Diis hominibusque urbem conveniet?

53. 'Sed res ipsa cogit, vastam incendiis ruinisque relinquere urbem, et ad integra omnia Veios migrare, nec hic ædificando inopem plebem vexare. Hanc autem jactari magis causam, quam veram esse, ut ego non dicam, apparere vobis, Quirites, puto; qui meministis, ante Gallorum adventum, salvis tectis publicis privatisque, stante incolumi urbe, hanc eandem rem actam esse, ut Veios transmigraremus. Et videte, quantum inter meam sententiam vestramque intersit, tribuni. Vos, etiamsi tunc faciendum[11] non fuerit, nunc utique faciendum putatis: ego con-

11 *Tum faciendum* pro *tunc faciendum*, et paulo post *tum migrandum* pro

NOTÆ

† *Comitia curiata, &c.*] De usu horum comitiorum consulenda Caroli Sigonii et Nic. Gruchii contraria scripta, quæ inserta Tom. I. Ant. Romanarum. *J. Clericus.*

[a] *Quæ rem militarem continent*] Quamvis comitiis centuriatis crearentur magistratus, curiatis tamen committebatur militare imperium.

[b] *Nisi ubi assolent*] Curiata intra pomœrium, in foro: centuriata in Campo Martio.

tra, (nec id mirati sitis prius, quam, quale sit, audieritis,) etiamsi tunc migrandum fuisset, incolumi tota urbe, nunc has ruinas relinquendas non censerem. Quippe tum causa nobis in urbem captam migrandi victoria esset, gloriosa nobis ac posteris nostris; nunc hæc migratio nobis misera ac turpis, Gallis gloriosa est. Non enim reliquisse victores, sed amisisse victi, patriam videbimur: hoc ad Alliam fuga, hoc capta urbs, hoc circumsessum Capitolium necessitatis imposuisse, ut desereremus penates nostros, exiliumque ac fugam nobis ex eo loco consciseremus, quem tueri non possemus. Et Galli evertere potuerunt Romam, quam Romani restituere non videbuntur potuisse? Quid restat, nisi ut, si[12] jam novis copiis veniant,[c] (constat enim vix credibilem multitudinem esse,) et habitare in capta ab se, deserta a vobis, hac urbe velint, sinatis?[d] Quid? si non Galli hoc, sed veteres hostes vestri, Æqui Volscive, faciant, ut[13] commigrent Romam, velitisne illos Romanos, vos Veientes esse? an malitis[14] hanc solitudinem vestram, quam urbem hostium, esse?[r] non equidem video, quid magis nefas sit. Hæc scelera, quia piget ædificare,[15] hæc dedecora pati parati estis? Si tota urbe nullum melius ampliusve tectum fieri possit, quam casa illa conditoris est nostri, non in casis, ritu pastorum agrestiumque, habitare est satius inter sacra penatesque vestros, quam exulatum publice ire? Majores nostri, convenæ pastoresque, cum

[r] *An velitis, ut Æqui et Volsci, urbe occupata, Romanorum nomine dicantur, vos autem Veientium? An potius eligetis ut locus hic desertus vacet, et in vestra ditione solitudo tantum sit, quam ut, vel ab hostibus occupatus, urbis nomen retineat?*

tunc migrandum, in initio vero sequentis periodi *Quippe tunc* pro *Quippe tum* scribendum esse, facile apparet. Et vere plures codd. apud Drak. *tum migrandum* pro *tunc migrandum* et *Quippe tunc* pro *Quippe tum* offerunt.' *Doering*.—12 *Si* del. Gronov. Doujat. Crevier.—13 *Uti* iid.—14 Al. *non malitis*. Ms. Veith. *non equidem malitis*.—15 'In edd. plerisque ab Ald. ad

NOTÆ

[c] *Jam novis copiis veniant*] Galli nimirum: non ergo deleti omnes prælio in via Gabina commisso.

[d] *Sinatis*] Vellem adjici *vos*, ut constet magis sententia, *Galli.... velint*, et *vos sinatis*.

in his locis nihil, præter sylvas paludesque, esset, novam urbem tam brevi ædificarunt;[16] nos, Capitolio, arce incolumi, stantibus templis Deorum, ædificare incensa[17] piget? et, quod singuli facturi fuimus, si ædes nostræ deflagrassent, hoc in publico incendio universi recusamus facere?

54. 'Quid tandem? si fraude, si casu Veiis incendium ortum sit, ventoque (ut fieri potest) diffusa flamma magnam partem urbis absumat; Fidenas inde, aut Gabios, aliamve quam urbem quæsituri sumus, quo transmigremus? Adeo nihil tenet solum patriæ, nec hæc terra, quam matrem appellamus; sed in superficie tignisque caritas nobis patriæ pendet?[s] Equidem, fatebor[18] vobis, etsi minus injuriæ vestræ, quam meæ calamitatis,[e] meminisse juvat, cum abessem, quotiescumque patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant, colles, campique, et Tiberis, et assueta oculis regio, et hoc cœlum, sub quo natus educatusque essem. Quæ vos, Quirites, nunc moveant potius caritate sua, ut maneatis in sede vestra, quam postea, cum reliqueritis ea, macerent desiderio. Non sine causa Dii hominesque hunc urbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur; mare vicinum[19] ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regio-

[s] *Itane solum natale, et hæc tellus quam vocamus parentem nostram, nos nullatenus tangit; sed patriæ apud nos amor quasi affixus hæret areæ ac trabibus, quibus ædificia constant?*

Drak. et in Ms. Veith. *reædificare*, rectius forsan.' *Rupert.*—16 *Ædificaverunt* Gronov. Doujat. Crevier.—17 *Incensam* Edd. ante Drak.

18 Vulg. *Et quidem fat.*—19 'Forte leg. *mari vicinum*, ut omnia ad *locum*

NOTÆ

[e] *Injuriæ vestræ, quam meæ calamitatis*] Contendit Gronov. flagitare sensum, *etsi minus tam injuriæ vestræ quam meæ calamitatis meminisse juvat:* quod hæc duo revera non differant, et utrumque ex animo delere debuerit Camillus. At Camillus ipse fatetur se neutrius oblivisci posse, sed levius ferre, aut minus meminisse velle alienæ injuriæ, quam proprii exilii.

num Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unice locum. Argumento est ipsa magnitudo tam novæ urbis. Trecentesimus sexagesimus quintus annus Urbis, Quirites, agitur: inter tot veterrimos populos tamdiu bella geritis; cum interea, ne singulas loquar urbes, non conjuncti cum Æquis Volsci, tot tam valida oppida, non universa Etruria, tantum terra marique pollens, atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ,[f] bello vobis par est. Quod cum ita sit, quæ, malum! ratio est, expertis[20] alia experiri,[g] cum jam, ut virtus vestra transire alio possit, fortuna certe loci hujus transferri non possit?[1] Hic Capitolium est, ubi quondam capite humano[h] invento responsum est, eo loco caput rerum summamque imperii fore. Hic, cum augurato liberaretur Capitolium, Juventas Terminusque maximo gaudio patrum nostrorum moveri se non passi. Hic Vestæ ignes,[i] hic ancilia cœlo demissa, hic omnes propitii manentibus vobis Dii.'

referantur.' *Bauer.* Probat Rupert.—20 Conj. J. F. Gronov. e Mss. idemque et Bauer. *expertos.* Minorem distinctionem post *est* sustulit Doering. Vid. Not. Var.—1 Vet. lib. apud Sigon. *transferri hinc non possit.*

NOTÆ

[f] *Inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ*] Ita se res habuit, antequam Etrusci ab Hadriatici maris ora pellerentur a Gallis. Post Tarquiniorum tempora Apennino terminabatur illorum ditio.

[g] *Ratio est, expertis alia experiri*] Nullum hic, opinor, ulcus; nec in sententia multum laborandum. Vult enim dictator Romanis suadere, ut rebus locisque expertis inhæreant, nec novas sedes quærere, atque experiri velint, quas minus utiles ostendit. Igitur *expertis alia*, id est, diversa ab iis, quæ tamdiu experti sint, experienda non esse. Phrasis est Græca, *alius illi*, pro, *alius ab illo.*

Quæ ratio est expertis aliis alia experiri, &c.] Suppleverim hæc, ita ut velit Camillus, nullam esse rationem cur Romanum solum expertis, in quo tot erant commoditates, alia experiri aut tentare placeret. *J. Clericus.*

[h] *Capite humano*] Capitolium a Capite Toli. V. lib. 1. cap. 55. Ubi de Juventæ quoque ac Termini contumacia.

[i] *Vestæ ignes*] Æternus et inextinctus ignis custodiri debebat, verberandis eo extincto Vestalibus. Ab illis tamen novus quotannis excitabatur. Ovid. Fast. 'Adde quod arcana fieri novus ignis in æde Dicitur, et vires flamma recepta capit.' Ignem, quemadmodum Romani, ita servabant et colebant Ægyptii, Persæ, Athenienses, aliique Græcorum.

55. Movisse eos Camillus cum[2] alia oratione, tum ea, quæ ad religiones pertinebat, maxime dicitur. Sed rem dubiam decrevit vox opportuna emissa: quod, cum senatus post paulo de his rebus in curia Hostilia haberetur, cohortesque, ex præsidiis[3] revertentes, forte agmine forum transirent, centurio in comitio exclamavit: 'Signifer, statue signum! hic manebimus optime!' Qua voce audita, et senatus, 'accipere se omen,'[k] ex curia egressus, conclamavit, et plebs circumfusa approbavit. Antiquata deinde lege, promiscue Urbs ædificari cœpta. Tegula publice præbita est: saxi materiæque cædendæ, unde quisque vellet, jus factum; prædibus acceptis, eo anno ædificia perfecturos. Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum, omisso sui alienique discrimine, in vacuo ædificant. Ea est causa, ut veteres cloacæ, primo per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta, formaque Urbis sit occupatæ magis, quam divisæ, similis.

2 *Tum* Edd. ante Ald. Grut. Gronov. Doujat. Crevier. et Ms. Veith.— 3 Quatuor Mss. *ex præsidio.*

NOTÆ

[k] *Accipere se omen*] Eam vocem, *statue signum, &c.* auditam a Lucretio, qui primus sententiam rogabatur, in omen versam narrat Plut.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER VI.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Res ante incensam Urbem gestæ a Romanis obscuræ; clariores deinceps certioresque. Q. Fabius, qui legatus adversus Gallos pugnaverat, accusatur et opportune moritur. Interregnum et comitia. Fœdera ac leges conquiruntur. Dies religiosi, xv. Kal. Sext. (clade ad Cremeram Alliamque insignis,) postridie Idus, Kalendas, ac Nonas. 2. Bella cum Volscis, Etruscis, Latinis, Hernicis, Æquisque gerenda. Camillus, dictator III. dictus, Volscos ac deinde Æquos vincit, 3. et Sutrium, Tuscis traditum, sociis reddit, victoribus oppressis. 4. Tum triumphat. Nova urbs stat intra annum, crescitque frequentia civium. Oppida Etruscorum Cortuosa et Contenebra vi capta. Capitolium saxo quadrato substructum. 5. Leges agrariæ, et Pomtinus ager in spem ostentatus. Auspiciorum renovatio et interregnum. Numerum xxv. tribunum explent quatuor ex novis civibus additæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis. 6. Antiates et Latini in armis sunt. Camillo collegæ v. regimen omnium rerum permittunt. 7. Is cum P. Valerio ad Satricum proficiscitur, et milites, ob multitudinem hostium trepidos, castigat. 8. Vincit Volscos, et Satricum scalis capit. 9. Tum recipit Sutrium, 10. et Nepete, oppida socia, ab Etruscis capta. Ab Latinis Hernicisque, qui adjuverant Volscos, nec militem Romanis dederant, res repetitæ.

11. M. Manlius Capitolinus, homo superbus, et Camillo invidens, primus ex Patribus fit popularis et patronus nexorum. Hinc potissimum dictator creatur A. Cornelius Cossus, etsi in speciem causæ Volscum bellum jactatur. 12. 13. Dictator vincit Volscos sociosque eorum. 14. Tum accitur Romam, ubi Manlius debitores a crudelitate fœneratorum tuetur, fundum in Veienti subjicit præconi, et thesauros Gallici auri a Patribus occultari jacit. 15. Manlius, jussu dictatoris vocatus, agmine ingenti venit ad tri-

bunal ejus, et causam dicit. 16. In carcerem ducitur; et magna plebis pars vestem mutat. Jam haud procul seditione res est; cujus leniendæ causa senatus Satricum coloniam deduci jubet. 17. Ea gliscente ex SCto Manlius vinculis liberatur. 18. Tum ille, plenior aliquanto animi iræque, seditiosis concionibus jam per se accensam plebem incitat, et cum principibus interdiu noctuque agitat consilia rerum novandarum. 19. Senatus decernit, ut videant magistratus, ne quid resp. detrimenti capiat: et ipsi quoque tribuni plebis, quia eundem et suæ potestatis, quem libertatis omnium, finem cernunt, Patrum auctoritati se dedunt. Ex his duo, M. Mænius et Q. Publilius, Manlio diem dicere statuunt. 20. Quo facto commovetur plebs, utique postquam solum reum, et ne fratres quidem proximosque sordidatos vident: et damnandi mora iis non in causa est, sed in loco, ex quo Capitolium a Manlio servatum conspici potest. Quo mutato condemnatur et de saxo Tarpeio dejicitur. Lex simul fertur, ne quis patricius in arce habitet, et gentis Manliæ decreto cavetur, ne quis deinde M. Manlius vocetur.

21. Pestilentia, fames, et multiplex bellum. Novi hostes Lanuvini et Prænestini. Quinqueviri Pomtino agro dividendo, et triumviri coloniæ Nepete deducendæ creati. 22. Veliterni victi, et bellum Prænestinis indictum. Volscum bellum M. Furio Camillo, exactæ jam ætatis, sed vegeti adhuc ingenii animique viro, extra ordinem decretum, et adjutor ex tribunis mil. c. p. sorte L. Furius datus. 23. Ardor pugnandi idem est Volscis et L. Furio, cui collega cedit. 24. Acies Rom. jam inclinata restituitur a Camillo, et hostes funduntur. 25. Quia inter captivos Tusculani aliquot noscitantur, bellum his sociis indicitur, mandaturque Camillo, qui contra spem omnium adjutorem optat eundem L. Furium. Tusculani vim. Rom. arcent pace constanti. 26. Eam et a senatu Rom. impetrant, et mox civitatem.

27. Censores creantur, ut censu instituto summa æris alieni et facultates civium cognoscantur. Sed unus eorum moritur, et alii, vitio creati, non gerunt magistratum: tertios vero suffici, religio est. Eam esse ludificationem plebis tribuni dicunt, et ad Prænestini famam belli edictum impediunt delectum: neque aliud ad seditionem extinguendam, quam prope illatum Urbi bellum, valet. 28. Dictator dicitur T. Quintius Cincinnatus, et confestim hostes a mœnibus recedunt. 29. Prænestini ad Alliam vincuntur, capiunturque eorum IX. oppida. Dictator triumphat, signumque Jovis Imperatoris, Præneste devectum, in Capitolium fert. 30. Tres tribuni mil. c. p. ex Patribus et totidem ex plebe creantur. Volsci provincia sine sorte et comparatione, extra ordinem, datur P. et C. Manliis: resque ibi, temeritate et inscitia ducum proditæ, militum virtute restituuntur. 31. Æs alienum materia et causa seditionis. Agri Volscorum vastantur. 32. Novum fœnus contrahitur tributo in murum saxo quadrato faciendum, et optatur frustra, ut jus de pecunia credita dicatur. Latini Volscique funduntur ad Satricum et Antium. 33. Antiates societatem cum Latinis dissolvunt, et Romanis dedunt urbem agrosque. Latini Satricum concremant igni, et Tusculum capiunt præter arcem: sed mox a Romanis cæduntur ad unum omnes.

34. In Urbe crescit in dies vis Patrum miseriaque plebis, fama et corpore creditoribus satisfacientis: sed parva res ingentem moliendi causa fit. Fabia minor, M. Fabii Ambusti filia, mœrore affligitur, quod ipsa C. Licinio Stoloni, viro plebeio, soror autem Ser. Sulpicio, patricio et trib. mil. c. p. nupta est. Pater filiam consolatur, consiliaque init cum genero et L. Sextio. 35. Hi creantur tribuni plebis et promulgant leges de ære alieno, de modo agrorum, ne quis plus D. jugera agri possideret, et de comitiis, ne tribunorum militum comitia fiant, consulumque utique alter ex plebe creetur. Patres adversus tribunicias rogationes comparant collegas: et Licinius Sextiusque, tribuni plebis sæpius refecti, per quinquennium nullos curules magistratus creari patiuntur. 36. Octavum tribuni pl. reficiuntur latores legum, et simul tribunus mil. c. p. creatur M. Fabius Ambustus, auctor earundem legum et jam suasor. 37. Tribunorum pl. orationes, et nova rogatio: ut pro duumviris sacris faciundis decemviri creentur, et pars ex plebe, pars ex Patribus fiat. 38. Patres trepidi ad duo ultima auxilia, summum imperium ac civem, decurrunt. Dictator IV. dicitur M. Furius Camillus, qui minis plebi incutit terrorem, sed ducibus ejus animos potius accendit, et, re neutro inclinata, magistratu se abdicat, putans forte, se vitio creatum esse. Ei sufficitur extemplo P. Manlius. 39. Is C. Licinium, qui tribunus mil. c. p. fuerat, primum magistrum equitum de plebe dicit, et se apud Patres excusat propinqua cognatione. Rogationes de fœnere et agro jubentur a plebe, de plebeio consulatu antiquatur. Sextius Liciniusque sibi honorem continuari nolunt, nisi conjunctim ferantur ab se promulgatæ leges. 40. 41. Adversus eos orationem habet Ap. Claudius Crassus, nepos decemviri. 42. Quæ modo valet ad proferendum tempus rogationum jubendarum. Refecti decimum iidem tribuni, Sextius et Licinius, legem perferunt de decemviris sacrorum ex parte de plebe creandis. Fama belli Gallici allata, Camillus dictator V. dicitur, et in Albano agro multa cæduntur Gallorum millia. Comitiis consularibus L. Sextius de plebe primus consul creatur. Patres, auctore Camillo, ea lege auctores fiunt, ut concedatur a plebe nobilitati de prætore uno, qui jus in Urbe dicat, ex Patribus creando. Ordinibus ita ab diutina ira in concordiam redactis, senatus decernit, ut ludi maximi fiant, et dies unus ad tridnum adjiciatur. Recusantibus id munus ædilibus plebis, recipitur a patriciis juvenibus ea conditione, ut ædiles fiant.

1. Quæ ab condita urbe Roma ad captam eandem urbem[1] Romani sub regibus primum, consulibus deinde ac dictatoribus, decemvirisque ac tribunis consularibus gessere, foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui; res cum vetustate nimia obscuras, velut[2] quæ magno ex inter-

1 ‘Vocabulum *urbem* abest in nonnullis Mss.—2 *Veluti* Gronov. Doujat.

vallo loci vix cernuntur, tum quod parvæ[3] et raræ per eadem tempora literæ[a] fuere, una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum, et quod, etiamsi quæ in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa Urbe pleræque[4] interiere. Clariora deinceps certioraque ab secunda origine,[b] velut ab stirpibus lætius feraciusque renatæ Urbis, gesta domi militiæque exponentur. Ceterum quo primo[5] adminiculo erecta erat, eodem innisa M. Furio principe stetit. Neque eum abdicare se dictatura, nisi anno circumacto, passi sunt. Comitia in insequentem annum tribunus habere, quorum in magistratu capta Urbs esset, non placuit:[c] res ad interregnum rediit. Cum civitas in opere ac labore assiduo[d] reficiendæ Urbis teneretur, interim Q. Fabio, simul primum[6] magistratu abiit, ab C. Marcio tribuno plebis dicta dies est, quod legatus in Gallos, ad quos missus erat orator, contra jus gentium pugnasset. Cui judicio eum mors, adeo opportuna, ut voluntariam magna pars crederet, subtraxit. Interregnum iniit tum P. Cornelius Scipio interrex, et post eum M. Furius Camillus. Iterum[e] is tribunos[7] militum consulari potestate creat, L.

Crevier.—3 *Parvæ* abest a Gronov. Doujat. Crevier.—4 Legit Duk. *pleraque.*—5 Vulg. *Ceterum primo quo a.*—6 'Τὸ *primum* cum Gronov. et Drak. delendum puto.' *Doering.*—7 'Vulgo in omnibus legitur: *Interregnum initum, P. Cornelius Scipio interrex, et post eum M. Furius Camillus iterum. Is tribunos, &c.* At primum, in nullo codicum est *initum*, sed omnes, sicut antiquissimæ editiones, exhibent *iniit tum* vel *tum iniit*, in nonnullis est *tamen iniit.* Deinde vix distingueres *interregnum initum*, ab eo, quod paulo supe-

NOTÆ

[a] *Quod parvæ et raræ per eadem tempora literæ*] Pugnant editiones apud Rhenan. et Sigon. in re haud magni momenti. *Literæ* proculdubio sunt scripturæ quævis, et literis tradita monumenta, sive inscriptiones, ut alibi, sive annales et historiæ, ut hic, quemadmodum Gronov. notat.

[b] *Ab secunda origine*] Ut Camillus alter Romulus dictus, ita Urbis incensæ instauratio pro altera origine fuit.

[c] *Non placuit*] Ut paris calamitatis omen averterent.

[d] *In opere ac labore assiduo*] Dum terminandorum maxime templorum causa ruinæ purgantur, in æde Martis circa Montem Palatinum, a Gallis diruta incensaque, lituus Romuli omnino integer inventus, pro æternitatis omine fuit, auctore Plut.

[e] *Et post eum M. Furius Camillus. Iterum* [*Camillus iterum*] Vox, *iterum* significat quatuor fuisse interregna,

Valerium Publicolam iterum, P. Virginium, P. Cornelium, A. Manlium, L. Æmilium, L. Postumium.* Hi ex interregno[a] [8] cum extemplo magistratum inissent, nulla de re prius, quam de religionibus, senatum consuluere. In primis fœdera ac leges (erant autem eæ [9] duodecim tabulæ et quædam regiæ leges)[f] conquiri, quæ comparerent,[b] [10] jusserunt. Alia ex eis edita[g] etiam in vulgus: quæ autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa. Tum de diebus religiosis[h] agitari cœptum, diemque ante diem XV.

[a] *Cum statim post interregnum finitum.* [b] *Quæcumque extarent, ac superessent.*

rius dixerat: 'res ad interregnum rediit.' Quod sequebatur *Camillus iterum*, mirum in modum criticos, Gronovium, Dukerum, Drakenborchium aliosque vexavit. Primum enim nunquam Livius aut ullus alius Scriptor in magistratu extraordinario addere solet, quota vice eum quisquam administret; deinde si vel maxime hoc uno loco ab instituto recessisset, contra veritatem scripsisset: bis enim jam antea Camillus interrex fuerat, sup. lib. v. cap. 17. et 31. At cum semel modo interrex tribunos creasset, nihil reliquum erat, nisi ut vocabulum *iterum* a *Camillus* divelleres, sequentibusque jungeres; quod nos primi fecimus. Necessario autem Livio scribendum erat, *Iterum is*, si vocabulum *iterum* pronomini jungi vellet: nam si scripsisset *Is iterum*, τὸ *iterum* ad sequentem vocem *tribunos* referendum fuisset; quasi hoc tanquam memorabilius inculcare voluisset, Camillum nunc non consules, sed iterum tribunos creasse; at cum non cuivis interregi contigerit, ut magistratus ordinarios crearet, idque sæpius post multos tandem interreges fieret, notare vult Livius, Camillum iterum adeo strenue interregnum gessisse, ut sicuti antea lib. v. cap. 17. is in interregno non alium interregem proderet, sed tribunos crearet. Quam interpretationem adeo facilem se doctis probaturam spero.' *Stroth.* Vid. Not. Var.—8 Vulg. *Ii ex interregno.*—9 'E Mss. tantum non omnibus forte reponendum: *erant autem æreæ s. æneæ duodecim tabulæ.*'

NOTÆ

duos interreges, qui ambo alterni eum magistratum bis gesserunt, ita ut Camillus altero suo interregno comitia creandis tribunis militum habuerit.

* A. U. C. 365.

[f] *Et quædam regiæ leges*] Inprimis Servii Tullii leges de contractibus, humanæ admodum et populares, quæ a Tarquinio Superbo abolitæ ex Dionys. Halicarn. lib. IV. a Bruto et Collatino primis consulibus in usum revocatæ fuerant, eod. teste lib. v.

[g] *Alia ex eis edita*] Quod Sigonius *ex eis* explicat, 'præter hæc,' ut in principio lib. XXIX. merito reprehenditur a Gronovio; non enim alium sensum ferunt ea verba, nisi ex iis tribus quæ jam memorata fuerant, fœderibus, legibus, et sacrorum ritibus, quædam vulgata fuisse; sed inprimis legum capita. Nam sacra Pontifices collegio suo reservarunt.

[h] *De diebus religiosis*] Hæc sic explicat A. Gellius lib. IV. cap. 9. 'Religiosi dies dicuntur tristi omine infa-

Kalendas Sextiles,[11] [i] duplici clade insignem, (quo die ad Cremeram [k] Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis fœde pugnatum,) a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nulli publice privatimque agendæ [12] [l] fecerunt. Quidam, quod postridie Idus Quintiles [m] non litasset Sulpicius [13] tribunus militum, neque inventa pace Deum [c] post diem tertium objectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus rebus divinis supersederi jussum; inde, ut postridie Kalendas [n] quoque ac Nonas eadem religio esset, traditum putant.[d] [14]

2. Nec diu licuit quietis consilia erigendæ ex tam gravi casu rei publicæ secum agitare.[e] Hinc Volsci, veteres hostes, ad extinguendum nomen Romanum arma ceperant, hinc Etruriæ principum ex omnibus populis conjurationem de bello, ad fanum Voltumnæ factam, mercatores affere-

[c] *Cum sacrificio facto non reperisset Deos propitios.*
[d] *Creditur institutum esse.*
[e] *Non potuere diu quieti Romani consilia inire ad restaurandam remp. &c.*

Rupert.—10 'Male Sigon. *et comparari.*' J. F. Gronov.—11 Vulg. *diemque ad XV. Kal. Sex.*—12 '*Insignemque rei nulli.* An ita usquam loquitur Livius? Ratio certe Latinitatis vellet, *insignemque re nulla publice privatimque agenda.*' Tan. Faber.—13 'Vet. lib. *non litasset P. Sulpicius;* at ego supra ostendi, *Q. Sulpicius* legendum.' *Sigon.*—14 Vid. Not. Var.

NOTÆ

mes, impeditique, in quibus et res divinas facere, et rem quampiam novam exordiri temperandum est: quos multitudo imperitorum prave et perperam nefastos appellat.' Sane etsi omnes atri dies nefasti etiam essent, non tamen omnes nefasti atri erant, cum dies festi etiam nefasti essent, ut quibus jus non diceretur. Vide lib. I. cap. 20.

[i] *XV. Kalendas Sextiles*] Id est, XVII. Augusti. Plut. XVI. Tacitus XVII. Kalendas indicant.

[k] *Ad Cremeram*] Vid. lib. II. c. 30.

[l] *Insignemque rei nulli.... agendæ*] Nova phrasis, et Tan. Fabro improbata, qui scribendum censet, *insignemque re nulla publice privatimque agenda.* Est tamen Auctori familiaris dativus ad participium passivum futuri temporis relatus, loco accusativi cum præpositione *ad:* ut, *rei agendæ*, pro *ad rem agendam:* exempla obvia. Sed male me habet τὸ *insignem* e proximo repetitum.

[m] *Postridie Idus Quintiles*] Id est, XVII. Julii.

[n] *Inde, ut postridie Kalendas*] Hæc præ ceteris explicat, ex Verrio Flacco, Gell. lib. V. cap. 17. qui hoc tempore a L. Attilio eam rem in Senatu propositam, atque ad Pontifices rejectam esse memorat: et Pontifices decrevisse, nullum iis diebus sacrificium recte futurum.

bant. Novus quoque terror accesserat defectione Latinorum Hernicorumque, qui, post pugnam ad lacum Regillum factam, per annos prope centum [o] nunquam ambigua fide in amicitiam [15] populi Romani fuerant. Itaque cum tanti undique terrores circumstarent, appareretque omnibus, non odio solum apud hostes, sed contemtu etiam inter socios nomen Romanum laborare; placuit eisdem auspiciis [p] defendi rem publicam, quibus [16] recuperata esset, dictatoremque dici M. Furium Camillum. Is dictator C. Servilium Ahalam magistrum equitum dixit: justitioque indicto, delectum juniorum habuit, ita ut seniores quoque, quibus aliquid roboris superesset, in verba sua juratos centuriaret.[f] Exercitum conscriptum armatumque trifariam divisit. Partem unam in agro Veiente Etruriæ opposuit: [g] alteram ante Urbem castra locare jussit. Tribunus militum his A. Manlius, illis, qui adversus Etruscos mittebantur, L. Æmilius præpositus: [17] tertiam partem ipse ad Volscos duxit, nec procul ab Lanuvio ('ad Mæcium' [18] [q] is locus dicitur) castra oppugnare est adortus. Quibus, ab contemtu

[f] *Adactos sibi jusjurandum præstare, in Centurias distribuit.*
[g] *Misit adversus Etruscos.*

15 *In amicitia* Gronov. Doujat. Crevier.—16 Vulg. *ejusdem auspiciis defendi remp. cujus.* Vid. Not. Var.—17 'Plerique libri per notas *tr. mil.* Sed Vossianus alter et Mureti, *tribuni.* Unde suspicor Livium scripsisse: *tribuni militum his A. Manlius, illis, qui adversus Etruscos mittebantur, L. Æmilius præ-*

NOTÆ

[o] *Per annos prope centum*] *Prope*, paulo plus minusve. Advertit Glarean. numerandos esse hos centum annos, non a pugna ad Regillum, quæ ante ann. ferme 110. sed a pace Hernicis data, quod factum ante annos centum exacte computatos.

[p] *Eisdem auspiciis*] Ita priores. Aldus malnit, *ejusdem auspiciis, cujus:* quod tironibus Latinitatis clarius, sed non elegantius.

[q] *Ad Mæcium* [*Marcium*] Emendatum a Sigonio ex Plut. et Diod. cum esset *ad Matium.* Est autem *Marcius* mons ducentesimo ab Urbe stadio, id est, 25. milliaribus, circa Lanuvium, ut ait Noster: quod cum nonnisi 20. millia ab Urbe dissitum sit, apparet *Marcium* collem fuisse quinque millia passuum ultra id oppidum: ut Marcius unus sit ex iis collibus, qui ab ea parte Volscos et Pomptinum terminant campum. Forte a Marcio Coriolano dictus, qui bellum per hæc loca gerendo in eo colle castra habuerit. *Ad Marcium* autem Livii et *Marcius* Plut. et Diodor. idem sunt.

(quod prope omnem deletam a Gallis Romanam juventutem crederent) ad bellum profectis, tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat, ut vallo se ipsi, vallum congestis arboribus sepirent, ne qua intrare ad munimenta hostis posset. Quod ubi animadvertit Camillus, ignem in objectam sepem conjici jussit. Et forte erat vis magna venti versa in hostem. Itaque non aperuit solum incendio viam,[h] sed, flammis in castra tendentibus, vapore etiam ac fumo crepituque viridis materiæ flagrantis, ita consternavit hostes, ut minor moles superantibus vallum in castra Volscorum Romanis fuerit, quam transcendentibus sepem incendio absumtam fuerat. Fusis hostibus cæsisque,[r] cum castra impetu cepisset[19] dictator, prædam militi dedit, quo minus speratam, minime[20] largitore duce, eo militi gratiorem. Persecutus deinde fugientes, cum omnem Volscum agrum depopulatus esset, ad deditionem Volscos septuagesimo[1] demum anno subegit.[s] Victor ex Volscis in Æquos

[h] *Non modo igne injecto viam patefecit militibus suis, &c.*

positi.' J. F. Gronov.—18 Al. *Mecium*, *Metium*, et *Marcium*.—19 ' Sine dubio deest vox *primo*; ut sit, *primo impetu cepisset*.' Sigon.—20 ' Al. *a minime*, *&c.* Mox *militi*, quod modo præcessit, delendum videri possit.' *Rupert.*—1 ' Cum Sigon. forte leg. *septimo ac centesimo*.' Rupert.

NOTÆ

[r] *Fusis hostibus cæsisque*] Cum Latini, Æquis Volscisque adjuncti, Romanos ad Marcium montem arcte obsessos tenerent, vix ut evadendi spes affulgeret tribunis militaribus, Camillus, tertium dictator creatus, suos periculo eripuit. Plut. in Cam. et Macrob. I. Saturn. cap. 11. tradunt arte ancillarum partam Romanis victoriam. Cum enim duce Postumio Livio, Fidenatium dictatore, Latini, ad extrema redactos a Gallis Romanos arbitrati, missis ad Senatum legatis postulassent, ut si vellent reliquias suæ civitatis manere, matresfamilias et virgines Romanæ sibi dederentur; ancilla nomine Tutula, seu Philotis, promisit se cum ceteris ancillis sub nomine ornatuque dominarum ad hostes ituram. Ita ductæ ad Latinos non sine lacrymis ancillæ, atque in castris eorum distributæ, hos plurimo vino provocaverunt, festum diem apud se esse simulantes. Quibus soporatis, signum ex arbore caprifico, castris proxima, Romanis dederunt. Sic reportata a Romanis victoria, illæ omnes ancillæ Senatus jussu manumissæ, addita dote, et sumti ornatus usu permisso. Dies ipse annua inde solennitate celebratus, ac Nonæ Caprotinæ a caprifico illa nuncupatæ, ex qua victoriæ signum Romani acceperant.

[s] *Septuagesimo demum anno subegit*] Si numeres a tempore quo primum

transiit, et ipsos bellum molientes: exercitum eorum ad Bolas[t] oppressit; nec castra modo, sed urbem etiam aggressus, impetu primo cepit.

3. Cum in ea parte, in qua caput rei Romanæ Camillus erat, ea fortuna esset, aliam in partem terror ingens ingruerat. Etruria prope omnis armata Sutrium, socios populi Romani,[u] obsidebat: quorum legati, opem rebus affectis orantes, cum senatum adissent, decretum tulere, ut dictator primo quoque tempore auxilium Sutrinis ferret. Cujus spei moram cum pati fortuna obsessorum non potuisset,[2] confectaque paucitas oppidanorum, opere, vigiliis, vulneribus,[3] quæ semper eosdem urgebant, per pactionem urbe hostibus tradita, inermes cum singulis emissi vestimentis, miserabili agmine penates relinquerent; eo forte tempore Camillus cum exercitu Romano intervenit. Cui cum se mœsta turba ad pedes provolvisset, principumque orationem, necessitate ultima expressam, fletus mulierum ac puerorum, qui exilii comites trahebantur, excepisset; parcere lamentis Sutrinos jussit: Etruscis se luctum lacrymasque ferre. Sarcinas inde deponi, Sutrinosque ibi considere, modico præsidio relicto, arma secum militem ferre jubet. Ita expedito exercitu profectus ad Sutrium,[x] id quod re-

NOTÆ

Tarquinius Superbus bellum gessit adversus Volscos, circa annum Urb. Cond. 227. erunt anni ferme 140. si ab eo tempore, quo renovatum est a Volscis bellum an. 259. App. Claudio et P. Servilio Coss. ad hunc annum computandi erunt anni 107. Unde non abs re Glareanus et Sigonius mendum in numero subesse admonent.

[t] *Ad Bolas*] De Bolis antea lib. II. c. 39.

[u] *Sutrium, socios populi Romani*] Diodorus anno post Romam captam et Plinius Sutrium vocant Romanorum coloniam: sed eam Vell. Paterc. post VII. annos, quam urbem Galli ceperunt, deductam scribit. Quare suspicatur Sigonius legendum in Velleio esse *Satricum*, Volscorum oppidum, quo deducta est colonia anno V. post urbem captam, ut habetur hujus lib. cap. 16. *Sutrium* autem nondum videtur colonia fuisse Romanorum: dicitur enim adhuc receptum, et restitutum sociis, civibus scilicet suis, infra c. 9. Sed postea sine dubio colonia fuit: eoque respexit, opinor, Diodorus et Plin. Nunc videtur socia tantum Romanorum hæc Etruriæ urbs fuisse, quæ in via Cassia, 33. ab Urbe milliari, nomen adhuc retinet, vulgo *Sutri*, in Patrimonio Sancti Petri.

[x] *Profectus ad Sutrium*] *Ad* pro, versus, circa, quasi, 'profectus Sutrium versus.' Eodem sensu quo Cicero, 'ut essem ad urbem.'

batur, soluta omnia rebus (ut fit) secundis invenit: nullam stationem ante mœnia, patentes portas, victorem vagum prædam ex hostium tectis egerentem. Iterum igitur eodem die Sutrium capitur: victores Etrusci passim trucidantur ab novo hoste, neque se conglobandi coëundique in unum, aut arma capiendi datur spatium. Cum pro se quisque tenderent ad portas, si qua forte se in agros ejicere possent, clausas (id enim primum dictator imperaverat) portas inveniunt.[y] Inde alii arma capere, alii, quos forte armatos tumultus occupaverat, convocare suos, ut prælium inirent: quod accensum ab desperatione hostium fuisset, ni præcones, per urbem dimissi, poni arma et parci inermi jussissent, nec præter armatos quenquam violari. Tum etiam, quibus animi in spe ultima obstinati ad decertandum fuerant, postquam data spes vitæ est, jactare passim arma, inermesque, quod tutius fortuna fecerat, se hosti offerre. Magna multitudo in custodias divisa:[4 z] oppidum ante noctem redditum Sutrinis inviolatum integrumque ab omni clade belli, quia non vi captum, sed traditum per conditiones fuerat.

4. Camillus in Urbem triumphans rediit, trium simul bellorum[a] victor. Longe plurimos captivos ex Etruscis ante currum duxit. Quibus sub hasta venumdatis, tantum æris redactum est, ut, pretio pro auro[b] matronis persoluto, ex eo, quod supererat, tres pateræ aureæ factæ sint: quas, cum titulo nominis Camilli, ante Capitolium incensum[c] in

2 In plerisque Mss. est *posset*.—3 Vulg. *vulneribusque*.—4 Vet. lib. apud Sigon. *dimissa*.

NOTÆ

[y] *Portas inveniunt*] Quid attinebat hanc vocem *portas* hic repeti?

[z] *Magna multitudo in custodias divisa*] Longe melius *divisa*, quam, quod Sigonius ingerit, *dimissa*. Custodiæ hoc loco sunt carceres in municipiis, quo rei aut captivi mittuntur sparsim custodiendi; cum tanta est multitudo, ut non facile communi et vulgari carcere contineri possit.

[a] *Trium simul bellorum*] Volsci, Æqui, Tusci.

[b] *Pro auro*] Quod matronæ e mundo suo muliebri contulerant ad depellendos obsidione Capitolii Gallos.

[c] *Ante Capitolium incensum*] Quod contigit anno U. C. 670. L. Corn. Scip. C. Norbano coss.

Jovis cella constat ante pedes Junonis [d] positas fuisse. Eo anno in civitatem accepti, qui Veientium Capenatiumque ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis civibus assignatus. Revocati quoque in Urbem senatus consulto a Veiis,[5] qui ædificandi Romæ pigritia, occupatis ibi vacuis tectis, Veios se contulerant. Et primo fremitus fuit aspernantium imperium: dies deinde præstituta capitalisque pœna, qui non remigrasset [e] Romam,[6] ex ferocibus universis singulos, metu suo quemque, obedientes fecit. Et Roma cum frequentia crescere, tum tota simul exsurgere ædificiis, et re publica impensas adjuvante, et ædilibus velut publicum exigentibus opus, et ipsis privatis (admonebat enim desiderium usus) [i] festinantibus ad effectum operis, intraque annum nova urbs stetit. Exitu anni comitia tribunorum militum consulari potestate habita. Creati T. Quintius Cincinnatus, Q. Servilius Fidenas quintum, L. Julius Julus, L. Aquillius Corvus, L. Lucretius Tricipitinus, Ser. Sulpicius Rufus.* Exercitum alterum in Æquos,[7] non ad bellum, (victos namque se fatebantur,) sed ab odio ad pervastandos fines, ne quid ad nova consilia relinquerent [8] virium, duxere: alterum in agrum

[i] *Cupiditas commode habitandi hortabatur.*

5 'Verba *a Veiis* del. Gron. Sed tum τὸ *ibi* referendum ad *Romæ*, quod sensui adversatur, et sic vel leg. *sibi*, vel *Veios, occupatis ibi v. t. se contulerant.*' Drak. Vid. Not. Var.—6 'Vet. lib. *nisi remigrassent Romam:* placet.' *Sigon.*—7 'Parum fastidirem, sicubi reperirem in membranis: *Exitu anni comitiis tribunorum militum consulari potestate habitis, creati T. Quintius Cincinnatus, Q. Servilius Fidenas quintum, L. Julius Julus, L. Aquilius Corvus, L. Lucretius Tricipitinus, Ser. Sulpicius Rufus, exercitum alterum in Æquos.*' J. F.

NOTÆ

[d] *Ante pedes Junonis*] Observatum est ex Dion. Jovis Capitolini templo tres ædes haud dispares comprehensas fuisse, mediam Jovis, lævam Junonis, dextram Minervæ: horum numinum cuique sua erat assignata cella, sive adytum: ita tamen ut major esset cella Jovis, ubi pretiosa donaria recondebantur; nec soli Jovis ædi responderet; quandoquidem hæ aureæ Camilli pateræ in cella Jovis positæ erant ante pedes Junonis. Vide sup. c. 29.

[e] *Capitalisque pœna, qui non remigrasset*] Eleganter pro, 'indicta pœna capitis ei qui non remigrasset Romam.'

* A. U. C. 366.

Tarquiniensem. Ibi oppida Etruscorum, Cortuosa et Contenebra,[f] vi capta dirutaque.[9] Ad Cortuosam [10] nihil certaminis fuit. Improviso adorti, primo clamore atque impetu cepere: direptum oppidum atque incensum est. Contenebra [11] paucos dies oppugnationem sustinuit; laborque continuus, non die non nocte remissus, subegit eos. Cum in sex partes divisus exercitus Romanus senis horis in urbem succederet prælio, oppidanos [12] eosdem integro semper certamini paucitas fessos objiceret; cessere tandem, locusque invadendi urbem Romanis datus est. Publicari prædam[g] tribunis placebat: sed imperium, quam consilium, segnius fuit.[k] Dum cunctantur, jam militum præda erat; nec, nisi per invidiam, adimi poterat.[l] Eodem anno, ne privatis tantum operibus cresceret Urbs, Capitolium quoque saxo quadrato substructum est:[h] opus vel in hac magnificentia urbis conspiciendum.

5. Jam et tribuni plebis, civitate ædificando occupata, conciones suas frequentare legibus agrariis conabantur. Ostentabatur in spem Pomptinus ager, tum primum, post accisas a Camillo Volscorum res, possessionis haud ambiguæ. Criminabantur, ‘multo eum infestiorem agrum ab

[k] *Non pari passu ambulavit jussus ac propositum: non satis mature jusserunt, quod in animo habebant.*

[l] *Nec auferri poterat nisi cum odio.*

Gronov.—8 Malit Tan. Faber. *relinqueretur.*—9 ‘Video Muretum e V. L. annotasse *direptaque.* Vix videtur alterutrum ferendum; et cum eventus istarum urbium tam plene infra describantur, sequor auctoritatem Rott. et Voss. 1. qui ultimum non agnoscunt. Nec iste Livii mos est.’ *Jac. Gronov.*—10 ‘*Cort Nossam* legendum ex fragmentis originum Catonis.’ *Sigon.*—11 ‘*Cort Enebra* ex iisdem.’ *Idem.*—12 ‘Desidero particulam *et* ante *oppidanos*, vel *autem*, *vero*, post *oppidanos;* quamvis non ignoro, alias orationem Livianam sine hoc vinculo recte incedere.’ *Doering.*

NOTÆ

[f] *Cortuosa et Contenebra*] Hæc oppida duo in Etruriæ agro Tarquiniensi fuisse hic locus docet. Ea aliis auctoribus ignota.

[g] *Publicari prædam*] Hic mos Romanorum, militibus ex pretio distributa pretii parte haud magna. Sic bellum seipsum alebat.

[h] *Saxo quadrato substructum est*] Non recens ædificatum, ac dedicatum denuo, sed adjectis novis fundamentis suffultum ac munitum.

nobilitate esse, quam a Volscis fuerit:[m] ab illis enim tantum, quoad vires et arma habuerint, incursiones eo factas: nobiles homines in possessionem agri publici grassari: nec, nisi, antequam omnia præcipiant,[13][n] divisus sit, locum ibi plebi fore.' Haud magno opere plebem moverant, et infrequentem in foro propter ædificandi curam, et eodem exhaustam impensis, eoque agri immemorem, ad quem instruendum vires non essent.[o] In civitate plena religionum, tum etiam ab recenti clade superstitiosis principibus, ut renovarentur auspicia, res ad interregnum[i] rediit. Interreges deinceps M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpicius Camerinus, L. Valerius Potitus. Hic demum tribunorum militum consulari potestate comitia habuit. L. Papirium,[k] C. Cornelium, C. Sergium, L. Æmilium iterum, L. Menenium, L. Valerium Publicolam tertium creat.* Hi ex interregno[14] magistratum occepere. Eo anno ædes Martis, Gallico bello vota, dedicata est a T. Quintio duumviro sacris faciundis. Tribus quatuor ex novis civibus[l] additæ,

[m] *Agrum Pomptinum plebi nunc plus afferre molestiæ a patriciis, quam olim attulerit a Volscis antiquis possessoribus.*

[n] *Priusquam cuncta occupent.*

[o] *Eademque de causa sumtibus exinanitam, atque idcirco agrorum oblitam, ad quorum culturam non suppetebat unde pecus et instrumenta aratoria compararent.*

NOTÆ

[i] *Res ad interregnum*] Creditum est tribunos militum vitio creatos, ideoque non per eos, sed per interregem habenda proxima comitia.

[k] *L. Papirium*] Paulo aliter Diod. Siculus hos tribunos militum nominat. Nam pro C. Sergio, *C. Servilium* quarto loco, pro L. Æmilio, *Q. Fabium* ultimo loco, pro L. Valerio, *Valerium Aulum* quinto loco, tradit: Sigonius tamen *C. Sergium II.* putat retinendum: ut qui paulo post tertium tribunus militum a Nostro memoretur.

* A. U. C. 367.

[l] *Tribus quatuor ex novis civibus*] Iis, qui ex Veientibus, Capenatibus, et Faliscis ad Romanos superiore bello transfugerant, in civitatem acceptis, assignati agri; et ne iisdem jus tribus deesset, (sine qua nemo civis habebatur,) novæ quatuor tribus institutæ, quæ numerum quinque et viginti tribuum expleverunt. Sic enim legendum, non ut in quibusdam habetur, *XXXV.* Cum enim Servius Tullius urbanam multitudinem in quatuor, rusticam in quindecim tribus, locis distinctas, distribuisset; his undeviginti duæ post reges exactos adjectæ fuerant; unde factæ viginti et una.

Stellatina,[m] Tromentina,[15 n] Sabatina,[o] Arniensis;[16 p] eæque viginti quinque[17] tribuum numerum explevere.

6. De agro Pomptino[q] ab L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorem jam populum, mobilioremque ad cupiditatem agri, quam fuerat. Et de Latino Hernicoque bello mentio facta in senatu, majoris belli cura, quod Etruria in armis erat, dilata est. Res ad Camillum tribunum militum consulari potestate rediit. Collegæ additi quinque, Ser. Cornelius Maluginensis, Q. Servilius Fidenas sextum, L. Quintius Cincinnatus, L. Horatius Pulvillus, P. Valerius.* Principio anni aversæ curæ hominum sunt a bello Etrusco, quod fugientium ex agro Pomptino agmen repente illatum in Urbem attulit, Antiates in armis esse, Latinorumque populos juventutem summisisse[18] ad id bellum; eo abnuentes, publicum fuisse consilium, quod non prohibitos tantummodo voluntarios dicerent militare, ubi vellent. Desierant jam ulla contemni bella. Itaque senatus Diis agere gratias, quod Camillus in magistratu esset: dictatorem quippe dicendum eum fuisse, si privatus esset. Et collegæ fateri, 'regimen omnium rerum, ubi quid

13 Pro *præcipiant* all. *præripiant*.—14 Vid. Not. Var.—15 Vulg. *Pomatina*.—16 Al. *Narniensis*. Conj. Doujat. *Axiensis*.—17 Vulg. *eæque triginta quinque*.

NOTÆ

[m] *Stellatina*] Ab agro seu campo *Stellate*, apud Festum, quo nomine duo leguntur agri, alter in Campania, Caleno et Falerno vicinus, alter in Etruria, inter Capenam, et Veios, ac Falerios. Ab hoc nomen sumsit hæc tribus. Ceterum Capena, cui confinis ager hic Stellatinus, Tuscorum oppidum fuit, aut regio diversa ab cognomine oppido, unde nomen accepit Porta Capena. Hoc enim in Latio fuit.

[n] *Tromentina*] A Campo Tromento dicta, qui et ipse in Tuscia.

[o] *Sabatina*] Hanc a lacu Sabate nuncupatam testatur idem Festus Pomp. Est autem *Sabate* oppidum Tusciæ inter Sutrium et mare, imminens lacui, quem Sabatinum vocant. Nunc vulgo, *Languillara*.

[p] *Arniensis* [*Narniensis*] Legitur in vulgatis *Arniensis*, et sic nominatam ab Arno flumine conjiciunt Sigonius et Onuphrius, sed hoc tempore ad Arnum usque pertigisse Romanorum arma non putat Cluver. At Narnia propior est, in Umbria citeriore ad fines Sabinorum. Forte legendum *Axiensis*, ab Axia oppido agri Tarquiniensis, superioribus vicino.

[q] *De agro Pomptino*] A Pometia Volscorum urbe.

* A. U. C. 368.

bellici terroris ingruat, in viro uno esse: sibique destinatum in animo esse, Camillo summittere imperium: nec quicquam de majestate sua detractum credere, quod majestati ejus viri [19] concessissent.'[r] Collaudatis ab senatu tribunis, et ipse Camillus, confusus animo, gratias egit. 'Ingens,' inde ait, 'onus a populo Romano sibi, qui se dictatorem [20] jam quartum creasset,[s] magnum a senatu talibus de se judiciis ejus ordinis, maximum tam honoratorum collegarum obsequio [1] injungi. Itaque si quid laboris vigiliarumque adjici possit, certantem secum ipsum annisurum, ut tanto de se consensu civitatis opinionem, quæ maxima sit, etiam constantem efficiat. Quod ad bellum atque Antiates attineat, plus ibi minarum, quam periculi, esse. Se tamen, ut nihil timendi, sic nihil contemnendi auctorem esse. Circumsederi urbem Romanam ab invidia et odio finitimorum: itaque et ducibus pluribus et exercitibus administrandam rem publicam esse.[2] Te,' inquit, 'P. Valeri, socium imperii consiliique, legiones mecum adversus Antiatem hostem ducere placet: te, Q. Servili, altero exercitu instructo paratoque, in urbe castra habere; intentum sive Etruria se interim, ut nuper, sive nova hæc cura, Latini atque Hernici, moverint. Pro certo habeo, ita rem gesturum, ut patre, avo,[t] teque ipso ac sex tribunatibus dignum est. Tertius exercitus ex causariis senioribusque [u] a L. Quintio scribatur, qui Urbi

18 Vulg. *juventutem suam misisse.*—19 Pro *viri* legit Tan. Faber *ultro.*—20 Conj. Stroth. *imperatorem.* Improbat Doering.—1 Vet. lib. apud Sigon. *tam honorato collegarum obsequio.*—2 'Vett. libb. *administrandam remp. opus esse:* ex quo intellexi legendum, *ad administrandam remp. opus esse.*' Sigon.

NOTÆ

[r] *Quod majestati ejus viri concessissent*] Legit *ultro* pro *viri* Tan. Faber, quod nec respuit sensus, nec exigit.

[s] *Dictatorem jam quartum creasset*] Oblata quidem ei nunc est dictatura, sed non delata, aut certe non admissa.

[t] *Patre, avo, &c.*] Hic Q. Servilius Priscus Fidenas, nunc tribunus militum VI. patrem habuerat Q. Servilium Priscum bis dictatorem, a captis Fidenis cognomen Fidenatis adeptum; avum autem P. Servilium Priscum qui consul fuerat an. 291.

[u] *Ex causariis senioribusque*] Qui ex causa valetudinis minus prosperæ dimissi a militia erant, dicebantur causarii; eaque missio causaria: ad discrimen tum honestæ missionis, quæ

mœnibusque præsidio sit. L. Horatius arma, tela, frumentum, quæque belli alia tempora poscent,[3] provideat. Te, Ser. Corneli,[4] præsidem hujus publici consilii, custodem religionum, comitiorum, legum, rerum omnium urbanarum, collegæ facimus.' Cunctis in partes muneris sui benigne pollicentibus operam, Valerius, socius imperii lectus, adjecit: 'M. Furium sibi pro dictatore, seque ei pro magistro equitum futurum. Proinde, quam opinionem de unico imperatore, eam spem de bello haberent.'[p] 'Se vero bene sperare,' Patres,[†] 'et de bello,[5] et de pace universaque re publica,' erecti gaudio, fremunt:[x] 'nec dictatore unquam opus fore rei publicæ, si tales viros in magistratu habeat, tam concordibus junctos animis, parere atque imperare juxta paratos, laudemque conferentes potius in medium, quam ex communi ad se trahentes.'[q]

7. Justitio indicto delectuque habito, Furius ac Valerius ad Satricum profecti:[y] quo non Volscorum modo juventutem Antiates ex nova subole lectam, sed ingentem Latinorum Hernicorumque conciverant ex integerrimis diutina pace populis.[r] Itaque novus hostis veteri adjunctus commovit animos[z] militis Romani. Quod ubi aciem jam instruenti Camillo centuriones renuntiaverunt, 'turbatas militum mentes esse, segniter arma capta, cunctabundosque et resistentes[6] egressos castris esse; quin voces quoque

[p] *Talem spem de bello conciperent, qualem existimationem haberent de Camillo, si unicus esset belli dux.*

[q] *Quam sibi arrogantes ex eo quod pluribus communis esset.*

[r] *Ex civitatibus diu bello intactis, et propter longam pacem multitudine maxime abundantibus.*

Vid. Not. Var.—3 Vet. lib. ap. Sigon. *arma, tela, frumentumque, quæ bellica tempora poscent.*—4 Vulg. *Te Sergi Corneli.*—† *Patres* omittunt edd. antiqq. —5 Vulg. *Se vero bene sperare, et de bello.*

6 Conj. J. F. Gronov. *restitantes.*

NOTÆ

emeritis post impleta stipendia dabatur, tum ignominiosæ, quæ ob delictum exauctoratis. Causa itaque pro excusatione, cujus species præcipua morbus.

[x] *Erecti gaudio, fremunt*] Senatores.

[y] *Ad Satricum profecti*] Satricum versus, de quo Volscorum oppido sup. l. II. c. 39.

[z] *Commovit animos*] Commovetur animus quocumque affectu, sive excitetur ira, vel gaudio; sive dolore aut metu perturbetur. Hæc Romanorum militum commotio ex timore.

auditas, cum centenis hostibus singulos pugnaturos; et ægre inermem tantam multitudinem, nedum armatam, sustiner iposse;' in equum insilit, et, ante signa obversus in aciem, ordines interequitans, 'Quæ tristitia, milites, hæc, quæ insolita cunctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? Hostis est quid aliud, quam perpetua materia virtutis gloriæque vestræ? Vos contra, me duce, (ut Falerios Veiosque captos, et in capta patria Gallorum legiones cæsas taceam,) modo trigeminæ victoriæ triplicem triumphum ex his ipsis Volscis et Æquis et ex Etruria egistis. An me, quod non dictator vobis, sed tribunus, signum dedi, non agnoscitis ducem? Neque ego maxima imperia[a] in vos desidero: et vos in me nihil, præter me ipsum, intueri decet. Neque enim dictatura mihi unquam animos fecit, ut ne exilium quidem ademit. Iidem igitur omnes sumus; et, cum eadem omnia in hoc bellum afferamus, quæ in priora attulimus, eundem eventum belli expectemus. Simul concurreritis, quod quisque didicit ac consuevit, faciet. Vos vincetis, illi fugient.'

8. Dato deinde signo, ex equo desilit, et proximum signiferum, manu arreptum, secum in hostem rapit; 'infer, miles,' clamitans, 'signum.'[6] Quod ubi videre ipsum Camillum, jam ad munera corporis senecta invalidum, vadentem in hostes, procurrunt pariter omnes, clamore sublato, 'Sequere imperatorem,' pro se quisque clamantes. Emissum etiam[7] signum Camilli jussu in hostium aciem ferunt; idque ut repeteretur, concitatos antesignanos. Ibi primum pulsum Antiatem,[b] terroremque non in primam tantum aciem, sed etiam ad subsidiarios perlatum. Nec

[6] *Cum Camillus sæpius clamaret, o signifer infer infestum signum in hostem.*

[7] 'Nec displiceret, *Missum etiam.* Vult enim conjectum et rotatum

NOTÆ

[a] *Neque ego maxima imperia*] Respondet præcedenti interrogationi suæ. Porro dictatoris imperium omnium maximum in rep. ut cui subessent reliqui etiam majores magistratus; et a quo provocatio non esset.

[b] *Pulsum Antiatem*] Repete ex superiori *ferunt.*

vis tantum militum movebat, excitata præsentia ducis,[t] sed quod Volscorum animis nihil terribilius erat, quam ipsius Camilli forte oblata species.[8] Ita, quocumque se intulisset, victoriam secum haud dubiam trahebat. Maxime id evidens fuit, cum, in lævum cornu, prope jam pulsum, arrepto repente equo cum scuto pedestri,[c] advectus, conspectu suo prælium restituit, ostentans vincentem ceteram aciem. Jam inclinata res erat, sed turba hostium et fuga impediebatur,[d] et longa cæde conficienda multitudo[9] tanta fesso militi erat; cum repente ingentibus procellis fusus imber certam magis victoriam, quam prælium, diremit. Signo deinde receptui dato, nox insecuta, quietis Romanis, perfecit bellum. Latini namque et Hernici, relictis Volscis, domos profecti sunt, malis consiliis pares adepti eventus. Volsci, ubi se desertos ab eis videre, quorum fiducia rebellaverant, relictis castris, mœnibus Satrici se includunt. Quos primo Camillus vallo circumdare, et aggere atque operibus oppugnare est adortus. Quæ postquam nulla eruptione impediri videt; minus esse animi ratus in hoste, quam ut in eo tam lentæ spei victoriam expectaret,[e] cohor-

[t] *Nec impetus tantum Romanorum excitatus Camilli præsentia hostes terrebat.*

mann.' *J. F. Gronov.*—8 *Sed, qua Volscorum animis nihil terribilius erat, ipsius Camilli forte oblata species* conj. Doering.—9 ' Verba forte sic ordinanda vel ab ipso Livio ordinata sunt: *sed et fuga impediebatur turba hostium, et longa cæde conficienda* (cf. ad II. 40.) *multitudo.*' Rupert. Vid. inf. et Not. Var.

NOTÆ

[c] *Cum scuto pedestri*] Quod gravius, cum ipse Camillus in equo, si armari voluisset militari more, debuerit leviori parma equestri uti.

[d] *Turba hostium et fuga impediebatur* [*impediebat*] Ita Rhenanus, aliique: et stare potest sensus, ut turba ingens hostium fugientium dicatur impediisse rem, id est, victoriam ad Romanos jam inclinatam. Verum Gronovio placet magis legi, aut *turba hostium fugam impediebat*, ut habet Mediolanensis editio, aut *turba hostium et fuga impediebatur*, ut apud Aldum et in scriptis passim, ita ut nomen *turba* sit in auferendi casu. Mihi tamen veniebat in mentem, posse non absurde locum hunc ita explicari, si *turba* quidem ablativi sit casus, *fuga* nominativi: ut turba et multitudo hostium duo efficeret, et fugam nempe eorum arceret, et fessos jam Romanos impediret quo minus ad illorum cædem sufficerent.

[e] *Quam ut in eo tam lentæ spei victoriam expectaret*] Hostium ignavia im-

tatus milites, ne, tanquam Veios oppugnantes, in opere longinquo sese tererent,[u] victoriam in manibus esse; ingenti militum alacritate mœnia undique aggressus, scalis oppidum cepit. Volsci abjectis armis sese dediderunt.

9. Ceterum animus ducis rei majori, Antio, imminebat. Id caput Volscorum, eam fuisse originem proximi belli.[f] Sed quia nisi magno apparatu, tormentis machinisque, tam valida urbs[g] capi non poterat; relicto ad exercitum collega, Romam est profectus, ut senatum ad excidendum Antium hortaretur. Inter sermonem ejus (credo, rem Antiatem diuturniorem manere, Diis cordi fuisse) legati ba Nepete[h] ac Sutrio, auxilium adversus Etruscos petentes, veniunt, brevem occasionem esse ferendi auxilii memorantes. Eo vim Camilli ab Antio fortuna avertit. Namque cum ea loca opposita Etruriæ,[i] et velut claustra inde portæque essent; et illis occupandi ea, cum quid novi molirentur, et Romanis recuperandi tuendique cura erat. Igitur senatui cum Camillo agi placuit, ut, omisso Antio, bellum Etruscum susciperet. Legiones urbanæ, quibus Quintius præfuerat,[10 k] ei decernuntur. Quanquam expertum exercitum

[u] *Diuturnis operibus se fatigarent.*

10 Conjiciunt Glareanus et J. F. Gronov. *quibus Q. Servilius præfuerat.*—

NOTÆ

pulsus Camillus, non putavit sibi expectandam victoriam ex longa oppugnatione, ex qua spes victoriæ nimis tarda.

[f] *Eam fuisse originem proximi belli*] Supple *cogitabat*, aut simile quid.

[g] *Tam valida urbs*] Mirum hoc Glareano videtur, cum lib. II. cap. 65. tam facile captum fuerit Antium. Immo eam urbem opulentissimam Numicius 'consul oppugnare non ausus' dicitur cap. 63. Sed deditionis causa affertur cap. illo 65. quod obsessis, 'ab infelici pugna, castrisque amissis, ceciderant animi.'

[h] *Ab Nepete*] In Veientum et Faliscorum confinio fuit urbs Nepete, aliis *Nepet*, *Nepita*, *Nepa*: hodie *Nepi*, in Patrimonio S. Petri, quod est in Tuscia. Frustra Glareanus *Nepete* improbat in auferendi casu: quasi *Nepeti* potius dicendum fuerit. Ejusmodi enim nomina locorum, quæ in *e* desinunt, nonnisi in genitivo et dativo declinantur: qualia 'Præneste,' 'Ateste.' Ita fit, ut nominandi, accusandi, et auferendi casus nihil differant; unde Virg. 'Quique altum Præneste viri,' in accusativo: et 'Præneste sub ipsa,' in ablativo. Quod et Priscianus notat.

[i] *Opposita Etruriæ*] Nonne Sutrini et Nepesini in Etruria, atque e genere sunt Etruscorum? Sed non idem

assuetumque imperio, qui in Volscis erat, mallet, nihil recusavit: Valerium tantummodo imperii socium depoposcit. Quintius Horatiusque successores Valerio in Volscis[11] missi. Profecti ab Urbe Sutrium Furius et Valerius partem oppidi jam captam ab Etruscis invenere; ex parte altera, interseptis itineribus,[1] ægre oppidanos vim hostium ab se arcentes. Cum Romani auxilii adventus, tum Camilli nomen celeberrimum apud hostes sociosque, et in præsentia rem inclinatam sustinuit, et spatium ad opem ferendam dedit. Itaque diviso[12] exercitu, Camillus collegam, eam in partem circumductis copiis, quam hostes tenebant, mœnia aggredi jubet, non tanta spe, scalis capi urbem posse, quam ut, aversis eo hostibus[z] et oppidanis jam pugnando fessis,[13] laxaretur labor, et ipse spatium intrandi sine certamine mœnia haberet. Quod cum simul utrimque factum esset, ancepsque terror Etruscos circumstaret, et mœnia summa vi oppugnari, et intra mœnia

[z] *Ut cum Tusci ab oppidanis impugnandis versi essent ad mœnium adversus Romanos defensionem.*

11 Alii legunt *in Volscos.*—12 Vet. lib. apud. Sigon. *Ita diviso.*—13 Vulg. *jam oppugnando fessis.*

NOTÆ

omnes Etrusci sentiebant. Hi Romanorum fœderati a vicinis (qui eorundem Romanorum hostes) oppugnabantur.

[k] *Quibus Quintius præfuerat*] Dubiam hanc lectionem facit Glareano, et post eum Gronovio, quod c. 6. L. Quintio negotium datum sit, ut exercitum ex Causariis et Senioribus scriberet, qui urbi præsidio esset: hos autem ad novum hoc bellum missos, parum verisimile sit: unde legendum hoc loco inferunt, *quibus Servilius præfuerat.* Servilio quippe alter exercitus traditus fuerat, qui in urbe instructus maneret ad subita belli; sive Etrusci, sive Latini Hernicique quid moverent. Et sane potuit, vel Auctore memoria lapso, vel librariorum vitio, *L. Quintius* pro *Quinto Servilio* hic irrepere, ob hujus prænominis cum illius nomine affinitatem; nisi quis divinaverit exercitum Servilii curæ nuper commissum, alias Quintio parnisse. Ex iis certe quæ sequuntur, constat Quintium cum Horatio in Volscos missum loco Furii Camilli et Valerii: unde probabile fit Servilium, qui jam ætate provectior, ad urbem cum exercitu Seniorum relictum.

[l] *Ex parte altera, interseptis itineribus*] Hoc loco *itinera* sunt, ni fallor, vici, seu viæ intra urbem, opera oppidanorum, ad tuendum reliquum oppidum obseptæ, et interclusæ adversus hostium vim, *les rues retranchées ou barricadées.*

esse hostem viderent; porta se, quæ un forte non obsidebatur, trepidi uno agmine ejecere. Magna cædes fugientium et in urbe et per agros est facta. Plures a Furianis intra mœnia cæsi: Valeriani expeditiores ad persequendos fuere; nec ante noctem, quæ conspectum ademit, finem cædendi fecere. Sutrio recepto restitutoque sociis, Nepete exercitus ductus, quod per deditionem acceptum jam totum Etrusci habebant.

10. Videbatur plus in ea urbe recipienda laboris fore; non in [14] eo solum, quod tota hostium erat, sed etiam quod, parte Nepesinorum prodente civitatem, facta erat deditio. Mitti tamen ad principes eorum placuit, ut secernerent se ab Etruscis, fidemque, quam implorassent ab Romanis, ipsi præstarent. Unde cum responsum allatum esset, 'nihil suæ potestatis esse, Etruscos mœnia custodiasque portarum tenere;' primo populationibus agri terror est oppidanis admotus; deinde, postquam deditionis, quam societatis, fides sanctior erat,[y] fascibus sarmentorum ex agro collatis, ductus ad mœnia exercitus, completisque fossis scalæ admotæ, et clamore primo impetuque oppidum capitur. Nepesinis inde edictum, ut arma ponant; parcique jussum inermi. Etrusci pariter armati atque inermes cæsi. Nepesinorum quoque auctores deditionis securi percussi:[z] innoxiæ multitudini redditæ res, oppidumque cum præsidio relictum. Ita, duabus sociis urbibus ex hoste receptis, victorem exercitum tribuni cum magna gloria Romam reduxerunt. Eodem anno ab Latinis Hernicisque res repetitæ, quæsitumque, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent. Responsum frequenti utriusque gentis concilio est, 'nec culpam in eo publicam, nec consilium fuisse, quod suæ juventutis aliqui apud Volscos militaverint. Eos tamen ipsos pravi consilii pœnam habere, nec quenquam ex his reducem esse. Militis autem non dati causam

[y] *Fidei Etruscis datæ a Nepesinis se dedentibus potior ratio habebatur, quam ejus quæ ab iisdem fœdus ineuntibus data fuerat Romanis.*

[z] *Ex Nepesinis etiam ii, qui consilium ceteris dederant se dedendi Etruscis, capite luerunt.*

terrorem assiduum a Volscis fuisse, quam pestem adhærentem lateri suo tot super alia aliis bellis exhauriri[15] nequisse.' Quæ relata Patribus magis tempus, quam causam, non visa belli habere.[a]

11. Insequenti anno, A. Manlio, P. Cornelio,[16 m] T. et L. Quintiis Capitolinis, L. Papirio Cursore iterum,[n] C. Sergio iterum tribunis consulari potestate,[17 *] grave bellum foris, gravior domi seditio exorta: bellum a Volscis, adjuncta Latinorum atque Hernicorum defectione; seditio, unde minime timeri potuit, a patriciæ gentis viro et inclytæ famæ, M. Manlio Capitolino: qui nimius animi,[18 o] cum alios principes sperneret, uni invideret, eximio simul honoribus atque virtutibus, M. Furio, ægre ferebat, 'solum eum in magistratibus, solum apud exercitus esse; tantum jam eminere, ut iisdem auspiciis creatos non pro collegis, sed pro ministris habeat; cum interim, si quis vere æstimare velit, a M. Furio recuperari patria ex obsidione hostium non potuerit, nisi a se prius Capitolium atque arx servata esset: et ille, inter aurum accipiendum et spem pacis solutis animis, Gallos aggressus sit; ipse armatos

[a] *Qui hostes, instar pestis, lateribus suis (Hernicorum et Latinorum) inhærentes, non potuerint tot continuis bellis extingui. His igitur Senatui renuntiatis, judicatum est, etsi causa belli non deesset, tempus tamen ei suscipiendo minus esse idoneum.*

14 'Videtur abundare τὸ *in*.' J. F. Gronov.—15 *Exhaurire* ed. Stroth. *Exhauriri* tamen se præferre notat Doering.

16 *A. Manlio, P. Cornelio.* Utrique addendum τὸ *iterum* notant Glareanus et Pighius.—17 Vulg. *L. Papirio Cursore tribunis cons. pot.* Vid. inf. et Not.

NOTÆ

[m] *A. Manlio, P. Cornelio*] Adde utrique *iterum* ex Glar. et Pighio: quandoquidem ante quadriennium quoque collegæ fuerant.

[n] *L. Papirio Cursore iterum*] Adjectum est juxta Glareani et Sigonii conjecturam *C. Sergio iterum.* Cum enim eo tempore sex tribuni militum crearentur, nec nisi quinque tribunorum nomina hic vulgo edantur, unius nomen omissum videtur. Eum autem *C. Sergium* fuisse inde credibile fit; quod jam ante semel in eo magistratu fuerit: mox vero III. tribunus militum legatur apud Livium. Quo autem anno iterum hac dignitate functus sit, nullibi habetur.

* A. U. C. 369.

[o] *Nimius animi*] Ut apud Tacitum III. Hist. 'Sermonis nimius erat.' Est autem *nimius animi*, qui animo est ultra modum elato, sibique plus, quam æquum sit, arrogat.

capientesque arcem depulerit: illius gloriæ pars virilis apud omnes milites sit, qui simul vicerint; suæ victoriæ neminem omnium mortalium socium esse.' His opinionibus inflato animo, ad hoc vitio quoque ingenii vehemens et impotens, postquam inter Patres non, quantum æquum censebat, excellere suas opes animadvertit; primum [19] omnium ex Patribus popularis [p] factus, cum plebeiis [20] magistratibus consilia communicare; criminando Patres, alliciendo ad se plebem, jam aura, non consilio, ferri,[q] famæque magnæ malle, quam bonæ esse: et, non contentus agrariis legibus,[r] quæ materia semper tribunis plebi seditionum fuisset, fidem moliri cœpit: [1 s] 'acriores quippe

Var.—18 Vulg. *qui nimius animis.*—19 'Immo *primus*, quod pæne omnes probant: nam h. l. ad ipsum hominem, propter voc. *omnium*, refertur, non, ut VIII. 15. extr. ad rem ipsam et ad *factus.*' Bauer.—20 *Plebis* Gronov. Doujat. Crevier. Grut. Drak.—1 'In omnibus Mss. et edd. antt. legitur inepte *idem moliri:* unde *fidem moliri* emend. Sigon. et Gronov. Suspicari

NOTÆ

[p] *Primum omnium ex Patribus popularis*] Tan. Faber *primus omnium.* Sed et sine mutatione sententia constat. Est enim *primum omnium*, quasi dicas, *ante omnia.*

[q] *Aura, non consilio, ferri*] Popularis *aura*, vel *aura* absolute, est aspirans alicui vulgi favor, qui incerto atque instabili motu huc illuc fertur, auræ ac venti more.

[r] *Non contentus agrariis legibus*] Mens est Livii, Manlium hunc non iisdem artibus usum, quibus priores popularem auram captaverant, nec contentum exemplis sive Sp. Cassii, agrariam legem proferentis, sive Sp. Mœlii frumentum plebi largientis, nova et peculiari via ad demerendos plebeiorum animos grassatum, sua scilicet pecunia liberando eos qui ære alieno oppressi vincula timebant.

[s] *Fidem moliri cœpit*] Veteres editiones ex codicibus scriptis, *idem moliri cœpit:* quod cum nullum idoneum sensum habeat, vir magnus interserendum censuit, *ex ære alieno idem moliri cœpit.* Melius præposita unica litera Sigonius *fidem moliri:* est enim hic, *moliri*, commovere ac convellere: ut lib. IX. 'num montes moliri sua sede paramus?' Et hoc ipso libro, 'moliri obices portarum.' *Fides* vero sumitur pro pactorum servandorum studio ac diligentia, præcipue in mutua pecunia. Fides itaque labefactatur, immo 'nulla esse potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum,' ut loquitur Cic. a Gron. laudatus. Verum non id agebat Manlius, ne creditoribus satisfieret, cum sua ipse pecunia debitum exsolveret, ut infra cap. 14. Vide num *moliri fidem* sit, vel fidei inter debitores et creditores intercedentis vinculum tollere conari, vel sibi ipsi fidem astruere ac machinari, ut tota fides penes unum esset, omniaque negotia civitatis ab ejus nutu penderent. Virgil. non absimili forma dixit,

æris alieni stimulos esse, qui non egestatem modo atque ignominiam minentur, sed nervo ac vinculis corpus liberum territent.' Et erat æris alieni magna vis, re damnosissima etiam divitibus,[2] ædificando contracta.[b] Bellum itaque Volscum, grave per se, oneratum Latinorum atque Hernicorum defectione, in speciem causæ jactatum, ut major potestas quæreretur. Sed nova consilia Manlii magis compulere senatum ad dictatorem creandum. Creatus A. Cornelius Cossus magistrum equitum dixit T. Quintium Capitolinum.

12. Dictator, etsi majorem dimicationem[t] propositam domi, quam foris, cernebat; tamen, seu quia celeritate ad bellum opus erat, seu victoria triumphoque dictaturæ ipsi vires se additurum ratus, delectu habito in agrum Pomptinum, quo a Volscis exercitum indictum audierat, pergit. Non dubito, præter satietatem, tot jam libris assidua bella cum Volscis gesta legentibus illud quoque succursurum,[c] (quod mihi percensenti propiores temporibus harum rerum auctores miraculo fuit,) unde toties victis Volscis et Æquis suffecerint milites. Quod cum ab antiquis tacitum prætermissumque sit;[3] cujus tandem ego rei præter opinionem, quæ sua cuique conjectanti esse potest, auctor sim? Simile veri est, aut intervallis bellorum, sicut nunc in delectibus fit Romanis, alia atque alia subole juniorum ad bella instauranda toties usos esse; aut non ex iisdem sem-

[b] *Grande erat æs alienum, conflatum a plebeiis construendo ædes, quæ res etiam locupletibus detrimento maxime est.*

[c] *Fore ut hoc etiam in mentem veniat.*

possis *amoliri* vel *abolere.*' Rupert. Vid. Not. Var.—2 Vulg. *res damnosissima etiam divitibus.*

3 ' Malim equidem, quod est apud Drak. in Leid. pr. Haverk. et Fragm. Hav. a m. pr. *tacitum prætermissum sit;* rectius enim dicitur: ' prætermittitur aliquid tacitum,' quam, ' tacetur aliquid et prætermittitur.'' *Doering.*—

NOTÆ

'classem,' 'arcem,' 'moram,' 'insidias moliri.'

[t] *Majorem dimicationem*] Suspicabatur enim plus periculi ab intestinis motibus plebis a Manlio ad seditionem concitandæ, quam a bello Volsco.

per populis[u] exercitus scriptos, quanquam eadem semper gens bellum intulerit; aut innumerabilem multitudinem liberorum capitum in eis fuisse locis, quæ nunc, vix seminario exiguo militum relicto, servitia Romana ab solitudine vindicant.[d x] Ingens certe, (quod inter omnes auctores convenit,) quanquam nuper Camilli ductu atque auspicio accisæ res erant, Volscorum exercitus fuit. Ad hoc[4] Latini Hernicique accesserant, et Circeiensium quidam, et coloni etiam a Velitris Romani. Dictator,[5] castris eo die positis, postero cum auspicato prodisset, hostiaque cæsa pacem Deum adorasset,[y] lætus ad milites, jam arma ad propositum pugnæ signum, sicut edictum erat, luce prima capientes, processit: 'Nostra victoria est, milites,' inquit, 'si quid Dii vatesque eorum in futurum vident. Itaque, ut decet certæ spei plenos, et cum imparibus manus conserturos, pilis ante pedes positis, gladiis tantum dextras armemus:[6] ne procurri quidem ab acie velim, sed obnisos vos stabili gradu impetum hostium excipere. Ubi illi vana injecerint[7] missilia,[z] et effusi stantibus vobis se intulerint, tum micent gladii, et veniat in mentem unicuique, Deos esse, qui Romanum adjuvent; Deos, qui secundis avibus in prælium

[d] *Aut infinita hominum liberorum multitudine regiones illas tunc refertas fuisse, quæ nunc desertæ propemodum essent, nisi quod per servos Romanorum ea colentes loca liberantur a solitudine: adeo ut vix satis civium supersit, quod ad perexiguum militum supplementum sufficiat.*

4 Conj. J. F. Gronov. *Ad hos.*—5 Gronov. Doujat. Crevier. all. *Velitris. Romanus Dictator.*—6 Vulg. *dextram armemus.*—7 'Recide præpositionem: sufficit enim, *vana jecerint.* Tacitus: 'telisque non in vanum jactis.'' *J. F.*

NOTÆ

[u] *Non ex iisdem semper populis*] Sumuntur hic *populi* pro diversis gentis ejusdem civitatibus aut oppidis.

[x] *Ab solitudine vindicant*] Italiæ, olim populosissimæ ac feracissimæ, postea incultæ, aut in delicias tantum hortorum occupatæ, hanc solitudinem, et servorum multitudinem infinitam, testatur queriturque Tiberius III. Annal. Taciti.

[y] *Hostiaque cæsa pacem Deum adorasset*] *Pax* pro venia et propitiatione; *adorare*, pro precari et exorare.

[z] *Ubi illi vana injecerint missilia*] Cur *vana missilia* vocat? Nempe quod minus prosint ad summam victoriæ, quæ plerumque magis pendet ex eo quod collato pede et cominus ferro decernitur.

miserint. Tu, T. Quinti,[8] equitem intentus ad primum initium moti certaminis teneas: ubi hærere jam aciem collato pede videris, tum terrorem equestrem occupatis alio pavore infer; invectusque ordines pugnantium dissipa.' Sic eques, sic pedes, ut præceperat, pugnant: nec dux legiones, nec fortuna fefellit ducem.

13. Multitudo hostium, nulli rei,[9] præterquam numero, freta,[a] et oculis utramque metiens aciem, temere prælium iniit, temere omisit: clamore tantum missilibusque telis et primo pugnæ impetu ferox, gladios et collatum pedem et vultum hostis, ardore animi micantem, ferre non potuit. Impulsa frons prima, et trepidatio subsidiis illata,[b] et suum terrorem intulit eques: rupti inde multis locis ordines, motaque omnia, et fluctuanti similis[10] acies erat. Deinde, postquam, cadentibus primis, jam ad se quisque perventuram cædem cernebat, terga vertunt. Instare Romanus, et, donec armati confertique abibant, peditum labor in persequendo fuit. Postquam jactari arma passim, fugaque per agros spargi aciem hostium animadversum est; tum equitum turmæ emissæ, dato signo, ne, in singulorum morando cæde,[c] spatium ad evadendum interim multitudini darent: satis esse, missilibus ac terrore impediri[11] cursum, obequitandoque agmen teneri, dum assequi pedes[e] et justa cæde conficere hostem posset.[f] Fugæ sequendique non

[e] *Detineri aciem hostium, donec pedites, &c.*
[f] *Plena strage profligare.*

Gronov.—8 Vulg. *Tu Quinti.*

9 Scribendum monet J. F. Gronov. *nulla re.*—10 Vulg. *fluctuantis sim.*—11 '*Impedire* Drak. et Ed. Cel. A. G. Ernesti. Illa forsan operarum incuria: nam, unico excepto, omnes Mss. nostram lectionem [*impediri*] exhibent.' *Stroth.*

NOTÆ

[a] *Nulli rei, præterquam numero, freta*] Non abs re scribi jubet Gronov. *nulla re:* ut lib. IX. 'Etrusci omnium præterquam multitudinis suæ, qua sola freti erant, immemores.'

[b] *Et trepidatio subsidiis illata*] *Subsidia* pro subsidiariis, qui in postrema acie. *Le corps de reserve.*

[c] *Dato signo, ne, in singulorum morando cæde*] Signum dari dicitur in bello, non solum cum tubarum cornuumve sono monentur milites, sed etiam cum ducis imperia voce eduntur ac transmittuntur.

ante noctem finis fuit: capta quoque ac direpta eodem die castra Volscorum, prædaque omnis, præter libera corpora, militi concessa est. Pars maxima captivorum ex Latinis atque Hernicis fuit: nec hominum de plebe, ut credi posset mercede militasse, sed principes quidam juventutis inventi; manifesta fides, publica ope Volscos hostes adjutos.[g] Circeiensium quoque quidam cogniti, et coloni a Velitris: Romamque omnes missi percunctantibus primoribus Patrum eadem, quæ dictatori, defectionem sui quisque populi, haud perplexe indicavere.

14. Dictator exercitum in stativis tenebat, minime dubius, bellum cum his populis Patres jussuros; cum major domi exorta moles coëgit acciri Romam eum, gliscente in dies seditione, quam solito magis metuendam auctor faciebat. Non enim jam orationes modo M. Manlii, sed facta, popularia in speciem, tumultuosa eadem, qua mente fierent, intuenda[12] erant.[d] Centurionem, nobilem militaribus factis, judicatum pecuniæ[e] cum duci vidisset, medio foro cum caterva sua accurrit, et manum injecit: vociferatusque de superbia Patrum, ac crudelitate fœneratorum, et miseriis plebis, virtutibus ejus viri fortunaque, 'Tum vero ego,' inquit, 'nequicquam hac dextra Capitolium arcemque servaverim, si civem commilitonemque meum, tanquam Gallis[13] victoribus captum, in servitutem ac vincula duci[f]

[g] *Unde perspicuum indicium factum Volscis, Romanorum hostibus, a Latinis Hernicisque publica auctoritate auxilium latum esse.*

12 Scribend. monet J. F. Gron. *intuenti:* bene, judice Stroth.—13 All. *a Gallis.*

NOTÆ

[d] *Intuenda erant*] Fatetur Gron. sic scriptum esse in omnibus libris. Legendum tamen censet, *intuenti:* atque ita interpretatur: Manlii non modo orationes, sed etiam actiones fuisse prima fronte populares: sed consideranti quo consilio fierent, omnino seditiosas fuisse. At Livii mens est, dictatori hæc fuisse inspicienda, ut nempe obviam iret seditioni si quæ moveretur.

[e] *Judicatum pecuniæ*] *Pecuniæ judicatus,* est damnatus certa pecunia, quales a prætore creditori addicebantur ex lege duodecim tabularum, nisi intra dies triginta solverent.

[f] *In servitutem ac vincula duci*] Ob æs alienum creditori addictus, nisi pactus esset, habebatur in vinculis dies sexaginta, A. Gellio auctore:

videam.' Inde rem creditori[g] palam populo solvit, libraque et ære liberatum[h] emittit, Deos atque homines obtestantem, 'ut M. Manlio, liberatori suo, parenti plebis Romanæ, gratiam referant.' Acceptus extemplo in tumultuosam turbam et ipse tumultum augebat, cicatrices acceptas Veienti, Gallico, aliisque deinceps bellis ostentans. 'Se militantem, se restituentem eversos penates, multiplici jam sorte exsoluta,[i] mergentibus semper[14] sortem usuris,[k]

NOTÆ

poteratque a creditore aut alicui peregrino in servitutem vendi, aut etiam interfici. Quod, si plures forent creditores, quibus reus esset judicatus, secare, si vellent, atque partiri corpus sibi addicti hominis, permiserunt decemviri: adeo grave ipsis visum fidem fallere. Sed eo atrocitatis nunquam ventum legimus. Et postea cœperunt operæ loco pecuniæ præstari.

[g] *Rem creditori*] Pro pecunia, et re familiari, *rem* absolute dici nemo ignorat. Sed et litem, sive negotium quod in jure judiciove agitur, et signate *rem* quæ in contentione versatur, *rei* nomine intelligunt jurisconsulti: ut cum rei vindicationem dicunt, aut tanti damnandum reum, quanti ea res sit. Itaque creditori Manlius judicatum solvit pro debitore centurione: nam qui damnatum pecuniæ duci videbat a creditore, poterat soluta summa, vel promissa, (si ejus fidem creditor sequeretur,) creditorem judicatum atque addictum liberare.

[h] *Libraque et ære liberatum*] In distrahendo perinde ac in contrahendo æs et libram Romani veteres adhibebant. Ælius Gallus Jurisconsultus apud Varronem VI. de L. L. 'Necti dicit quicquid per æs et libram geritur, cujus generis est testamenti factio, nexi datio et nexi liberatio.' Ut enim solenni ritu res aut jus, domini voluntate, acquirerentur, imaginariæ venditionis species celebrabatur, præsentibus quinque testibus civibus Romanis puberibus, et libripende, (qui libram quasi pendendi æris causa tenebat,) eoque qui coëmtor aut familiæ emtor dicebatur, quique asse, dicis causa, in libram injecto, conceptis verbis rem, quæ ageretur, exprimebat veluti si emendum esset mancipium, dicendo: 'Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio, hoc ære atque hac libra.' His itaque solennibus Manlius jus, quod creditor in debitorem sibi addictum habebat, in se transtulit, exsoluto debito. Diciturque signate eum *emisisse*, quasi a servitute vindicatum manumisisset.

[i] *Multiplici jam sorte exsoluta*] Tantum usurarum se creditori solvisse queritur, ut si in unum conferatur quod usurarum nomine præstitum fuerat, et cum sorte comparetur, eam multis partibus, nec semel, sed sæpius exsuperet: *que les interêts surpassent le principal de beaucoup que le principal est doublé ou triplé par les interêts.* Iniquum autem est plus exigi ratione usurarum quam fuerit in sorte: ac longe magis usuras in sortem converti, ut sic usurarum usuræ debeantur: quæ species anatocismus Græca voce appellatur.

[k] *Mergentibus semper sortem usuris*] Alias legebatur *se per sortem:* nullo satis idoneo sensu. Laudandi melioris lectionis auctores, qui *semper*

obrutum fœnere esse: videre lucem,[l] forum, civium ora, M. Manlii opera: omnia parentum beneficia ab illo se habere: illi devovere[15] corporis vitæque ac sanguinis quod supersit. Quodcumque sibi cum patria, penatibus publicis ac privatis, juris fuerit, id cum uno homine esse.'[h] His vocibus instincta plebes cum jam unius hominis esset, addita alia commotioris[16] ad omnia turbanda consilii res. Fundum in Veienti, caput patrimonii,[i] subjecit præconi:[m] 'Ne quem vestrum,' inquit, 'Quirites, donec quicquam in re mea supererit, judicatum addictumve duci patiar.' Id vero ita accendit animos, ut per omne fas ac nefas secuturi vindicem libertatis viderentur. Ad hoc domi, concionantis in modum, sermones pleni criminum in Patres:[k] inter quos, cum omisso discrimine vera an vana jaceret, 'thesauros Gallici auri[n] occultari a Patribus' jecit:[17][l] 'nec jam possi-

[h] *Esse penes Manlium.*

[i] *Prædium rusticum, quod in agro Veienti habebat, præcipuam partem bonorum suorum.*

[k] *Criminationibus in Senatum referti.*

[l] *Cum Manlius, nulla habita ratione an veritati consentanea, an conficta et futilia essent quæ promeret, in vulgus jactavit abscondi a Senatoribus aurum Gallicum.*

—14 Vulg. *se per.* Conjicit Doujat. *super.*—15 Vet. lib. apud Sigonium *illi se devovere.*—16 '*Commodioris,* quod in uno Ms. et quibusdam edd. legitur, vel *accommodatioris* recte, opinor, conj. Stroth.' *Rupert.*—17 Voc. *jecit* delendum putabat J. F. Gronov. et post *inter quos* subintell. *erat.* 'Aliud vitii latet in verbis *cum omisso . . . . jaceret.* Quid enim respondet τῷ *cum?* Nam

NOTÆ

reposuerunt. Eos secutus Glarean. hunc locum non male explanat, etsi dubitare videatur quid sit *sortem mergere.* Metaphora tamen est non inelegans, quod usuræ, quarum solutio sortem, tanquam corpus aliquod fluctuans, sublevare quodammodo debebat, adeo graves fuerint, ut impar iis præstandis debitor nihil potuerit creditori solvere, quod in sortem imputaretur, eamque minueret: et ita sors, ipseque debitor, usuris, quasi fluctibus, semper obrutus manserit. Sed quidni legerimus, *mergentibus super sortem usuris,* ut superadditum sorti fœnus debitorem mersisse dicatur?

[l] *Videre lucem*] Repete ex superioribus *se.*

[m] *Subjecit præconi*] Venalem palam prædicari jussit per præconem, ut ex ejus pretio paratam haberet pecuniam, qua obæratis subvenire posset. Hæc enim erat auctionis seu publicæ sub hasta venditionis forma. Cic. Phil. I. 'Hasta posita pro æde Jovis Statoris, bona Cn. Pompeii voci acerbissimæ subjecta præconis.'

[n] *Thesauros Gallici auri*] Insinuat aurum, quod redimendo a Gallis Ca-

dendis publicis agris contentos esse, nisi pecuniam quoque publicam avertant: ea res si palam fiat, exsolvi plebem ære alieno posse.' Quæ ubi objecta spes est, enimvero indignum facinus videri, cum conferendum ad redimendam civitatem a Gallis aurum fuerit, tributo collationem factam;[18] idem aurum, ex hostibus captum, in paucorum prædam cessisse. Itaque exequebantur quærendo,[o] ubi tantæ rei furtum occultaretur;[19] differenteque, et tempore suo se indicaturum dicente, ceteris omissis, eo versæ erant omnium curæ; apparebatque, nec veri indicii[p] gratiam mediam, nec falsi offensionem fore.

15. Ita suspensis rebus dictator, accitus ab exercitu, in Urbem venit. Postero die senatu habito, cum, satis periclitatus voluntates hominum, discedere senatum ab se vetuisset, stipatus ea multitudine, sella in comitio posita, viatorem ad M. Manlium misit; qui, dictatoris jussu vocatus, cum signum suis dedisset, adesse certamen, agmine ingenti ad tribunal venit. Hinc senatus, hinc plebs, suum

jaceret pendet ab *an* et omisso *ne*. Ergo aut *ἀνακόλουθος* oratio est, aut *cum* delendum, et post *vana* interpungendum, ut *essent* suppleatur, et *jaceret* referatur ad *cum*; aut *jecisset* pro *jecit* legendum, ut verba *quæ ubi objecta spes est* rel. sint consequentis loco.' *Bauer*. 'Omnia plana sunt, si legeris *cum omisso* (sine) *discrimine vera ac vana jaceret*, ... *nec jam possidendis publicis agris contentos esse, nisi pecuniam publicam avertant*.' Idem. 'Particulam *cum*, quæ turbat plane orationis nexum et concinnitatem, delendam censeo; nec comparet illa in uno Lovel. 5. apud Drak.' *Doering*.—18 'Nescio, quid scabri habet sequens oratio. Pro *cum* fortasse legendum est, *quod*, et pro *tributo collationem factam* recipienda lectio quæ in quibusdam codd. apud Drak. apparet: *tributo collatione facta:* sic certe ad meum sensum melius cohæret oratio.' *Doering*.—19 'Duo meliores Pall. et alter Voss. *peroccultaretur*. Forte fuit: *ubi tantæ rei furtum, per quos occultaretur*.' J. F. Gronov.

NOTÆ

pitolio collatum, aut ex eorum deinde spoliis redactum sit, in ærarium inferri debuisse.

[o] *Itaque exequebantur, quærendo*] Quod cœptum erat a Manlio, continuare volebant plebeii atque perficere. Nisi ita intelligas, haud sane video quid sibi velit verbum *exequi*, nullo adjecto accusativo, aut indicato. Scripserat forte Livius, *Hæc sequebantur*, id est, dictis Manlii postremis adhærentes, ac fidem habentes, sciscitabantur, ubi, &c.

[p] *Apparebatque, nec veri indicii*] Nec dubitabatur quin futurum esset, ut Manlius, hac denuntiatione, in non mediocri esse sive plebis gratia, si quidem verum esset indicium, sive Senatus, forte etiam delusæ plebis, offensa, si id falsum inveniretur.

quisque intuentes ducem, velut in acie constiterant. Tum dictator, silentio facto, 'Utinam,' inquit, 'mihi Patribusque Romanis ita de ceteris rebus cum plebe conveniat, quemadmodum, quod ad te attinet eamque rem, quam de te sum quæsiturus, conventurum satis confido. Spem factam a te civitati video, fide incolumi, ex thesauris Gallicis, quos primores Patrum occultent, creditum solvi posse.[m] Cui ego rei tantum abest ut impedimento sim, ut contra te, M. Manli, adhorter, liberes fœnere plebem Romanam; et istos, incubantes publicis thesauris, ex præda clandestina evolvas.[n] Quod nisi facis, sive quod et ipse[20] in parte prædæ sis, sive quia vanum indicium est,[o] in vincula te duci jubebo, nec diutius patiar, a te multitudinem fallaci spe concitari.'[p] Ad ea Manlius, 'nec se fefellisse,' ait, 'non adversus Volscos toties hostes, quoties Patribus expediat, nec adversus Latinos Hernicosque, quos falsis criminibus in arma agant, sed adversus se ac plebem Romanam, dictatorem creatum esse. Jam, omisso bello, quod simulatum sit, in se impetum fieri: jam dictatorem profiteri patrocinium fœneratorum adversus plebem: jam sibi ex favore multitudinis crimen et perniciem quæri. Offendit,' inquit, 'te, A. Corneli, vosque, Patres conscripti, circumfusa turba lateri meo? Quin eam diducitis a me singuli vestris beneficiis,[q] intercedendo,[q] eximendo de nervo

[m] *Pecuniam mutuo datam plebi posse ex auro Gallico solvi, ita ut salva sit fides publica, et redintegretur inter ordines fiducia.*

[n] *Avellas ab occultis spoliis, quibus clam coacervatis eos incubare jactas, et quasi involutos.*

[o] *Seu quod tu ipse (qui e numero quoque Senatorum es) particeps sis prædæ, seu quod confictum sit quod indicasti.*

[p] *Id se haud latuisse.*

[q] *Cur non vestrum unusquisque (bene merendo de plebe, quemadmodum ego facio) hunc globum a me separatum dispergitis atque ad vos attrahitis.*

NOTÆ

[q] *Intercedendo*] Verbum e jure depromtum, quod significat, *fide jubere*, alterius obligationem in se suscipere, et inter creditorem ac debitorem spondendo intervenire, *s'obliger pour le debiteur, intervenir comme caution.* Dives autem qui pro minus locuplete intercedit, facile obtinet ne hic debitor nimium urgeatur, cum debitum in tuto collocet. Hoc autem a patriciis in gratiam clientum non fieri, exprobrat Manlius.

cives vestros, prohibendo judicatos addictosque duci, ex eo, quod affluit opibus vestris, sustinendo necessitates aliorum? Sed quid ego vos, de vestro impendatis, hortor? Sortem aliquam[1] ferte,[r] de capite deducite, quod usuris pernumeratum est: jam nihilo mea turba, quam ullius, conspectior erit. At enim, quid ita solus ego civium curam ago? Nihilo magis, quod respondeam, habeo, quam si quæras, quid ita solus Capitolium arcemque servaverim.[2] Et tum universis, quam potui, opem tuli, et nunc singulis feram. Nam quod ad thesauros Gallicos attinet, rem, suapte natura facilem, difficilem interrogatio facit. Cur enim quæritis, quod scitis? cur, quod in sinu vestro est,[s] excuti jubetis[t] potius, quam ponatis,[3] nisi aliqua fraus subest?

20 *Sive ut et ipse* Gronov. Donjat. Crevier.—1 Vulg. *aliam.*—2 Vulg. *servarim.*—3 Pro *ponatis* malim equidem *promatis,* h. e. quod paulo post dici-

NOTÆ

[r] *Sortem aliquam* [*aliam*] *ferte*] Mss. et editiones antiquæ *sortem aliquam ferte.* Sed non hic nodus: verum in acceptione verbi *ferre*, et nominis *sors*, quæ non unum habent intellectum. Nam quod ad rem pertinet, *sors* dici potest pro summa principali, seu capite debiti; et pro conditione ac statu vario hominum, rerum, temporum, sive pro fortuna. *Ferendi* autem verbum vel sumi potest pro eo quod est tolerare, pati: vel pro, afferre, proponere, dare, ut cum dicimus, novam conditionem alicui ferre. Gronovius ita explicat, quasi hoc Manlius velit: 'Sorte tandem aliqua et pecuniæ summa contenti estote, nec eam renovate semper anatocismis,' id est, usuris, quæ non solvantur, ad summam crediti additis: quæ sententia satis commoda videtur. Sic etiam accipi posset, ut esset, aliquam calamitatis publicæ partem a patriciis creditoribus subeundam, ut usuras ex credito deducendo sublevarent plebeios debitores. Licebit etiam ita interpretari: Summam principalem, sive caput debiti, immutate, ut *alia* et minor, detractis ex ea usuris, fiat: vel, *Offerte novam* vel *aliam* summam, ab ea quam usuris adjectis multiplicastis; vel certam aliquam, quæ semper eadem sit, nec per accessionem usurarum in dies crescat.

[s] *Quod in sinu vestro est*] Proprie *sinus* vestis (prout hic sumitur) videtur fuisse pars quædam tanquam excurrens in dextra lacinia, ut toga a dextra in sinistrum humerum rejiceretur. Eo velut pera Romani olim utebantur, cum femoralibus et manicis ut plurimum carerent. Unde 'habere in sinu' est, apud se, sive in sua potestate habere, tanquam ea quæ nobiscum ferimus. Dicitur et 'in sinum conjicere,' pro furari.

[t] *Excuti jubetis*] Quasi e sinu vestro, ubi reconditi: prosequitur metaphoram. 'Non plebs excutere debet,' et quærere quod occultatum est, sed vos ipsi expromere, ac restituere.

Quo magis argui præstigias jubetis vestras, eo plus vereor, ne abstuleritis observantibus etiam oculos.[4 u] Itaque non ego, vobis ut indicem prædas vestras, sed vos id cogendi estis, ut in medium proferatis.'

16. Cum mittere ambages dictator juberet, et aut peragere verum[5] indicium cogeret,[x] aut fateri facinus insimulati falso crimine senatus, oblatæque vani furti invidiæ;[r] negantem, arbitrio inimicorum se locuturum, in vincula duci jussit. Arreptus a viatore, 'Jupiter,' inquit, 'optime maxime, Junoque Regina ac Minerva, ceterique Dii Deæque, qui Capitolium arcemque incolitis, siccine vestrum militem ac præsidem[y] sinitis vexari ab inimicis? Hæc dextra, qua Gallos fudi a delubris vestris, jam in vinculis et catenis erit?' Nullius nec oculi nec aures indignitatem ferebant: sed invicta sibi quædam patientissima justi imperii civitas

[r] *Et odii in senatum concitati ex falso furto.*

tur, in medium proferatis.' *Doering.*—4 Vid. Not. inf.

NOTÆ

[u] *Ne abstuleritis observantibus etiam oculos*] Nihil est quod contra fidem et manuscriptorum et priscarum editionum cum Sigonio et Glareano legamus *oculis*, aut etiam cum Freinshemio *occulti*. Quid enim clarius, quam quod ait *abstulisse oculos*, non solum spectantibus, sed vel etiam *observantibus:* furum scilicet, aut præstigiatorum more, qui tanta arte furta præstigiasve suas exequuntur, ut acutissimi cujusque, quantumvis maxime attenti, oculos fallant.

[x] *Peragere verum indicium cogeret*] Tan. Faber istud *verum* deleri vult: Gronovio suspectum est, *cogeret:* utrumque tanquam supervacaneum. Neutrum tamen redundat: licet enim *peragere* plerumque sit 'perficere,' atque 'ad exitum perducere;' nec *peragi* hoc sensu recte possit indicium, nisi *verum* demonstretur id quod indicatur, quemadmodum apud jurisconsultos peregisse reum non alias quis videtur, nisi et condemnaverit; nonnunquam tamen compositum *perago* pro simplici *ago* ponitur. Qua ratione dicitur quis peragere partes suas, vel officium, peragere laboris pensum; etiamsi non accurate perficiat atque absolvat. Indicium autem fecisse non sufficit, sed oportet *verum* ostendere. Quamvis etiam sufficere posset verbum *juberet* quod præcedit, plus tamen est *cogere.*

[y] *Vestrum militem ac præsidem*] Præses dicitur non solum qui præest ac præsidet, sed custos ac vindex, qui nimirum præsto est, qui præsidio est. Cic. pro Sext. 'Senatus reip. custos, præses, propugnator.' Sic militem se ac præsidem Deorum qui in Capitolio colebantur Manlius non immerito dicit, id est, defensorem.

fecerat.[s] Nec adversus dictatoriam vim aut tribuni plebis, aut ipsa plebs, attollere oculos aut hiscere audebant. Conjecto in carcerem Manlio, satis constat, magnam partem plebis vestem mutasse,[z] multos mortales capillum ac barbam promisisse, obversatamque vestibulo carceris mœstam turbam. Dictator de Volscis triumphavit: invidiæque magis triumphus, quam gloriæ, fuit.[t] Quippe domi, non militiæ, partum eum; actumque de cive, non de hoste, fremebant: unum defuisse tantum superbiæ, quod non M. Manlius ante currum sit ductus. Jamque haud procul seditione res erat: cujus leniendæ causa, postulante nullo, largitor voluntarius repente senatus factus, Satricum coloniam duo millia civium Romanorum deduci jussit. Bina jugera et semisses agri assignati. Quod cum et parvum et paucis datum, et mercedem esse prodendi M. Manlii interpretarentur; remedio irritatur seditio. Et jam magis insignis et[6] sordibus et facie reorum turba Manliana erat, amotusque post triumphum abdicatione dictaturæ terror et linguam et animos liberaverat hominum.

17. Audiebantur itaque propalam voces exprobrantium multitudini, ‘quod defensores suos semper in præcipitem locum[5] favore tollat, deinde in ipso discrimine periculi destituat. Sic Sp. Cassium,[a] in agros plebem vocantem, sic Sp. Mælium,[b] ab ore civium famem suis impensis propulsantem, oppressos; sic M. Manlium, mersam et obrutam fœnere partem civitatis in libertatem ac lucem extrahentem,[c]

[s] *Sed populus, legitimæ potestatis tolerantissimus, nonnulla sibi ipse fecerat insuperabilia.*

[t] *Atque hic triumphus odium potius quam decus attulit Cornelio Cosso.*

5 Deleudum monet Tan. Faber. τὸ *verum*.—6 *Et* del. Gronov. Donjat. Crevier. all.

NOTÆ

[z] *Vestem mutasse*] Notus mos, quo non modo illustres rei, sed eorum quoque necessarii et amici, atra et sordida veste, summisso capillo, et barba, pœnam deprecabantur. Ut eo squalore ac deformi habitu misericordiam judicum provocarent.

[a] *Sp. Cassium*] Lib. II. c. 4.

[b] *Sp. Mælium*] Lib. IV. c. 14.

[c] *In libertatem ac lucem extrahentem*] Fœnus fluctibus assimilat, quibus demersi cœlum intueri non possunt; ubi emersere, lucem aspiciunt.

proditum inimicis. Saginare plebem[d] populares suos,[8] ut jugulentur. Hoccine patiendum fuisse,[9] [e] si ad nutum dictatoris non responderit[10] vir consularis? Fingerent mentitum[f] ante, atque ideo non habuisse, quod tum responderet: cui servo unquam mendacii pœnam vincula fuisse? Non observatam esse memoriam noctis illius, quæ pæne ultima atque æterna nomini Romano fuerit? non speciem agminis Gallorum, per Tarpeiam rupem scandentis? non ipsius M. Manlii, qualem eum armatum, plenum sudoris ac sanguinis, ipso pæne Jove erepto ex hostium manibus, vidissent? Selibrisne farris[g] gratiam servatori patriæ relatam? et quem prope cœlestem, cognomine certe Capitolino Jovi parem, fecerint, eum pati vinctum in carcere, in tenebris, obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam? Adeo in uno omnibus satis auxilii fuisse, nullam opem in tam multis esse?' Jam ne nocte quidem turba ex eo loco dilabebatur, refracturosque carcerem minabantur; cum remisso, id quod[11] erepturi erant,[h] ex senatus consulto Manlius vinculis liberatur. Quo facto non seditio finita, sed dux seditioni datus est.

7 *In præcipitem semper longum* Gronov. Donjat. Crevier.—8 'Qui sunt *populares plebis?* aut cives, qui sic nunquam dicuntur, nec vero hic locum habent; aut defensores ac fautores, qui simpl. *populares* dicuntur. An *suos* delebimus? an *patronos* aut *tutelares* legemus?' *Bauer.*—9 '*Hoccine patiendum f.* cum seqq. cohærebunt, si legeris *puniendum,* aut *non patiendum,* i. e. δεινὸν, indignum facinus. Mox *ante* ferri potest; sed egregie Faber conj. *autem.*' Bauer.—10 *Responderet* Gronov. Donjat. Crevier.—11 *Remisso eo*

NOTÆ

[d] *Saginare plebem*] Metaphora a victimis aut altilibus, qui lautiori cibo pinguefiunt, ut in aliorum voluptatem citius pereant.

[e] *Hoccine patiendum fuisse*] Supple, ut in carcerem duceretur vir consularis non alia de causa, quam quod non statim responderet ad nutum dictatoris.

[f] *Fingerent mentitum*] Esto mentitus fuerit antea Manlius, inquiebat plebs, aut ita fingant ejus inimici; ideone vincula meritus est?

[g] *Selibrisne farris*] Vide lib. v. c. 47.

[h] *Cum remisso, id quod erepturi erant*] Non illibenter circumscripserim τὸ, *id;* quo demto facilior fiet constructio. Erit enim *Remisso quod erepturi erant* idem ac *remissa, et condonata,* sive *concessa ea re,* quam per vim ablaturi videbantur plebeii: quanquam nihil vetat illud *remisso* referri ad præcedens nomen *carcere:* et quod sequitur, *id quod erepturi erant,* per parenthesin dici.

Per eosdem dies Latinis et Hernicis, simul colonis Circeiensibus et a Velitris,[12] purgantibus se Volsci crimine belli, captivosque repetentibus, ut suis legibus[i] in eos animadverterent, tristia responsa reddita; tristiora colonis, quod cives Romani patriæ oppugnandæ nefanda consilia inissent. Non negatum itaque tantum de captivis; sed, in quo ab sociis tamen temperaverant,[k] denuntiatum senatus verbis, facesserent propere ex Urbe, ab ore atque oculis populi Romani, ne nihil eos legationis jus, externo, non civi, comparatum, tegeret.

18. Recrudescente Manliana seditione, sub exitu anni comitia habita, creatique tribuni militum consulari potestate ex Patribus[l] Ser. Cornelius Maluginensis tertium, P. Valerius Potitus iterum, M. Furius Camillus,[13] Ser. Sulpicius Rufus iterum, C. Papirius Crassus, T. Quintius Cincinnatus secundum.* Cujus principio anni et Patribus et

quod Crevier.—12 Vulg. *colonis C. et Velitris.*

13 ' *Camillus quintum* Gronov. Doujat. Crevier. Si numerus adjiciendus

NOTÆ

[i] *Ut suis legibus*] Hoc ad Latinos quidem et Hernicos referri non ambigo. Videntur enim utrique suis legibus usi, cum adhuc sociorum loco magis essent, quam sub ditione populi Romani. Et cum Latinis ictum fuisse fœdus anno U. C. 261. coss. Sp. Cassio et Postumo Cominio, constat ex Liv. l. II. c. 33. et ex Diouys. Halicarn. extremo lib. VI. Sed utrum proprias leges habuerint Circeienses et Veliterni coloni, dubium faciunt quæ mox ipsis objiciuntur, nomine Senatus, quod scilicet 'cives Romani' cum essent, 'patriæ oppugnandæ nefaria consilia iniissent, ac deinde Legationis jus 'externo, non civi, comparatum,' sive concessum esse: ex quo sequitur has Romanorum civium fuisse colonias, et sic non alias habuisse quam Romanas leges. Aliunde tamen Circeiorum colonia a Tarquinio primum Superbo deducta, Sextoque filio data fuerat, nec ex solis civibus Romanis conflata: deinde a Marcio Coriolano capta Volscisque fuerat attributa, supra lib. II. c. 39. forte et Veliterni ac Circeienses Cassiano fœdere cum Latinis comprehensi, ut jus aliquod proprium habere potuerint.

[k] *In quo ab sociis tamen temperaverant*] Colonis non solum negati sunt captivi eorum cives, ut Latinis et Hernicis sociis: sed præterea imperatum ut confestim urbe excederent, qua injuria erga socios abstinuerat Senatus.

[l] *Ex Patribus*] Id est, omnes patricii, cum tamen ex plebe creari possent, et aliquando crearentur.

[m] *M. Furius Camillus* [*quintum*] Immo *sextum*, ex Sigon. qui notat in his tribunatuum numeris sæpe erratum, cum notis perscriberentur.

* A. U. C. 370.

plebi peropportune externa pax data: plebi, quod non avocata delectu spem cepit, dum tam potentem haberet ducem, fœneris expugnandi;[u] Patribus, ne quo externo terrore avocarentur animi ab sanandis domesticis malis. Igitur, cum pars utraque acrior aliquanto coorta esset, in propinquum certamen[n] aderat et Manlius. Advocata[14] domum plebe, cum principibus novandarum rerum interdiu noctuque consilia agitat, plenior aliquanto animorum irarumque, quam antea fuerat. Iram accenderat ignominia recens in animo ad contumeliam inexperto: spiritus dabat, quod nec ausus esset idem in se dictator, quod in Sp. Mælio Cincinnatus Quintius fecisset; et vinculorum suorum invidiam non dictator modo abdicando dictaturam fugisset, sed ne senatus quidem sustinere potuisset. His simul inflatus exacerbatusque jam per se accensos incitabat plebis animos: 'Quousque tandem ignorabitis vires vestras, quas natura ne belluas quidem ignorare voluit? numerate saltem, quot ipsi sitis, quot adversarios habeatis. Si singuli singulos aggressuri essetis, tamen acrius crederem vos pro libertate, quam illos pro dominatione, certaturos. Quot enim

[u] *Abolendi per vim fœnebre malum.*

est, legendum foret *sextum.*' Stroth. Vid. Not. Var.—14 *Esset; jam in prop. certamen aderat: et Manlius advocata* Gronov. Doujat. Crevier. *Coorta esset, jam prop. certamen aderat; et Manlius, advocata, &c.* conj. Gron. et Bauer. Ille vero malebat: *coorta esset in prop. certamen; Manlius, &c.* Vid. Not. Var.

NOTÆ

[n] *In propinquum certamen*] Codices quidam habent *in propinquo:* quod sane non est cur quisquam reprehendat. Gronov. tamen, ea lectione haud contentus, mavult, sublata præpositione *in*, aliisque verbis, sic emendare: *Cum pars utraque acrior aliquando coorta esset in propinquum discrimen; Manlius: &c.* Quid, si nihil mutandum, voluitque Livius, licet minus usitata, a suo tamen stylo non aliena, loquendi forma, scribere *certamen in propinquum aderat:* scilicet *tempus:* quemadmodum l. II. c. 20. l. X. c. 14. aliisque locis dixit, 'provolant in primum,' 'in primum successisset,' nimirum *locum.* Aut si conjunctio *et*, ante nomen *Manlius*, tollenda fuit, ut Gronov. visum, quid oberit quominus et legatur et intelligatur a quovis: *jam in propinquum certamen aderat Manlius, advocata, &c.*

clientes circa singulos fuistis patronos,[o] tot nunc adversus unum hostem eritis. Ostendite modo bellum;[x] pacem habebitis. Videant vos paratos ad vim; jus ipsi remittent. Audendum est aliquid universis, aut omnia singulis patienda. Quousque me circumspectabitis? Ego quidem nulli vestrum deero. Ne fortuna mea desit, videte. Ipse vindex vester, ubi visum inimicis est, nullus repente fui: et vidistis in vincula duci universi eum, qui a singulis vobis vincula depuleram. Quid sperem, si plus in me audeant inimici? an exitum Cassii Mæliique expectem? Bene facitis, quod abominamini: Dii prohibebunt hæc: sed nunquam propter me de cœlo descendent.[p] Vobis dent mentem, oportet, ut prohibeatis; sicut mihi dederunt armato togatoque, ut vos a barbaris hostibus, a superbis defenderem civibus. Tam parvus animus tanti populi est, ut semper vobis auxilium adversus inimicos satis sit; nec ullum, nisi quatenus imperari vobis sinatis,[q] certamen adversus Patres noritis? Nec[y] hoc natura insitum vobis est, sed usu possidemini. Cur enim adversus externos tantum animorum geritis, ut imperare illis æquum censeatis? quia consuestis cum eis pro imperio certare, adversus hos tentare magis, quam tueri, libertatem. Tamen qualescumque duces habuistis, qualescumque ipsi fuistis, omnia adhuc, quantacumque

[x] *Significate tantum vos ad arma paratos.*

[y] *Adeone pusilli animi vos, tam numerosus populus, estis, ut cum in vobis ipsis satis sit opis contra inimicos vestros, non tamen experiri audeatis conflictum ac dimicationem ullam contra senatores, nisi de eo, ut videatur in quantum patiendam putetis illorum dominationem. Vel, ut semper vobis sufficiat opem contra inimicos tantum habere; nec, &c.*

NOTÆ

[o] *Clientes circa singulos fuistis patronos*] De patriciis patronis plebeiorum, ex instituto Romuli, videndus inprimis Dionys. lib. II. Cum autem plures plebeiæ familiæ sub unius patricii patronatu essent, apparet quanto plures essent plebeii quam patricii.

[p] *Nunquam .... de cœlo descendent*] 'Dii quippe facientes adjuvant,' ut proverbio fertur apud Varronem, id est, industrios, non ignavos, ac cessantes; et vigilantibus, non dormientibus, jura succurrunt.

[q] *Quatenus imperari vobis sinatis*] Non de eo certatis, an vobis Senatus imperet, necne; sed ad quem usque modum vobis imperet vestro consensu et patientia.

petistis, obtinuistis seu vi, seu fortuna vestra. Tempus est, etiam majora conari.[15] Experimini modo et vestram felicitatem, et me (ut spero) feliciter expertum : minore negotio, qui imperet Patribus, imponetis, quam, qui resisterent imperantibus, imposuistis. Solo æquandæ sunt dictaturæ consulatusque, ut caput attollere Romana plebes possit. Proinde adeste, prohibete jus de pecuniis dici. Ego me patronum profiteor plebis, quod mihi cura mea[r] et fides nomen induit. Vos si[16] quo insigni magis imperii honorisve nomine vestrum appellabitis ducem, eo utemini potentiore ad obtinenda ea, quæ vultis.' Inde de regno agendi ortum initium dicitur ; sed nec cum quibus, nec quem ad finem consilia pervenerint, sat planum traditur.

19. At in parte altera senatus de secessione in domum privatam plebis, forte etiam in arce positam,[z] et imminenti mole libertati[17 s] agitat. Magna pars vociferantur, 'Servilio Ahala opus esse, qui non in vincula duci jubendo irritet publicum hostem, sed unius jactura civis finiat intestinum bellum.' Decurritur ad leniorem verbis

[z] *Consultabat senatus de cœtu plebis secedentis in privatas ædes (M. Manlii), quæ, ut casus ferebat, sitæ erant in arce.*

—15 Vet. lib. apud Sigon. *Unde tempus est etiam m. c. Jam* pro *etiam* dant Gronov. Doujat. Crevier. Malit et Rupert.—16 'Forte del. *si*, ut *quo* non sit, aliquo, sed *quo* et *eo* quasi quanto, tanto.' *Bauer.*

17 Legit Tan. Faber *imminentem publicæ libertati.* Conj. Bauer. *imminen-*

NOTÆ

[r] *Quod mihi cura mea*] Quod (Patroni vestri) nomen mihi ipse feci solicitudine in vos, et fideli opera.

[s] *Et imminenti mole libertati*] Legit Tan. Faber nullo auctore, *et imminentem publicæ libertati*, ut ad Manlii domum in Capitolio positam referat. Præclare, si ea Livio mens. Sed absque hoc intelligimus gravem ac timendam vim, quæ libertati ex illo seditioso cœtu impendeat. *Molis* certe vocabulum sive a moliendo, sive a movendo per antiphrasin derivatum, non solum pilam in mari ædificatam, sed rem quamvis magnam significat, quæ ægre moveri aut amoveri queat : sed pro molimine aut instrumento periculoso in aliquem destinato Cicero ponit, sensu ab hac Livii sententia non abhorrente, II. in Rull. 'Hi Capuam sedem novæ Reip. constituunt ; molem contra veterem Remp. comparant.'

sententiam, vim tamen eandem habentem, 'Ut videant magistratus, ne quid ex perniciosis consiliis M. Manlii res publica detrimenti capiat.' Tum tribuni consulari potestate,[18] tribunique plebi,[19] [t] (nam et, quia eundem et suæ potestatis,[20] quem libertatis omnium, finem cernebant, Patrum auctoritate se dediderant,) hi tum omnes, quid opus facto sit, consultant. Cum præter vim et cædem nihil cuiquam occurreret, eam autem ingentis dimicationis fore appareret; tum M. Mænius et Q. Publilius tribuni plebis,[1] 'Quid Patrum et plebis certamen facimus, quod civitatis [u] esse adversus unum pestiferum civem debet? Quid cum plebe[2] [x] aggredimur eum, quem per ipsam plebem tutius aggredi est, ut suis ipse oneratus viribus ruat? Diem dicere ei nobis in animo est. Nihil minus populare quam regnum est. Simul multitudo illa[3] non secum certari viderint, et ex advocatis judices facti erunt, et accusatores de plebe, patricium[4] reum intuebuntur, et regni crimen in medio; [y] nulli magis, quam libertati favebunt suæ.'

tem molem libertati.—18 Vet. lib. ap. Sigon. *tribuni militum consulari pot.*—19 *Plebei* Crevier. *plebis* Doujat.—20 'In verbis *nam et, quia eundem et suæ potestatis* cet. durum est, non tam geminum *et* pro *etiam* positum, quam quod prius *et* non habeat quo commode referatur; et vel exterminandum est primum *et*, vel intrudendum post illud pronomen *hi*, vel producenda parenthesis usque post voces *hi tum omnes.* [nisi hæ a librariis transpositæ sunt, et post verba *nam et* legendæ. *Rupert.*] Stroth.—1 Vulg. *M. Menenius et Q. Publius trib. pl.*—2 'Videtur legendum *Quin cum plebe.*' Sigon.—3 *Simul illa multitudo*, aut *simulac m. i.* conj. Bauer.—4 *Et* ante *patricium* excidisse suspicabatur Duk.

NOTÆ

[t] *Tribunique plebi* [*plebis*] Nunc popularitati adversi, quæ ruinam libertati, atque adeo magistratuum omnium potestati minaretur.

[u] *Quod civitatis*] Quod non plebeii ordinis adversus Senatorium, sed totius Reip. adversus Manlium solum certamen esse debet.

[x] *Quid cum plebe*] Non audiendus hic Sigonius, obtrudens *quin cum plebe, &c.* Recte eo nomine reprehensus a Godelevæo. Nolunt enim tribuni plebis oppugnari cum Manlio simul plebem: ostenduntque satius et securius esse, si plebs ipsa in illum armetur, tyrannidis suspicione injecta.

[y] *Et regni crimen in medio*] Ubi videbunt hinc plebem per tribunos suos accusantem; seque ipsos, non ut homines diversarum a senatu partium, spectari, sed cum nunc advocati Manlio adsint, judices ejusdem sessuros; inde virum patricium accusatum; atque inter se et illum de regno in Remp. reducendo agi; partes potius propriæ libertatis quam accusati amplectentur.

20. Approbantibus cunctis, diem Manlio dicunt. Quod ubi est factum, primo commota plebs est, utique postquam sordidatum reum viderunt, nec cum eo non modo Patrum quenquam, sed ne cognatos quidem aut affines, postremo ne fratres quidem A. et T. Manlios: quod ad eum diem nunquam usu venisset, ut in tanto discrimine non et proximi vestem mutarent. Ap. Claudio in vincula ducto, C. Claudium inimicum Claudiamque omnem gentem sordidatam fuisse. Consensu opprimi popularem virum,[z] quod primus a Patribus ad plebem defecisset. Cum dies venit,[a] quæ, præter cœtus multitudinis seditiosasque voces, et largitionem et fallax indicium, pertinentia proprie ad regni crimen ab accusatoribus objecta sint reo, apud neminem auctorem invenio. Nec dubito haud parva fuisse, cum damnandi mora plebi non in causa, sed in loco, fuerit.[b] Illud notandum videtur, ut sciant homines, quæ et quanta decora fœda cupiditas regni non ingrata solum, sed invisa etiam, reddiderit. Homines prope quadringentos produxisse dicitur, quibus sine fœnere expensas pecunias tulisset, quorum bona venire, quos duci addictos prohibuisset. Ad hæc, decora quoque belli non commemorasse tantum, sed protulisse etiam conspicienda; spolia hostium cæsorum ad triginta, dona imperatorum ad quadraginta:[c] in quibus insignes duas murales coronas, civicas octo. Ad hæc servatos[5] ex hostibus cives produxisse;[6] inter quos C. Servi-

NOTÆ

[z] *Consensu opprimi popularem virum*] Communi omnium patriciorum, immo et tribunorum plebis consensu.

[a] *Cum dies venit*] Quemadmodum in legum ferendarum, ita in judiciorum comitiis trinundinum servabatur. Tribus enim nundinarum diebus accusatio repetebatur ad populum a magistratu; prædicebatur dies, qua judicium futurum postea esset, quarta accusatione: quod ex Cic. discimus in oratione pro domo sua.

[b] *Non in causa, sed in loco, fuerit*] In damnando Manlio judicium plebis nequaquam ideo dilatum est, quod non satis magna videretur causa damnandi, (nam crimen ipsius pœnam mereri inter omnes conveniebat,) sed quod ex eo loco, ubi judicium peragebatur, (nempe ex Campo Martio, solenni centuriatorum comitiorum sede,) conspiceretur Capitolium, quod Manlius defenderat, atque idcirco venia dignus videretur.

[c] *Dona imperatorum ad quadraginta*] Livio nec cum Cicerone, nec cum Plinio satis convenire, in Manlii donorum numero, observat Glareanus.

lium magistrum equitum absentem nominatum. Et cum ea quoque, quæ bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica, facta dictis æquando, memorasset; nudasse pectus insigne cicatricibus [d] bello acceptis; et identidem, Capitolium spectans, Jovem Deosque alios devocasse ad auxilium fortunarum suarum, precatusque esse, ut, quam mentem sibi, Capitolinam arcem protegenti, ad salutem populi Romani dedissent, eam populo Romano in suo discrimine darent; et orasse singulos universosque, ut Capitolium atque arcem intuentes, ut ad Deos immortales versi, de se judicarent. In Campo Martio cum centuriatim populus citaretur,[e] et reus, ad Capitolium manus tendens, ab hominibus ad Deos preces avertisset, apparuit tribunis, nisi oculos quoque hominum liberassent ab tanti memoria decoris, nunquam fore in præoccupatis beneficio animis vero crimini locum.[a] Ita prodicta die,[f] in Pœtelinum [7] lucum [g] extra portam Nomentanam,[8] unde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum est. Ibi crimen valuit, et obstinatis animis triste judicium invisumque etiam judicibus factum. Sunt qui per duumviros,[h] qui de perduellione anquirerent,

[a] *Nunquam futurum ut plebeiorum mentes, præoccupatæ beneficio, crimen Manlii justa æstimatione metirentur.*

5 Vulg. *Ad hoc servatos.*—6 Vulg. *cives produxit.*—7 Al. *Petelinum.*—8 Al.

NOTÆ

[d] *Insigne cicatricibus*] Plerique codices habent *triginta tribus:* quem numerum ut subdititium atque ex Plinio adjectum alii sustulerunt.

[e] *Cum centuriatim populus citaretur*] Per centurias rogaretur, an pœnam a magistratu irrogatam, et quasi legem de capite Manlii acciperet, antiquaretve. Hic enim mos erat horum comitialium judiciorum.

[f] *Prodicta die*] Lege *producta*, ut apud Cic. 'Producta dies est in iv. idnum Februarii.' Vult enim judicium in aliam diem fuisse dilatum. At *prodicta dies*, sive *prodita*, id valet quod *prædicta*, quod hic non convenit: jam enim prædicta fuerat judicii dies.

[g] *In Pœtelinum lucum*] *Lucus Pœtelinus* a Sex. Rufo et P. Victore in 5. Urbis regione locatur. Fuitque in Campo Viminali sub Aggere juxta templum Junonis Lucinæ. Qui tamen an is sit, de quo nunc Livius, est forte quod dubitetur. Utut sit, quod ex eo loco non posset Capitolium conspici, opacitas potius, ut puto, quam distantia obstabat.

[h] *Sunt qui per duumviros*] Potest quidem referri ad id quod supra die-

creatos, auctores sint damnatum. Tribuni[9] de saxo Tarpeio[i] dejecerunt: locusque idem in uno homine et eximiæ gloriæ monumentum et pœnæ ultimæ fuit. Adjectæ mortuo notæ sunt: publica una; quod, cum domus ejus fuisset, ubi nunc ædes atque officina Monetæ[k] est, latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret: gentilicia altera; quod gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur. Hunc exitum habuit vir, nisi in libera civitate natus esset, memorabilis. Populum brevi, postquam periculum ab eo nullum erat, per se ipsas recordantem virtutes, desiderium ejus tenuit. Pestilentia etiam brevi consecuta, nullis occurrentibus tantæ cladis causis, ex Manliano supplicio magnæ parti videri orta: violatum Capitolium esse sanguine servatoris: nec Diis cordi fuisse pœnam ejus oblatam prope oculis suis, a quo sua templa erepta e manibus hostium essent.

Flumentanam.—9 *Sint. damnatum tribuni* Gronov. Doujat. Vid. Not. Var.

NOTÆ

tum est, 'judicium factum.' Rectius tamen Rhenanus, Gronovii meoque judicio, huc retrahit τὸ *damnatum*: sic enim clarius intelligetur variasse auctorum sententias; plerisque tradentibus Manlium ab universo populo damnatum; quibusdam, a duumviris ea de causa creatis, ut de perduellione inquirerent. De hujus generis duumviris lib. I. c. 26. Obstare tamen videtur Lex XII. tabularum, quæ de capite civis Romani rogari vetat, nisi maximo comitiatu, id est, plenis comitiis. Verum tunc quoque rogatur maximo comitiatu, cum a populo in comitiis creantur quæsitores, qui de crimine cognoscant: hi quippe populi nomine atque auctoritate judicant. Anno demum 604. perpetuæ quæstiones institutæ, id est, prætores certo jure de criminibus cognoscere jussi: ita ut sortirentur inter se, cujus esset quæstio de repetundis; cujus item de peculatu, de majestate, de ambitu.

[i] *De saxo Tarpeio*] Rupes Tarpeia, alias saxum Carmentale, ut censet Onuphrius, pars est montis Saturnii sive Capitolini, arci Romanæ vicina; nomen habet a Tarpeia virgine, de qua lib. I. cap. 11. Hinc præcipites agebantur perduellionis crimine damnati. Manlium verberibus necatum scripsit Corn. Nepos apud A. Gellium libro XVII. cap. 21.

[k] *Ædes atque officina Monetæ*] In Capitolio, atque adeo in Arce, fuit Manlii domus lib. V. c. 47. hujus libri c. 19. Igitur ibidem quoque fuit ædes Junonis Monetæ cum officina, in quem usum versa domus illa. Bona quippe damnatorum publicari, et, si crimen esset perduellionis, solo æquari domus, solebant. Hinc Æquimælium IV. 16.

21. Pestilentiam inopia frugum,[10] et vulgatam utriusque mali famam anno insequente multiplex bellum excepit, L. Valerio quartum, A. Manlio tertium, Ser. Sulpicio tertium, L. Lucretio, L. Æmilio tertium, M. Trebonio, tribunis militum consulari potestate.* Hostes novi, præter Volscos, velut sorte quadam prope in æternum exercendo Romano militi datos, Circeiosque[l] et Velitras[m] colonias jam diu molientes defectionem, et suspectum Latium, Lanuvini[11 n] etiam, quæ fidelissima urbs fuerat, subito exorti. Id Patres rati contemtu accidere, quod Veliternis civibus suis[o] tam diu impunita defectio esset, decreverunt, ut primo quoque tempore ad populum ferretur de bello eis indicendo. Ad quam militiam quo paratior plebes esset, quinqueviros Pomptino agro dividendo, et triumviros Nepete coloniæ deducendæ creaverunt. Tum, ut bellum juberent, latum ad populum est: et, nequicquam dissuadentibus tribunis plebis, omnes tribus bellum jusserunt. Apparatum eo anno bellum est; exercitus propter pestilentiam non eductus. Eaque cunctatio colonis spatium dederat deprecandi senatum; et magna hominum pars eo, ut legatio supplex Romam mitteretur, inclinabat, ni privato (ut fit) periculo publicum implicitum esset,[12] auctoresque defectionis ab Ro-

10 Vulg. *Pestilentiam, inopiam frugum.*—11 Al. *Lanivini.*—12 Conj. Ru-

NOTÆ

* A. U. C. 371.

[l] *Circeiosque*] Circeii, de quorum civibus c. 12. et 17. quibusdam Græcis Κιρκαία, oppidum in Volscis novi Latii populis, agroque Pomptino. Insula hic locus appellatur ab Homero, sive quod, in modum insulæ, partim mari, partim paludibus cinctus sit, teste Strab. aut quod, non modico tractu in mare procurrens, insulæ speciem referat. Hodie oppidi vestigia visuntur aliqua in monte, quæ dicuntur *La Città Vecchia.* Vide lib. I. c. 59. et lib. II. c. 39.

[m] *Et Velitras*] De hac colonia, quæ et ipsa in Pomptino, dictum supra lib. I. c. 30. 31. et 34. Addo tantum, ex Suetonio, hinc originem traxisse Augustum.

[n] *Lanuvini*] Ultra Ariciam, ad dextrum viæ Appiæ latus, fuit Lanuvium, veteris Latii oppidum, in Volscorum finibus, octo a mari milliaribus, viginti ferme ab Urbe. Colonia Romanorum ac municipium postea fuit. Inde Miloni, ac deinde M. Aurelio Antonino Pio imperatori origo. Scriptores cum *Lavinio* non raro confundunt, quod a mari non nisi 3. milliari *Lanuvini* agri fuit Solonius Campus.

manis, metu ne, soli crimini subjecti, piacula iræ Romanorum dederentur, avertissent colonias a consiliis pacis. Neque in senatu solum[p] per eos legatio impedita est, sed magna pars plebis incitata, ut prædatum in agrum Romanum exirent. Hæc nova injuria exturbavit omnem spem pacis.[b] De Prænestinorum quoque defectione eo anno primum fama exorta: arguentibusque eos Tusculanis et Gabinis et Lavicanis,[13] quorum in fines incursatum erat, ita placide ab senatu responsum est, ut minus credi de criminibus, quia nollent ea vera esse, appareret.

22. Insequenti anno* Sp. et L. Papirii, novi tribuni militum consulari potestate, Velitras legiones duxere, quatuor collegis, Ser. Cornelio Maluginense quartum,[14] Q. Servilio, Ser. Sulpicio, L. Æmilio quartum, tribunis ad præsidium Urbis, et si qui ex Etruria novi motus nuntiarentur, (omnia enim inde suspecta erant,) relictis. Ad Velitras adversus majora pæne auxilia Prænestinorum, quam ipsam colonorum multitudinem, secundo prælio pugnatum est; ita ut propinquitas urbis[q] hosti et causa maturioris fugæ, et unum ex fuga receptaculum esset. Oppidi oppugnatione tribuni abstinuere, quia et anceps erat, nec in perniciem coloniæ pugnandum censebant. Literæ Romam ad senatum cum victoriæ nuntiis, acriores in Prænestinum, quam in Veliternum hostem, missæ. Itaque ex senatus consulto populique jussu[r] bellum

[b] *Omnem pacificationis spem prorsus evertit.*

pert. *fuisset.*—13 Vulg. *Labicanis.*

NOTÆ

Nunc vocatur *Civita Lavina*, aut corruptius, *Civita Indovina.*

[o] *Veliternis civibus suis*] Colonis ab urbe missis.

[p] *Neque in senatu solum*] Intellige in senatu Veliterno: habebant enim coloniæ ac municipia consilium publicum, ordinem scilicet decurionum, quem curiam et senatum vocabant, ut cap. 26. 'Senatum eorum (Tusculanorum) vocari jussit.'

* A. U. C. 372.

[q] *Propinquitas urbis*] Veliternæ.

[r] *Ex senatus consulto populique jussu*] Præcedentem senatus auctoritatem secuta de more rogatio, et centuriatis comitiis bellum decretum.

Prænestinis indictum; qui, conjuncti Volscis, anno insequente Satricum, coloniam populi Romani pertinaciter a colonis defensam, vi expugnarunt, fœdeque[15] in captis[s] exercuere victoriam. Eam rem ægre passi Romani, M. Furium Camillum septimum[16] tribunum militum creavere. Additi collegæ A. et L. Postumii Regillenses, ac L. Furius cum L. Lucretio et M. Fabio Ambusto.* Volscum bellum M. Furio extra ordinem decretum. Adjutor ex tribunis sorte L. Furius datur; non tam e re publica, quam ut collegæ† materia ad omnem laudem esset; et publice, quod rem temeritate ejus prolapsam restituit; et privatim, quod ex errore gratiam potius ejus sibi, quam suam gloriam, petiit. Exactæ jam ætatis Camillus erat, comitiisque jurare parato in verba excusandæ valetudini solita consensus populi restiterat: sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque[17][t] integris sensibus, et civiles jam res haud magnopere obeuntem bella excitabant. Quatuor legionibus quaternum millium scriptis, exercitu indicto ad portam Esquilinam in posterum[18] diem, ad Satricum profectus. Ibi eum expugnatores coloniæ haudquaquam perculsi, fidentes militum numero, quo aliquantum præstabant, opperiebantur. Postquam appropinquare Romanos senserunt, extemplo in aciem procedunt, nihil dilaturi, quin periculum summæ rerum facerent: ita paucitati hostium nihil artes imperatoris unici, quibus solis confiderent, profuturas esse.

14 Glareanus legit *tertium*.—15 Vet. lib. apud Sigon. *fœdamque*. Vid. inf. et Not. Var.—16 Sigonius ex vett. libris *sextum*.—17 Vid. Not. inf.—18 *Posteram* Gronov. Doujat.

NOTÆ

[s] *Fœdeque in captis*] Perperam Sigonius *fœdamque*. Non enim *fœda* ac turpiter parta victoria, sed turpiter crudeliterque exercita.

* A. U. C. 373.

† *Non tam e re publica, quam ut collegæ, &c.*] Non fuit hoc consilium senatus, quasi divinasset quid futurum erat. Est hic ὑπ' ἐκβατικὸν, ut loquuntur Grammatici, quo eventus significatur, non animus eorum qui rem faciunt. Possent exempla ejus rei afferri ex scriptoribus antiquis, etiam ethnicis, quamvis apud sacros frequentius occurrant. *J. Clericus.*

[t] *Vigebat, virebatque*] Non ægre accesserim ad Fabri sententiam, hæc verba transponentis, ut sit, *virebat vegetum ingenium:* ipse *vigebat sensibus integris.*

23. Idem ardor et in Romano exercitu erat, et in altero duce:[u] nec præsentis dimicationis fortunam ulla res, præterquam unius viri[x] consilium atque imperium, morabatur: qui occasionem juvandarum ratione virium trahendo bello quærebat. Eo magis hostis instare; nec jam pro castris tantum suis explicare aciem, sed procedere in medium campi, et, vallo prope hostium signa inserendo,[c] superbam fiduciam virium ostentare. Id ægre patiebatur Romanus miles; multo ægrius alter ex tribunis militum L. Furius, ferox cum ætate et ingenio, tum multitudinis, ex incertissimo sumentis animos, spe inflatus. Hic per se jam milites incitatos insuper instigabat elevando, qua una poterat, ætate auctoritatem collegæ: 'Juvenibus bella data,' dictitans, 'et cum corporibus vigere et deflorescere animos;[d] cunctatorem ex acerrimo bellatore factum; et, qui adveniens castra urbesque primo impetu rapere[19 y] sit solitus, eum residem intra vallum tempus terere: quid accessurum suis,[z] decessurumve hostium viribus sperantem? quam occasionem, quod tempus, quem insidiis instruendis locum?[20] frigere ac torpere senis consilia. Sed Camillo cum[1] vitæ satis, tum gloriæ esse. Quid attinere, cum mortali corpore uno, civitatis, quam immortalem esse deceat, pati consenescere vires?' His sermonibus tota in se averterat[2] castra. Et, cum omnibus locis posceretur pugna, 'Sustinere,' in-

[c] *Admovendo vallum quam proxime ad Romanorum castra.*
[d] *Animos hominum una cum corporibus et in juventute florere et in senectute flaccescere.*

19 Vulg. *capere.*—20 '*Quem insidiis instruentem locum.* Mss. *ingruentem:* ex quo legendum videtur *congruentem,* id est, aptum insidiis locum.' *Sigon.*—1 *Tum* Gronov. Doujat. Crevier.—2 *Adverterat* quidam Mss. prob. Doering.

NOTÆ

[u] *Et in altero duce*] In L. Furio Camilli collega.

[x] *Unius viri*] Camilli.

[y] *Castra urbesque primo impetu rapere*] Sic optimi codices, pro *primo impetu capere.* Illud Gronov. firmat ex Floro lib. III. cap. 20. 'Nihil tale expectantis ducis subito impetu castra rapuere.'

[z] *Quid accessurum suis*] Nihil esse sperandum aiebat L. Furius, quo vel augerentur Romanis, vel hostibus decrescerent vires: quæ una videbatur esse idonea pugnæ differendæ causa.

quit, ‘ M. Furi, non possumus impetum militum:[3] et hostis, cujus animos cunctando auximus, jam minime toleranda superbia insultat. Cede unus omnibus, et patere te vinci consilio, ut maturius bello vincas.’ Ad ea Camillus: ‘ Quæ bella suo unius auspicio gesta ad eam diem essent, negare in eis neque se, neque populum Romanum, aut consilii sui, aut fortunæ pœnituisse:[e] nunc scire, se collegam habere jure imperioque parem, vigore ætatis præstantem. Itaque se, quod ad exercitum attineat, regere consuesse, non regi. Collegæ imperium se non posse impedire. Diis bene juvantibus ageret, quod e re publica duceret. Ætati suæ se veniam etiam petere,[4][a] ne in prima acie esset. Quæ senis munia in bello sint, iis se non defuturum. Id a Diis immortalibus precari, ne qui casus suum consilium laudabile efficiat.’ Nec ab hominibus salutaris sententia, nec a Diis tam piæ preces auditæ sunt. Primam aciem auctor pugnæ instruit, subsidia Camillus firmat, validamque stationem pro castris opponit. Ipse edito loco spectator intentus in eventu[5] alieni consilii[b] constitit.

24. Simul primo concursu concrepuere arma, hostis dolo, non metu, pedem retulit. Lenis ab tergo clivus erat inter aciem et castra,[c] et, quod multitudo suppeditabat, aliquot validas cohortes in castris armatas instructasque reli-

[e] *Aiebat neque se neque populum Romanum quicquam habere, cur consilium aut fortuna sua dolenda videatur, in iis bellis quæ suo solius ductu hactenus administraverit.*

—3 *Militum impetum* Gronov. Doujat. Crevier.—4 ‘Τὸ *etiam* hoc loco stare posse haud putem. Lege *veniam eam petere:* quasi dixerit: ‘ hanc mihi veniam dabis.’ ’ *Tan. Faber.*—5 ‘ Junge *spectator intentus constitit,* vel potius lege *intentus in eventum.*’ Rupert.

NOTÆ

[a] *Ætati suæ se veniam etiam petere*] Hic turbat Tan. Faber, nec patitur τὸ *etiam* loco suo stare. Legit, *veniam eam petere,* ne scilicet in prima acie sit. At mihi longe melius videtur illud *etiam,* vel si codices variarent. Innuit enim Camillus, tantum abesse ut majoris ætatis ratione velit sententiam suam tueri, quin potius ætati veniam dari postulat.

[b] *Intentus in eventu alieni consilii*] Num potius *in eventum?* an *intentus* refertur ad nomen *spectator?*

[c] *Inter aciem et castra*] Hostium.

querant, quæ inter commissum jam certamen,[f] ubi vallo appropinquasset hostis, erumperent. Romanus, cedentem hostem effuse sequendo in locum iniquum pertractus, opportunus huic eruptioni fuit. Versus itaque in victorem terror et novo hoste, et supina valle[d] Romanam inclinavit aciem. Instant Volsci recentes, qui e castris impetum fecerant; integrant et illi pugnam, qui simulata cesserant fuga. Jam non recipiebat se Romanus miles;[g] sed, immemor recentis ferociæ veterisque decoris, terga passim dabat, atque effuso cursu castra repetebat; cum Camillus, subjectus[6] a circumstantibus in equum,[e] et raptim subsidiis oppositis, 'Hæc est,' inquit, 'milites, pugna, quam poposcistis? Quis homo, quis Deus est, quem accusare possitis? Vestra illa temeritas,[f] vestra ignavia hæc est. Secuti alium ducem, sequimini nunc Camillum, et, quod ductu meo[7] soletis, vincite. Quid vallum et castra spectatis? neminem vestrum illa, nisi victorem, receptura sunt.' Pudor[8] primo tenuit effusos: inde, ut circumagi signa obvertique aciem viderunt in hostem,[9][g] et dux, præterquam quod tot insignis triumphis, etiam ætate venerabilis, inter prima signa (ubi plurimus labor periculumque erat) se offerebat,

[f] *In medio pugnæ jam inceptæ, sive jam inchoato prælio.*
[g] *Non solum Romani pedem referebant, sed terga vertebant.*

6 Vulg. *sublatus.*—7 Vet. lib. apud Sigon. *et ut ductu meo.*—8 Veteres libri *receptura. Pudor.*—9 Ex vett. libb. legit Sigon. *obvertique aciem viderunt,*

NOTÆ

[d] *Supina valle*] Gronov. ait Romanos ideo exterritos et inclinatos, quod cum acclivi loco subiissent, ab improviso et recente hoste, qui e castris erumpens desuper incumbebat, exciperentur. *Supinam vallem* dici ostendit quæ a tergo est ex ea collem subeuntibus: quam in rem adducit Livii locum lib. VII. 'Pepulistis a castris, supina valle præcipites egistis.'

[e] *Subjectus ... in equum*] Alias *sublatus in equum*, nec male. Sed Noster l. XXXI. subjiciendi verbo hac in re utitur: et Virg. XII. Æneid.

[f] *Vestra illa temeritas*] Temeritas fuit cum pugnam poposcistis: ignavia est, cum pugnam detractatis.

[g] *Viderunt in hostem*] Frustra Sigonius infercit verbum, *ruunt*, quasi sit, *ruunt in hostem:* melius vetus lectio quam repræsentamus; estque sensus: increpare singuli cœperunt, et seipsos, et commilitones; postquam viderunt circumagi signa, et in hostem obverti; postquam se offerebat dux venerabilis, &c.

increpare singuli se quisque et alios, et adhortatio in vicem totam alacri clamore pervasit aciem. Neque alter tribunus rei defuit; sed, missus a collega restituente peditum aciem ad equites, non castigando,[10] (ad quam rem leviorem auctorem eum culpæ societas fecerat,) sed ab imperio totus ad preces versus, orare singulos universosque, ' ut se, reum fortunæ ejus diei, crimine eximerent. Abnuente ac prohibente collega, temeritatis[11] me omnium potius socium, quam unius prudentiæ, dedi. Camillus in utraque vestra fortuna suam gloriam videt; ego, ni restituitur pugna, (quod miserrimum est,) fortunam cum omnibus, infamiam solus sentiam.'[12] Optimum visum est, in fluctuantem aciem[13] tradi equos,[h] et pedestri invadere hostem. Eunt insignes

ruunt in hostem. Vid. inf. et Not. Var.—10 ' Anacoluthi quædam species. Aut sequi debebat post *sed* aliud gerundium, aut pro *castigando* infinitivus *castigare*, ut responderet *τῷ orare*, requirebatur. Cujusmodi licentia condonanda potius scriptori, quam pro elegantia venditanda. Nisi forte malis, alterum membrum, *castigando* oppositum, esse, *totus ad preces versus;* at tunc haud bene conveniret *castigando orare.*' Stroth.—11 ' Non minus recte in 8. Mss. legitur *temeritati*, quod recepit Stroth.' *Rupert.*—12 ' In Florent. cod. additur *omnium*, quod certe non ad præcedens comma referendum: namque *solus* non tam ad *omnes*, quam ad Camillum collegam refertur, cujus *gloriæ* etiam opponitur h. l. Furii *infamia.* ' Camillus in utraque fortuna suam gloriam videt, ego infamiam solus sentiam.'' *Stroth.*—13 ' Duriores videntur aliorum rationes, qui interpretantur *tradi equos* sc. lixis s. calonibus, vel immitti equites, et vel jungunt *optimum visum est in fluctuantem aciem*, h. e. contra eam, quod ad eam restituendam fieri possit, vel legi jubent *inter fluctuantem aciem*, aut *in fluctuante acie*, dum hæret fluctuatque ambigua utrimque acies, aut, cum, acie inclinata, jam fluctuare inciperent et turbari ordines.

NOTÆ

[h] *In fluctuantem aciem tradi equos*] Laborat hic Glareanus velut in loco obscuro, nec abs re. Gronov. legit *inter fluctuantem aciem*, et sic accipit: ut dum utraque acies hæret fluctuatque ambigua, optimum factu visum sit, si equites ad pedes descenderent, equosque suos traderent lixis: vera sine dubio sententia: at ex verbis per vim expressa. Apud Virgil. quidem Camilla ' incensa dolore Tradit equum comiti :' sed ' comiti tradit ' non impersonaliter, ut hic. Et ' acies fluctuans' non plures acies, sed unam significat, Romanorum scilicet. Præterea aliud ' in aciem,' aliud ' inter aciem.' Quid si legamus *transdi equites?* id est, transmitti ad sustentandam pedestri certamine nutantem peditum aciem: idque optimum visum L. Furio, cui equitatus cura mandata. Sic *transdere* dixerunt Veteres non solum pro, tradere, quod hinc deductum, sed pro, transferre: Terent. in Phorm. prolog. ' retrahere a studio, et transdere hominem in otium.' Ita usi sunt Sallust. et Tac.

In fluctuantem aciem] Recte Gronov. *inter fluctuantem aciem*, sed mirum est equites peditibus æquatos, nisi

armis animisque, qua premi parte maxime peditum copias vident. Nihil, neque apud duces, neque apud milites, remittitur a summo certamine animi. Sensit ergo eventus virtutis enisæ opem;[i] et Volsci, qua modo simulato metu cesserant, ea in veram fugam effusi. Magna pars et in ipso certamine, et post in fuga cæsi: ceteri in castris, quæ capta eodem impetu sunt, plures tamen capti, quam occisi.

25. Ubi in recensendis captivis cum Tusculani[k] aliquot noscitarentur, secreti ab aliis ad tribunos adducuntur, percunctantibusque fassi, publico consilio se militasse. Cujus tam vicini belli metu Camillus motus, 'extemplo se Romam captivos ducturum,' ait, 'ne Patres ignari sint, Tusculanos ab societate descisse. Castris exercituique interim, si videatur, præsit collega.' Documento unus dies fuerat, ne sua consilia melioribus præferret. Nec tamen aut ipsi, aut in exercitu cuiquam, satis placato animo Camillus laturus culpam ejus videbatur, qua data in tam præcipitem casum res publica esset; et cum in exercitu,[14] tum Romæ constans omnium fama erat, cum varia fortuna in Volscis gesta res esset, adversæ pugnæ fugæque in L. Furio culpam, secundæ decus omne penes M. Furium esse. Introductis in senatum captivis, cum bello persequendos Tusculanos Patres censuissent, Camilloque id bellum mandassent; adjutorem sibi ad eam rem unum petit: permissoque, ut ex collegis optaret, quem vellet, contra spem omnium L. Furium optavit. Qua moderatione animi cum collegæ levavit infamiam, tum sibi gloriam ingentem peperit. Nec fuit cum Tusculanis bellum: pace constanti vim

Durissima est explicatio Strothii: *equos tradi* calonibus, eosque liberos passim vagari in *fluctuantis aciei* speciem, (cf. VII. 14. 15.) ut fere 'fugerat in legationem,' X. 46. extr. aut 'formare lignum in Mercurium,' et 'tradere alicui librum in pignus amicitiæ, h. e. ut sit p. a.' *Rupert.*

14 '*Et tum in exercitu* Gron. et Crev. forte rectius, certe gratius, quoniam

NOTÆ

hostes ipsi equitatu caruerint; quod non semel observavimus. *J. Cleric.*

[i] *Sensit ergo eventus virtutis enisæ opem*] Audacter dictum, ut significetur, eventum pugnæ, qui antea, ut ita dicam, languebat, adjumento fortitudinis summo nixu conantis, quasi excitatum, respondisse spei Romanorum.

[k] *Cum Tusculani*] Sup. l. III. c. 23.

Romanam arcuerunt,[1] quam armis non poterant. Intrantibus fines Romanis, non demigratum ex propinquis itineris locis,[15] non cultus agrorum intermissus: patentibus portis urbis togati obviam frequentes imperatoribus processere: commeatus exercitui comiter in castra ex urbe et ex agris devehitur. Camillus, castris ante portas positis, eademne forma pacis, quæ in agris ostentaretur, etiam intra mœnia esset, scire cupiens; ingressus urbem, ubi patentes januas et tabernis apertis proposita omnia in medio vidit, intentosque opifices suo quemque operi, et ludos literarum strepere discentium vocibus, ac repletas semitas, inter vulgus aliud, puerorum et mulierum huc atque illuc euntium, qua quemque suorum usuum causæ ferrent, nihil usquam, non pavidis modo, sed ne mirantibus quidem simile, circumspiciebat omnia, inquirens oculis, ubinam bellum fuisset: adeo nec amotæ rei usquam, nec oblatæ ad tempus vestigium ullum erat; sed ita omnia constanti[16] tranquilla pace,[m] ut eo vix fama belli perlata videri posset.

26. Victus igitur patientia hostium, senatum eorum vocari jussit. 'Soli adhuc,' inquit, 'Tusculani, vera arma verasque vires,[n] quibus ab ira Romanorum vestra tutaremini, invenistis. Ite Romam ad senatum. Æstimabunt Patres, utrum plus ante pœnæ, an nunc veniæ meriti sitis. Non præcipiam gratiam publici beneficii.[h] Deprecandi

[h] *Non anteoccupabo decus, et honorem beneficii, quod populi esse debet.*

cum mox repetitur, etsi alio sensu.' *Rupert.* *Tum* malit et Doering.—15 '*Ex propinquis itineri locis* Gronov. et Crev. forte rectius: sed in nullo Ms. legitur.' *Rupert.*—16 *Constante* Gronov. Doujat. Crevier. Legendum monet Tan. Faber *constabant.*

NOTÆ

[1] *Pace constanti vim Romanam arcuerunt*] Constantem dicit pacem, vel quam constanter præ se ferrent Tusculani, vel certam, perspicuam, et manifestam, et quæ rebus ipsis liquido pateret.

[m] *Sed ita omnia constanti tranquilla pace*] Emendabat Tan. Faber, *constabant,* adductus congruenti Virgilii sensu: 'Postquam cuncta videt cœlo constare sereno:' ubi *constare* est, recte constituta et composita esse. Sed et participii vis eadem esse potest. Nomine certe in hac re ipsa usus est Valerius, Tusculanos aiens hac constantia tranquillitatis ad amicitiam Romanorum, et communionem civitatis, penetrasse.

potestatem a me habueritis; precibus eventum vestris senatus, quem videbitur,[o] dabit.' Postquam Romam Tusculani venerunt, senatusque paulo ante fidelium sociorum mœstus in vestibulo curiæ est conspectus, moti extemplo Patres, vocari eos jam tum hospitaliter magis, quam hostiliter, jussere. Dictator Tusculanus ita verba fecit: 'Quibus bellum indixistis intulistisque, Patres conscripti, sicut nunc videtis nos stantes in vestibulo curiæ vestræ, ita armati paratique[p] obviam imperatoribus legionibusque vestris processimus. Hic noster, hic plebis nostræ habitus fuit, eritque semper, nisi si quando a vobis, proque vobis, arma acceperimus. Gratias agimus et ducibus vestris et exercitibus, quod oculis magis, quam auribus, crediderunt, et, ubi nihil hostile erat, ne ipsi quidem fecerunt. Pacem, quam nos præstitimus, eam a vobis petimus: bellum eo, sicubi est, avertatis, precamur.[i] In nos quid arma polleant vestra, si patiendo experiundum est, inermes experiemur. Hæc mens nostra est; Dii immortales faciant, tam felix, quam pia.[q] Quod ad crimina attinet, quibus moti bellum indixistis; etsi revicta rebus verbis confutare nihil attinet;[17] tamen, etiamsi vera sint, vel fateri nobis ea, cum tam evidenter pœnituerit, tutum censemus. Peccetur in vos, dum digni sitis, quibus ita satis fiat.' Tantum fere verborum ab Tusculanis factum. Pacem in præsentia, nec ita multo post civitatem etiam, impetraverunt. Ab Tusculo legiones reductæ.[18]

[i] *Rogamus ut bellum a nobis removeatis, et in ea loca transferatis, si quæ sunt ubi bellum agitur.*

17 Vet. lib. apud Sigon. *nil attinet.*—18 Vet. lib. apud eundem *deductæ.*

NOTÆ

[n] *Vera arma verasque vires*] Valer. Max. de iisdem Tusculanis: 'Aptius esse intellexerant, metum officio dissimulare, quam armis protegere.'

[o] *Quem videbitur*] Phrasin Græcam hic notat Glar. *quem videbitur*, pro, qui videbitur. Sensus perspicuus est: 'Senatus eum exitum dabit precibus vestris quem ipsi visum fuerit, scilicet dare.'

[p] *Ita armati paratique*] Immo inermes et pacifico habitu, nec magis armati, aut ad bellum accincti, quam nunc simus.

[q] *Tam felix, quam pia*] Ut sit.

27. Camillus consilio et virtute in Volsco bello, felicitate in Tusculana expeditione, utrobique singulari adversus collegam patientia et moderatione insignis, magistratu abiit; creatis tribunis militaribus [19] in insequentem annum * L. et P. Valeriis, Lucio quintum, Publio tertium, et C. Sergio tertium, L. Menenio secundum, Sp. Papirio, Ser. Cornelio Maluginense. Censoribus quoque eguit annus, maxime propter incertam famam æris alieni;[r] aggravantibus summam etiam invidiæ ejus [20] tribunis plebis, cum ab iis elevaretur, quibus fide magis quam fortuna debentium laborare creditum videri expediebat.[k] Creati censores C. Sulpicius Camerinus, Sp. Postumius Regillensis. Cœptaque jam res[s] morte Postumii, quia collegam suffici censori[t] religio erat, interpellata est. Igitur cum Sulpicius abdicasset se magistratu, censores alii, vitio creati, non gesserunt magistratum. Tertios creari (velut Diis non accipientibus in eum annum censuram) religiosum fuit. Eam vero ludificationem plebis[u] tribuni ferendam negabant. 'Fugere senatum testes, tabulas publicas, census cujus-

[k] *Tribunis plebis augentibus etiam caput illud odii publici, cum ab illis (creditoribus) minueretur, quorum intererat, ut putaretur pecuniam creditam non tam ob paupertatem debitorum, quam ob eorum malam fidem vacillare, et non solvi.*

19 Vulg. *creatis militar. trib.*—20 'Perizonius emend. *etiam invidiæ causa.* Stroth. *invidiæ ergo,* vel *in invidiam ejus,* quod minus a vulg. scriptura recedit. Dukerus conj. *etiam invidiose tribunis.*' Rupert. 'Klockius invenerat in ora codicis sui: (in plurimis vero locis, ubi hic vir doctissimus aliquid in suo cod. invenit, magna suspicio est, eum suas conjecturas invenisse:) *etiam summæ ejus invidiam.*' Stroth. Pro *invidiæ* scribendum monet Doering. *invidia.*

NOTÆ

* A. U. C. 374.

[r] *Propter incertam famam æris alieni*] Quod varii rumores de magnitudine æris alieni spargerentur; qui, singulorum facultates per censum inspiciendo, poterant dissipari, vel confirmari.

[s] *Cœptaque jam res*] Census, et per eum æstimatio bonorum.

[t] *Collegam suffici censori*] Censoris mors tristissimi ominis habebatur: adeo ut, moriente censorum altero, nec alius in demortui locum surrogaretur, et necesse esset collegam abdicare se magistratu. Vide supra lib. v. c. 31. et infra lib. IX. c. 34.

[u] *Eam vero ludificationem plebis*] Contendebant tribuni, hanc censoribus vitio creatis novos non surrogandi religionem vanam esse, et commentum Senatus ad illudendum plebi.

que,[l] quia nolint conspici summam æris alieni, quæ indicatura sit, demersam partem a parte civitatis:[x] cum interim[y] obæratam plebem objectari aliis atque aliis hostibus. Passim jam sine ullo discrimine bella quæri. Ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tusculum legiones ductas. Latinis, Hernicis, Prænestinis jam intentari arma, civium magis quam hostium odio; ut in armis terant plebem, nec respirare in Urbe, aut per otium libertatis meminisse sinant, aut consistere in concione, ubi aliquando audiant vocem tribuniciam, de levando fœnere et fine aliarum injuriarum agentem.[m] Quod si sit animus plebi memor patrum libertatis, se nec addici quenquam civem Romanum ob creditam pecuniam passuros, neque delectum haberi; donec, inspecto ære alieno, initaque ratione minuendi ejus, sciat unusquisque, quid sui, quid alieni sit; supersit sibi liberum corpus, an id quoque nervo debeatur.' Merces seditionis proposita[z] confestim seditionem excitavit. Nam et addicebantur multi, et ad Prænestini famam belli novas legiones scribendas Patres censuerant. Quæ utraque simul auxilio tribunicio et consensu plebis impediri cœpta. Nam neque duci addictos tribuni sinebant, neque juniores nomina dabant. Cum Patribus[a] minor præsens[1] cura[b] creditæ pecuniæ juris exequendi,[n] quam delectus, esset; quippe jam a Præneste profectos hostes in

[l] *Senatum vitare velle ne censuales tabulæ testarentur quæ cujusque facultates essent.*

[m] *Ac termino aliis injuriis imponendo.*

[n] *Persequendi jus creditorum in exigendis debitis.*

—1 ' Pro *minor præsens* leg. vel *minus præsens* cum Gron. (Vid. ad 1. 12. 6.)

NOTÆ

[x] *Demersam partem a parte civitatis*] A patriciis creditoribus, qui pars civitatis sint, obrutam ære alieno plebem, quæ et ipsa pars sit ejusdem civitatis.

[y] *Cum interim*] Expeditior erit sententia demto illo, *cum*, cui nullum postea verbum respondet; nisi *objectari* dicatur pro *objectaretur*.

[z] *Merces seditionis proposita*] Promissum auxilium adversus creditorum vim, et adversus ipsos magistratus delectum habituros.

[a] *Cum Patribus*] Non vacat particula *cum*, ut Gronov. visum: per eam quippe redditur ratio, non quidem cur juniores nomina non darent, sed cur id Senatui ægre esset.

Cum Patribus, &c.] Delet J. F. Gronovius *cum*, et sic distinguit, *nomina*

agro Gabino consedisse nuntiabatur; interim tribunos plebis fama ea ipsa irritaverat magis ad susceptum certamen, quam deterruerat. Neque aliud ad seditionem extinguendam in Urbe, quam prope illatum mœnibus ipsis bellum, valuit.

28. Nam cum esset Prænestinis nuntiatum, nullum exercitum conscriptum Romæ, nullum ducem certum esse, Patres ac plebem in semet ipsos versos;[o] occasionem rati duces eorum, raptim agmine acto,[2 c] pervastatis protinus agris, ad portam Collinam signa intulere. Ingens in Urbe trepidatio fuit. Conclamatum 'ad arma,' concursumque in muros atque portas est:[3] tandemque, ab seditione ad bellum versi, dictatorem T. Quintium Cincinnatum creavere. Is magistrum equitum A. Sempronium Atratinum dixit. Quod ubi auditum est, (tantus ejus magistratus terror erat,) simul hostes a mœnibus recessere, et juniores Romani[4] ad edictum sine retractatione[5] convenere.[p] Dum conscribitur Romæ exercitus, castra interim hostium haud procul Allia flumine posita: inde agrum late populantes, 'fatalem se urbi Romanæ locum cepisse,' inter se jactabant: similem pavorem inde ac fugam fore, ac bello Gallico fuerit. Etenim, si diem, contactum religione, insignemque nomine ejus

[o] *Versos in mutuam perniciem.*

[p] *Edicente dictatore convenerunt absque cunctatione, ad nomina in militiam danda.*

vel *minor in præsens* cum Stroth. qui monet hoc *in* etiam ante *præsens* excidisse VII. 30. pr. (ubi in uno tantum Ms. et sola ed. Ven. reperitur) et centies ante alias voces, de quibus v. Drak. ad X. 13. Mox recte, opinor, *profectus hostis* recepere Gron. et Crev. e 6. Mss. et *in agro Gabino* pro *Sabino* Drak. ex conj. Jac. Gron.' *Rupert.*

2 Vulg. *agmine facto.*—3 'Voss. 1. *et portas.* Forte: *in muros adque portas est.*' J. F. Gronov.—4 'Freinshemius, *Romam:* non sine magna specie.' *Idem.*

NOTÆ

dabant. Patribus, &c. Forte legendum *dum*, nec opus erit, cum eodem, in sequentibus *esset* in *esse* mutare. Sed cum illo *profectus hostis* scripsimus, quoniam ita habent Mss. Codd. *J. Clericus.*

[b] *Minor præsens cura*] Gronov. *minus præsens;* seu minus urgens.

[c] *Raptim agmine acto*] Sic e manuscriptis Gronov. potius quam *agmine facto.* 'Agmen factum' intelligitur conglobatum, sive moveatur, sive non. At agi dicitur agmen, cum ducitur, præsertim cum impetu et citato gressu, quod hic indicat adverbium *raptim.*

loci, timeant Romani, quanto magis Alliensi die [6] Alliam ipsam,[d] monumentum tantæ cladis, reformidaturos! Species profecto his ibi truces Gallorum sonumque vocis in oculis atque in auribus fore.'[q] Has inanium rerum inanes ipsas volventes cogitationes, fortunæ loci delegaverant spes suas.[r] Romani contra, 'Ubicumque esset Latinus hostis, satis scire, eum esse, quem, ad Regillum lacum devictum, centum annorum pace obnoxia [7] [e] tenuerint. Locum, insignem memoria cladis, irritaturum se potius ad delendam memoriam dedecoris, quam ut timorem faciat, ne qua terra sit nefasta victoriæ suæ.[8] [f] Quin ipsi sibi Galli si offerantur [9] [g] illo loco, se ita pugnaturos, ut Romæ pugnaverint in repetenda patria, ut postero die ad Gabios;

[q] *Eo sane loci Romanis obversaturos Gallorum truculentos ac feroces aspectus, &c.*

[r] *Omnem suam spem omini loci crediderant:* seu *fiduciam omnem suam posuerant in omine loci.*

—5 *Detrectatione* Gronov. Doujat. Crevier. all.—6 'Tollendum omnino istud, *Alliensi die:* quod quasi glossema ascriptum fuerat τῷ *contactum religione diem.*' Tan. Faber.—7 Conj. Rupert. *obnoxium.*—8 'In VI. Mss. non male legitur, *terra sit nefasta victoria sua.*' Drak.—9 '*Quin ipsi Galli si offerantur.* Vetusta lectio vestigia certa continet germanæ lectionis: in veteribus enim libris aliquot est: *Quin ipsi sibi Galli se offerant.* Puto autem legendum: *Quin ipsi si ibi Galli se offerant. Ibi* autem intelligit *ad Alliam.*' Sigon. *Sibi* del. Froben. Gronov. Doujat. all. Vid. Not. inf. et Not. Var.

NOTÆ

[d] *Quanto magis Alliensi die Alliam ipsam*] Glossema putat Faber τὸ *Alliensi die.* Sed et dies concurrere potuit cum loco: et illud *magis Alliensi die* aliam fert sententiam, ut velint hostes *Alliam ipsam*, ipsum flumen et locum infelicis pugnæ magis formidandum Romanis, quam Alliensem diem.

[e] *Pace obnoxia*] Obnoxius aliquando sumitur pro subjecto et addicto, et cum ad animum refertur, pro servili. Sallust. 'Ne sibi obnoxia foret:' id est, nisi sibi obtemperaret. Plin. initio lib. IX. 'Obnoxii profecto animi;' et Noster lib. III. 'Obnoxie dicere sententiam:' id est, serviliter: *Avec une entiere et absolue dependance.*

Pace obnoxia] Hæc verba monent de re a Livio omissa, qui leges fœderis cum Latinis facti, aut pacis ei concessæ prætermisit; quod non minus ad historiam pertinet, quam descriptiones præliorum, quæ plerumque dubiæ sunt. *Centum annos* hic dicit pro 120. ex ipsius sententia, cum prælium ad lacum Regillum commissum statuat anno U. C. 255. *J. Clericus.*

[f] *Nefasta victoriæ suæ*] Ne, etiamsi dies nefastus sit, terra tamen nulla sit ubi sibi nefas vincere.

[g] *Quin ipsi sibi Galli* [*ipsi Galli*] *si offerantur*] Sigon. *Quin ipsi sibi Galli se offerant: illo loco, &c.* Gronov. conjicit, mutata interpunctione, quod mihi non improbatur, *Quin ipsi sibi* (Romanis nempe) *Galli si offerantur illo loco.*

tunc, cum effecerint, ne quis hostis,[h] qui mœnia Romana intrasset, nuntium secundæ adversæque fortunæ domum perferret.

29. His utrimque animis ad Alliam ventum est. Dictator Romanus, postquam in conspectu hostes erant instructi intentique, 'Videsne tu,' inquit, 'A. Semproni, loci fortuna † illos fretos ad Alliam constitisse? nec illis Dii immortales certioris quicquam fiduciæ, majorisve quod sit auxilii, dederint.[s] At tu, fretus armis animisque, concitatis equis invade mediam aciem: ego cum legionibus in turbatos trepidantesque inferam signa. Adeste, Dii testes fœderis, et expetite pœnas, debitas simul vobis violatis, nobisque per vestrum numen deceptis.' Non equitem, non peditem sustinuere Prænestini. Primo impetu ac clamore dissipati ordines sunt. Dein, postquam nullo loco constabat acies,[t] terga vertunt; consternatique et præter castra etiam sua ‡ pavore prælati,[10] non prius se ab effuso cursu sistunt, quam in conspectu Præneste fuit. Ibi ex fuga dissipati, locum, quem tumultuario opere communirent, capiunt; ne, si intra mœnia se recepissent, extemplo ureretur ager, depopulatisque omnibus obsidio urbi inferretur. Sed postquam, direptis ad Alliam castris, victor Romanus aderat, id quoque munimentum relictum: et, vix mœnia tuta rati, oppido se Præneste includunt. Octo præterea[11] oppida erant[i]

[s] *Atque utinam numina nihil ipsis impertiantur, quod majorem securitatem, aut opem illis debeat afferre.*

[t] *Nullibi supererat copiarum aliqua pars conferta atque instructa.*

10 *Perlati* legendum esse potius notat Sigon.—11 'Conjicio scripsisse

NOTÆ

[h] *Ne quis hostis*] Falsam hanc Romanorum jactantiam refutavi lib. v. c. 49.

† *Loci fortuna*] Recte hoc irridet dictator Romanus: sed cur diei fortunam quandam malam annexam putabant, potius quam loco? Vide hujus libri c. 1. *J. Clericus.*

‡ *Præter castra etiam sua*] Hujus locutionis haberemus exemplum apud Terentium, si per librarios licuisset, qui Phorm. Act. v. s. 2. 3. corruperunt proverbium militare: 'ita fugias, ne præter castra,' ex simili huic eventu notum. Scripserunt enim *casam* pro *castra*. Idem.

[i] *Octo præterea oppida erant*] Præter ipsum scilicet Præneste, ceterorum caput. Nullus igitur conjecturæ Fabri locus, qui legendum suspicatur,

sub ditione Prænestinorum. Ad ea circumlatum bellum: deincepsque, haud magno certamine captis, Velitras exercitus ductus. Eæ quoque expugnatæ. Tum ad caput belli Præneste ventum. Id non vi, sed per deditionem, receptum est. T. Quintius, semel acie victor, binis castris hostium, novem oppidis[k] vi captis, Præneste in deditionem accepto, Romam revertit: triumphansque signum, Præneste devectum,[l] Jovis Imperatoris in Capitolium tulit. Dedicatum est inter cellam Jovis ac Minervæ:[m] tabulaque sub eo fixa, monumentum rerum gestarum, his ferme incisa literis[n] fuit:[12] 'Jupiter atque Divi omnes hoc dederunt, ut T. Quintius dictator oppida novem caperet.' Die vicesimo,[13] quam creatus erat,[o] dictatura se abdicavit.

Livium non *præterea*, sed *per ea tempora*.' Tan. Faber.—12 '*His ferme incisa literis fuit*. Cf. Fest. voc. 'Trientem,' ex quo Pighius plura adjecit verba, quæ Gruterus etiam in exemplaria Livii retulit. Sed ea in nullo reperiri libro ant. et Livium h. l. dixisse *ferme*, adeoque totum titulum vel ignorasse, vel memorare noluisse, jam monuit Gron.' *Rupert*. Vid. Not. Var.—13 '*Vigesima* Grut. Gronov. Crevier. all. *duodevicesimo* Mss. nonnulli, haud male.' *Stroth*.

NOTÆ

octo per ea tempora; quod satis intelligitur ex præterito imperfecto *erant*.

[k] *Novem oppidis*] Velitras pro oppido habet, et octo Prænestinorum oppidis addit.

[l] *Signum, Præneste devectum*] Adverte morem Romanorum numina captarum urbium evocandi ac transferendi Romam. Vide lib. v. cap. 21. et 22. de Veiorum Junone.

[m] *Inter cellam Jovis ac Minervæ*] De his cellis supra cap. 4.

[n] *His ferme incisa literis*] Τὸ *ferme* Gronovio recte videtur indicare totum titulum suis verbis non fuisse exscriptum. Pighius ex Festo restituere conatus est, ejusque inscriptionem audacius quam prudentius in Livii contextum Gruterus intrusit. Verba Festi in voce 'Trientem tertium' sic habent: 'Trientem tertium pondo coronam auream dedisse Jovi donum scripsit T. Quintius dictator, cum per novem dies totidem urbes, ac decimam Præneste cepisset.' Quod dicit *per novem dies*, ne dies continuos putem facit distantia Velitrarum a Præneste: celeritas quidem hujus Quintianæ expeditionis ex die abdicatæ dictaturæ satis patet: sed nisi plura oppida diebus singulis capta sint, quis unquam exercitus uno die viginti passuum millia bis emetiri, et oppidum nihilominus expugnare potuit?

[o] *Die vicesimo, quam creatus erat*] Rotundum hunc numerum secutus est Eutropius; sunt tamen libri optimæ notæ, in quibus scriptum *duodevicesimo die*; quod Sigonius interpretatur, vicesimo secundo, cum sit decimo octavo. Auctoritatem quippe Nonii, qui c. 2. vult *duodevicesimo* ita dici ut *duodecimo*, viri docti repu-

30. Comitia inde habita tribunorum militum consulari potestate; quibus æquatus patriciorum plebeiorumque numerus. Ex Patribus creati P. et C. Manlii, cum L. Julio: plebes C. Sextilium, M. Albinium, L. Antistium dedit.* Manliis, quod genere plebeios, gratia Julium anteibant, Volsci provincia, sine sorte, sine comparatione,[p] extra ordinem data: cujus et ipsos postmodo [14] et Patres, qui dederant, pœnituit. Inexplorato pabulatum cohortes misere. Quibus velut circumventis, cum id falso nuntiatum esset, dum, præsidio ut essent, citati feruntur, ne auctore quidem asservato, qui eos, hostis Latinus pro milite Romano, frustratus erat, ipsi in insidias præcipitavere. Ibi dum iniquo loco sola virtute militum restantes[u] cæduntur cæduntque, castra interim Romana, jacentia in campo, ab altera parte hostes invasere. Ab ducibus utrobique[q] proditæ [15] temeritate atque inscitia res. Quicquid superfuit fortunæ

[u] *Quas cum circumsederi allatum per fallaciam esset ab uno ex hostibus Latinis, qui tanquam miles Romanus deceperat duces; qui dum (ne retento quidem nuntio) celeriter accurrunt, ut illis (cohortibus) opem, velut obsessis, ferant; in paratum ab hostibus periculum præcipites ruerunt. Ibi dum sola exercitus fortitudine resistentes in loco adverso, &c.*

14 Vet. lib. apud Sigon. *postmodum.*—15 Vet. lib. apud eundem *prodita.*—

NOTÆ

diant, potiorque Festi ratio habetur, *duodeviginti* a Græcis tractum observantis, qui sic enuntiant δυοεξείκοσι; id est, duobus detractis ex viginti. Ideoque non abs re Gronovio visum, aut *octavum decimum* diem intelligi debere, aut scribi *duo et vicesimo*, ut loquitur Fabius in Annalibus a Sigonio relatus ex A. Gellio lib. v. cap. 4. Et vero Livius lib. I. c. 40. 'Duodequadragesimo ferme anno,' inquit, 'ex quo regnare cœperat Tarquinius.' At Priscum Tarquinium annos XXXVIII. regnum tenuisse, ex Dionysio et aliis constat.

* A. U. C. 375.

[p] *Sine sorte, sine comparatione*] Vere igitur extra ordinem et per gratiam: nam inter dignitate pares (quales consules, tribuni militum consulari potestate, prætores) munia ita dividebantur, ut vel ipsi inter se compararent, (id est, consultarent et convenirent,) vel, si minus inter eos conveniret, sortirentur, quis hoc, quis illud susciperet.

[q] *Ab ducibus utrobique*] At utrique Manlio eadem provincia data fuerat: ut non duobus locis prodere vel perdere rem Romanam potuisse videantur. Adversus Volscos ambo quidem missi erant, sed proprio quisque exercitu: uti ex eo conjicere licet, quod mox additur: 'revocati etiam inde (ex Volscis) exercitus et duces.'

populi[r] Romani, id militum[16] etiam sine rectore stabilis virtus tutata est. Quæ ubi Romam sunt relata, primum dictatorem dici placebat: deinde, postquam quietæ res ex Volscis afferebantur, et apparuit, nescire eos victoria et tempore uti, revocati etiam inde exercitus ac duces: otiumque inde, quantum a Volscis, fuit. Id modo extremo anno tumultuatum, quod Prænestini, concitatis Latinorum populis, rebellarunt. Eodem anno Setiam,[17] [s] ipsis querentibus penuriam hominum, novi coloni ascripti.[t] Rebusque haud prosperis bello, domestica quies, quam tribunorum militum ex plebe gratia majestasque inter suos obtinuit, solatium fuit.

16 Emendat J. F. Gronov. probantibus Stroth. et Rupert. *Quicquid superfuit fortuna populi Romani et militum.* Vid. inf. et Not. Var.—17 'Ita legitur ex conj. Sigonii, qui pro vulg. *etiam* ingeniose reposuit *Setiam*.... Ceterum et alius coloniæ nomen post *etiam* aut *hominum* excidisse suspicari possis, aut legendum esse *Pometiam*, seu potius *Antium* pro *etiam*, vel *Circeiis* pro *ipsis*.' Rupert. 'Malui hanc lectionem, [*etiam*,] etiamsi falsa sit, cum in eam omnes codd. conspirent, relinquere, quam conjecturam Sigonii cum recentioribus Edd. recipere, ne aliis emendandi viam obstruerem.' *Stroth.*

NOTÆ

[r] *Quicquid superfuit fortunæ populi*] Nec fortuna populi Romani adeo afflicta erat, ut id solum reliquum esset, quod hi milites tutari possent; nec horum virtus aliud effecit, quam ut ipsi præsenti discrimini se subtraherent; sed fortunæ suæ multum debuere Romani, quæ mentem hostibus eripuit, quominus victoria uterentur. Non igitur dubito, quin prudenti cuivis probetur Gronovii correctio, qui exigua mutatione corrupto huic loco medetur, ut sit, *Quicquid superfuit, fortuna populi Rom. et militum etiam sine rectore stabilis virtus tutata est. Fortuna* in nominandi casu, non *fortunæ*. Verum quod *et* interserit pro *id* non absolute videtur necessarium. Ego sic lubens legerim: *Quicquid superfuit* (ex his scilicet exercitibus duorum Manliorum) *id fortuna populi Romani, militum etiam sine rectore stabilis virtus, tutata est.*

[s] *Eodem anno Setiam*] Cum omissum esset coloniæ nomen a librario, *Setiam* Sigonius subdidit, melius, ni fallor, quam alii *Præneste*, aut *Satricum*: et quam Glareau. *Velitras*. Nam *Setiam* coloniam post Satricum deductam Vell. lib. I. recenset. Noster vero Norbæ et Setiæ coloniarum meminit lib. VII. sub finem: unde apparet Setinam coloniam antea deductam fuisse. Est autem Setia oppidum olim Volscorum, ad dextram Amaseni fl. vino generoso nobile, quod hinc Setinum, in colle situm, quibus subjectus ager Pomtinus. Hodie *Sezze* in Campania Romana, quæ Pontificiæ ditionis est.

[t] *Novi coloni ascripti*] Non quod jam ab urbe alii eo deducti antiquitus fuissent; sed quod indigenis volentibus, propter infrequentiam, additi de novo Romani.

31. Insequentis anni principia statim seditione ingenti arsere, tribunis militum consulari potestate Sp. Furio, Q. Servilio secundum, C. Licinio,[18] P. Clœlio, M. Horatio, L. Geganio.* Erat autem et materia et causa seditionis æs alienum: cujus noscendi gratia Sp. Servilius Priscus, Q. Clœlius Siculus censores facti, ne rem agerent,[z] bello impediti sunt. Namque trepidi nuntii primo, fuga deinde ex agris, legiones Volscorum ingressas fines, popularique passim Romanum agrum, attulere. In qua trepidatione tantum afuit, ut civilia certamina terror externus cohiberet, ut contra eo violentior potestas tribunicia[u] impediendo delectui esset; donec conditiones impositæ Patribus, ne quis, quoad bellatum[19] esset, tributum daret, aut jus de pecunia credita diceret. Eo laxamento plebi sumto, mora delectui non est facta. Legionibus novis scriptis, placuit, duos exercitus in agrum Volscum legionibus divisis duci. Sp. Furius, M. Horatius dextrorsus maritimam oram atque Antium, Q. Servilius et L. Geganius læva ad montes Ecetram pergunt. Neutra parte hostis obvius fuit. Populatio itaque non illi vagæ similis, quam Volscus latrocinii more, discordia hostium fretus et virtutem metuens,[x] per trepidationem raptim fecerat; sed ab justo exercitu justa ira facta,[y] spatio quoque temporis gravior. Quippe a Volscis, timentibus, ne interim exercitus ab Roma exiret, incursiones in extrema finium factæ erant: Romano contra etiam in hostico morandi causa erat, ut hostem ad certamen eliceret. Itaque, omnibus passim tectis agrorum, vicisque etiam quibusdam exustis, non arbore frugifera, non satis in

[z] *Ne exequerentur susceptum negotium censuræ.*
[y] *Ab ordinato exercitu per iram legitimam illata vastitas.*

18 Vulg. *Q. Servilio II. Licinio Menenio III.*—19 Conj. Rupert. *debellatum.*

NOTÆ

* A. U. C. 376.

[u] *Potestas tribunicia*] Tribunorum plebis adversus tribunos militum.

[x] *Et virtutem metuens*] Repete *hostium*, Romanorum scilicet.

spem frugum relictis,[z] omni, quæ extra mœnia fuit, hominum pecudumque præda abacta, Romam utrimque exercitus reducti.

32. Parvo intervallo ad respirandum debitoribus dato, postquam quietæ res ab hostibus erant, celebrari de integro[a] juris dictio;[y] et tantum abesse spes veteris levandi fœneris, ut tributo novum fœnus contraheretur in murum, a censoribus locatum saxo quadrato faciundum. Cui succumbere oneri coacta plebes; quia, quem delectum impedirent,[z] non habebant tribuni plebis. Tribunos etiam militares patricios omnes, coacta principum opibus, fecit, L. Æmilium, P. Valerium quartum, C. Veturium, Ser. Sulpicium, L. et C. Quintios Cincinnatos.* Iisdem opibus[20] obtinuere,[a] ut adversus Latinos Volscosque, qui conjunctis legionibus ad Satricum castra habebant, nullo impediente omnibus junioribus sacramento adactis, tres exercitus scriberent: unum ad præsidium Urbis; alterum, qui, si qui alibi motus extitisset, ad subita belli[1] [b] mitti posset; tertium, longe validissimum, P. Valerius et L. Æmilius ad Satricum duxere. Ubi cum aciem instructam hostium loco æquo invenissent, extemplo pugnatum; et, ut nondum satis claram[2] victoriam,[b] sic prosperæ spei pugnam imber ingentibus procellis fusus diremit. Postero die iterata pugna: et aliquamdiu æqua virtute fortunaque Latinæ maxime legiones, longa societate militiam Romanam edoctæ, restabant. Eques immissus ordines turbavit; turbatis signa pe-

[z] *Ne relicta quidem semente.*
[a] *Denuo frequentari cœpit forum.*
[b] *Non victoriam quidem omnino indubitatam, sed spem, &c.*

20 Conj. Rupert. *Hi iisdem opibus.*—1 Al. *ad subita bella.*—2 Conj. Tan.

NOTÆ

[y] *Jurisdictio*] Ut jus de pecunia diceretur creditoribus adversus debitores.

[z] *Quem delectum impedirent*] Ut antea prohibendo delectum ad bellum contra hostes laxamentum aliquod a senatu extorserant tribuni plebis.

* A. U. C. 377.

[a] *Obtinuere*] Patricii.

[b] *Ad subita belli*] Ex melioribus libris elegantius, quam ut alii, *ad subita bella.*

ditum illata: quantumque Romana se invexit acies, tantum hostes gradu demoti:[3] et ut semel inclinavit pugna, jam intolerabilis Romana vis erat. Fusi hostes cum Satricum, quod duo millia inde aberat, non castra, peterent, ab equitatu[4] maxime cæsi. Castra capta direptaque. Ab Satrico nocte, quæ prælio proxima fuit, fugæ simili agmine petunt Antium: et cum Romanus exercitus prope vestigiis sequeretur, plus tamen timor, quam ira,[c] celeritatis habuit. Prius itaque mœnia intravere hostes, quam Romanus extrema agminis carpere aut morari posset. Inde aliquot dies vastando agro absumti, nec Romanis satis instructis apparatu bellico ad mœnia aggredienda, nec illis ad subeundum pugnæ casum.

33. Seditio tum inter Antiates Latinosque[d] coorta, cum Antiates, victi malis subactique bello, in quo et nati erant, et consenuerant, deditionem spectarent; Latinos ex diutina pace nova defectio recentibus adhuc animis ferociores ad perseverandum in bello faceret. Finis certaminis fuit, postquam utrisque apparuit, nihil per alteros stare, quo minus incepta persequerentur.[e] Latini profecti a societate pacis, ut rebantur, inhonestæ sese vindicaverunt. Antiates, incommodis arbitris salutarium consiliorum remotis,[c] urbem agrosque Romanis dedunt. Ira et rabies Latinorum, quia nec Romanos bello lædere, nec Volscos in armis retinere potuerant, eo erupit, ut Satricum urbem, quæ receptaculum primum eis adversæ

[c] *Amotis Latinis, qui testes ac disceptatores molesti utilium deliberationum erant, &c.*

Faber *gnaram*, id est, certam.—3 Rott. *gradu moti.*—4 ' *Duobus millibus inde aberat ab equite.* Sigonianus, *duo millia passuum inde.* Nostri: *duo millia inde aberat, non castra peterent, ab equitatu.* Hoc postremum et veteres habent edd.' *J. F. Gronov.*

NOTÆ

[c] *Plus tamen timor, quam ira*] Velociores fuere Volsci ex metu, quam Romani ex ira: etenim 'pedibus timor addidit alas.'

[d] *Antiates Latinosque*] Latinos veteres, quibus cum nondum in commune nomen coaluerant Volsci, quorum caput Antium.

[e] *Quominus incepta persequerentur*] Neque Antiates impedimento esse, quominus Latini bellum susceptum prosequerentur: neque Latinos obstare, quin pax ab Antiatibus, quibus cordi erat, perficeretur.

pugnæ fuerat, igni concremarent: nec aliud tectum ejus superfuit urbis, (cum faces pariter sacris profanisque injicerent,) quam matris Matutæ templum.[f] Inde eos nec sua religio, nec verecundia Deum arcuisse dicitur, sed vox horrenda, edita templo cum tristibus minis, ni nefandos ignes procul delubris amovissent. Incensos ea rabie impetus Tusculum tulit, ob iram, quod, deserto communi concilio Latinorum, non in societatem modo Romanam, sed etiam in civitatem, se dedissent. Patentibus portis cum improviso incidissent, primo clamore oppidum præter arcem captum est. In arcem oppidani refugere cum conjugibus ac liberis, nuntiosque Romam, qui certiorem de suo casu senatum facerent, misere. Haud segnius, quam fide populi Romani dignum fuit, exercitus Tusculum ductus. L. Quintius et Ser. Sulpicius tribuni militum duxere. Clausas portas Tusculi, Latinosque simul obsidentium atque obsessorum animo hinc mœnia Tusculi[5] tueri vident, illinc arcem oppugnare; terrere una ac pavere.[g] Adventus Romanorum mutaverat utriusque partis animos. Tusculanos ex ingenti metu in summam alacritatem, Latinos ex prope certa fiducia mox capiendæ arcis, quoniam oppido potirentur, in exiguam de se ipsis spem verterat. Tollitur ex arce clamor ab Tusculanis: excipitur aliquanto majore[6] ab exercitu Romano. Utrimque urgentur Latini: nec impetus Tusculanorum, decurrentium ex superiore loco, sustinent; nec Romanos, subeuntes mœnia molientesque obices portarum, arcere possunt. Scalis prius mœnia capta; inde effracta claustra

5 'Vox *Tusculi* forte est glossa, et a multis edd. abest.' *Rupert.*—6 Rott. Voss. uterque *aliquanto major.*

NOTÆ

[f] *Matris Matutæ templum*] In coloniis civium Romanorum eadem colebantur numina, quæ Romæ; ubi matris Matutæ ædes fuit a Servio primum Tullio dedicata, inde a Camillo, confecto Veienti bello, ex voto refecta. Noster lib. v. cap. 19. et 23.

[g] *Terrere una ac pavere*] Terrere Tusculanos in arce obsessos, pavere Romanos exteriora mœnia obsidentes. Huc videtur allusisse Tacit. 'in vulgo nil modicum; terrere, ni paveant; ubi pertimuerint, impune contemni.'

portarum. Et cum anceps hostis et a fronte et a tergo urgeret,[d] nec ad pugnam ulla vis, nec ad fugam loci quicquam superesset; in medio cæsi ad unum omnes. Recuperato ab hostibus Tusculo, exercitus Romam est reductus.

34. Quanto magis† prosperis eo anno bellis tranquilla omnia foris erant, tanto in Urbe vis Patrum in dies miseriæque plebis crescebant; cum eo ipso, quod necesse erat solvi,[h] facultas solvendi impediretur. Itaque, cum jam ex re nihil dari posset,[e] fama et corpore, judicati[i] atque addicti, creditoribus satis faciebant, pœnaque in vicem fidei cesserat.[f] Adeo ergo obnoxios summiserant animos non infimi solum, sed principes etiam plebis, ut non modo ad tribunatum militum inter patricios petendum, quod tanta vi, ut liceret, tetenderant, sed ne ad plebeios quidem magistratus capessendos petendosque ulli viro acri experientique animus esset; possessionemque honoris, usurpati modo a plebe per paucos annos, recuperasse in perpetuum Patres viderentur. Ne id nimis lætum parti alteri esset, parva (ut plerumque solet) rem ingentem moliundi causa intervenit. M. Fabii Ambusti,[k] potentis viri, cum inter sui

[d] *Hostes ex duplici latere advenientes.*
[e] *Nihil solvi possit ex bonis.*
[f] *Et loco solutionis (qua fides præstatur) supplicium succedebat.*

NOTÆ

† *Quanto magis, &c.*] Omisit hic Livius tribunos militares anni Catoniani 379. L. Papirium, L. Menenium, Ser. Cornelium, Ser. Sulpicium, quos memorat Diodorus Siculus ad Olymp. 103. 1. Qua de re vide Henr. Dodwellum Diss. 10. de cyclis 2. 82. *J. Clericus.*

[h] *Eo ipso, quod necesse erat solvi*] Cum magnus esset obæratorum numerus, omnesque simul ad solutionem urgerentur, fiebat ut in ære alieno dissolvendo alter alterum juvare non posset; et sic omnibus ex eo adimeretur solvendi facultas.

[i] *Fama et corpore, judicati*] Luebant fama, quod cum non essent solvendo, tanquam fraudatores condemnarentur. Id autem cum ignominia conjunctum, adeo ut lege Roscia certus decoctoribus locus in spectaculis fuerit constitutus, quamvis quis fortunæ vitio, non suo decoxisset, teste Cic. Philip. II. Corpore autem luebant debitores, quod in vinculis operas pro debito præstare cogerentur, ut jam sæpius annotatum.

[k] *M. Fabii Ambusti*] Cognomen Ambusti qui primus gessit, ex eo sic dictus est, quod adolescens fulmine

corporis homines, tum etiam ad plebem, quod haudquaquam inter id genus contemtor ejus habebatur,[g] filiæ duæ nuptæ, Ser. Sulpicio major, minor C. Licinio Stoloni[1] erat, illustri quidem, viro tamen plebeio: eaque ipsa affinitas haud spreta gratiam Fabio ad vulgum quæsierat. Forte ita incidit, ut, in Ser. Sulpicii tribuni militum domo sorores Fabiæ cum inter se (ut fit) sermonibus tempus tererent, lictor Sulpicii, cum is de foro se domum reciperet, forem (ut mos est) virga percuteret.[m] Cum ad id, moris ejus insueta, expavisset minor Fabia, risui sorori fuit, miranti ignorare id sororem. Ceterum is risus stimulos parvis mobili rebus animo muliebri subdidit: frequentia quoque prosequentium rogantiumque, 'num quid vellet,' credo fortunatum matrimonium ei sororis visum; suique ipsam malo arbitrio, quo a proximis quisque minime anteiri vult, pœnituisse.[h] Confusam eam ex recenti morsu animi cum pater forte vidisset, percunctatus, 'satin salvæ?' avertentem causam doloris[i] (quippe nec satis piam adversus so-

[g] *Gratiosus et inter viros sui ordinis (patricii), et inter plebeios quoque; quoniam apud eos credebatur ordinem illum (plebeium) neutiquam despicere.*

[h] *Animum fœmineum, qui exiguis rebus facile movetur atque impellitur, vehementi incitatione inflammavit. Suspicor etiam conjugium sororis fortunatum ei visum ob multitudinem eorum qui maritum sequebantur, et quærebant an aliquid juberet: ideoque eam deplorasse sortem suam, perversu illa voluntate qua unusquisque se a necessariis superari minime patitur.*

[i] *Cum illa alio verteret doloris causam.*

NOTÆ

in naribus tactus fuisset.

[1] *Licinio Stoloni*] Inutilem ex radicibus arborum fruticationem Latini stolonem appellant: inde Stolonum cognomen in Liciniorum gentem invectum, quod hic Licinius propter diligentiam culturæ confirmavit, quoniam nullus in ejus fundo reperiri poterat stolo, quod eos sedulo circum arbores effoderet, auctore Varr. IV. de Re Rust. Plin. lib. XVII. cap. 1. *Stoloni* ait nomen datum ob pampinationem inventam. Licinii vero nomen iis generaliter inditum qui parvis oculis nascebantur.

[m] *Forem (ut mos est) virga percuteret*] Consule, aliove majori magistratu ædes aliquas ingressuro, virga fores a lictore percuticbantur, monendi causa; nisi ejus esset ædes, cui deferendus ab ipso magistratu videretur honor. Qua de causa Cn. Pompeius, confecto Mithridatico bello, intraturus Posidonii sapientiæ professoris domum, 'fores percuti de more a lictore vetuit; et fasces lictorios januæ summisit is, cui se Oriens Occidensque summiserat,' inquit Plin. l. VII. c. 30.

rorem, nec admodum in virum honorificam) elicuit comiter sciscitando, ut fateretur, eam esse causam doloris,[8] quod juncta impari esset, nupta in domo, quam nec[9] honos nec gratia intrare posset.[k] Consolans inde filiam Ambustus bonum animum habere jussit: eosdem prope diem domi visuram honores, quos apud sororem videat. Inde consilia inire cum genero cœpit, adhibito L. Sextio, strenuo adolescente, et cujus spei nihil præter genus patricium deesset.

35. Occasio videbatur rerum novandarum propter ingentem vim æris alieni; cujus levamen mali plebes, nisi suis in summo imperio locatis, nullum speraret. Accingendum ad eam cogitationem[n] esse.[10] Conando agendoque jam eo gradum fecisse plebeios, unde, si porro annitantur, pervenire ad summa,[11][o] et Patribus æquari, tam honore, quam virtute, possent. In præsentia tribunos plebis fieri placuit, quo in magistratu sibimet ipsi viam ad ceteros

[k] *In qua nullus pateret aditus, nec ad dignitatem, nec ad potentiam.*

8 'Forte verba, *ut fateretur, eam esse causam doloris*, certe postrema *causam doloris*, inconcinne repetita, (v. tamen ad I. 3. 8.) e marg. irrepserunt, et leg. *ex avertente* sc. se a patre, ut confusionem animi ab eo occultaret, (nisi jungere malis *percunctatus avertentem* sese) *causam doloris elicuit*, ut 'arcana ejus elicuit'. XL. 23. pr. et 'sermonem elicere.' IX. 6.' *Rupert.*—9 Vet. lib. apud Sigon. *in quam nec.*

10 Conj. J. F. Gronov. *Accingendum ad ea cogitationem esse.*—11 *Ad sum-*

NOTÆ

[n] *Accingendum ad eam cogitationem*] *Accingendum* esse, pro 'accingi,' vel 'se accingere,' aut sine pronomine, 'accingere oportere.' Nam et in activa voce dixit Virgil. 'accingunt omnes operi.' Nec probari mihi potest Gronovii conjectura, quasi melius sit *accingendam ad ea cogitationem.* Quis enim 'accingere' a personis transtulit? aut quis ferat 'cogitationem accingi,' seu 'accinctam,' dici?

[o] *Pervenire ad summa* [*summam*] Cave *summam* adjectivum putaveris, quasi ad cogitationem referatur. Non enim de cogitatione, spe, consiliove agitur, sed de ipsa re. Est itaque substantive summa, rerum seu reip. summa, nullo addito, suprema administratio, præcipuus gradus auctoritatis. Sic apud Cic. IV. Catil. 'Quid ego hic equites Romani commemorem, qui vobis ita summa ordinis consiliique concedunt, ut vobiscum de amore reip. certent?' Id qui non probaverit, legat licet, *pervenire ad summa.*

honores aperirent. Creatique tribuni C. Licinius et L. Sextius promulgavere leges omnes[p] adversus opes patriciorum, et pro commodis plebis: unam de ære alieno, ut, deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id, quod superesset, triennio æquis portionibus persolveretur:[l] alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera[q] agri possideret: tertiam, ne tribunorum militum comitia[r] fierent,[12] consulumque utique alter ex plebe crearetur. Cuncta ingentia, et quæ sine certamine maximo obtineri non possent. Omnium igitur simul rerum, quarum immodica cupido inter mortales est, agri, pecuniæ, honorum, discrimine proposito,[m] conterriti Patres, cum trepidassent,[13] publicis privatisque consiliis nullo remedio alio, præter expertam multis jam ante certaminibus intercessionem, invento, collegas adversus tribunicias rogationes comparaverunt. Qui, ubi tribus ad suffragium ineundum citari a Licinio Sextioque viderunt, stipati Patrum præsidiis, nec recitari rogationes, nec solenne quicquam aliud ad sciscen-

[l] *Ut quod usurarum nomine solutum esset, imputaretur in sortem; reliqua sors æquis tribus per annos totidem pensionibus repræsentaretur.*

[m] *Cum constitutum esset certamen de iis omnibus quorum cupiditate homines inter se committuntur, atque agitantur, &c.*

mam Gronov. Doujat.—12 Reponendum monet Sigon. ex vett. libb. *ne tribunorum militum comitia fierent, sed consulum, et ut utique alter ex plebe crearetur.* Codd. nonnullorum præsidio conjectura Drakenborchii nititur, *ne tribunorum militum comitia fierent, sed consulum; utique alter ex p. c.*'—13 Legendum monet

NOTÆ

[p] *Promulgavere leges omnes*] Hi duo tribuni plebis cum aliis creati plures promulgarunt leges, quæ omnes, &c.

[q] *Plus quingenta jugera*] Hujus legis sive plebisciti auctor, Licinius Stolo, sua ipse lege paulo post damnatus est, convictus modum a se præscriptum in duplum excessisse, et mille jugera possidere, dimidium suo, dimidium filii nomine.

Plus quingenta jugera] Non exiguus erat ille agri modus iis temporibus; nam, ut docet Varro de R. R. l. I. c. 10. 'Jugerum est, quod quadratos duos actus habet: actus quadratus, qui et latus est pedes 120. et longus totidem.' Paulo post, pro *consulumque*, scripsimus *sed consulum*, ex antiquis libris, ut volebat J. F. Gronovius. *J. Clericus.*

[r] *Ne tribunorum militum comitia*] Ne crearentur in posterum tribuni militum consulari potestate: sed summa rerum ad consules rediret, quorum saltem unus esset ex plebe.

dum plebi fieri passi sunt. Jamque frustra sæpe concilio advocato, cum pro antiquatis rogationes essent, 'Bene habet,' inquit Sextius; 'quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. Agitedum, comitia indicite, Patres, tribunis militum creandis. Faxo, ne juvet vox ista VETO, qua nunc concinentes collegas nostros tam læti auditis.' Haud irritæ cecidere minæ: comitia, præter ædilium[s] tribunorumque plebis, nulla sunt habita. Licinius Sextiusque, tribuni plebis refecti,* nullos curules magistratus creari passi sunt. Eaque solitudo magistratuum, et plebe reficiente duos tribunos, et his comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquennium[t] Urbem tenuit.[14]

36. Alia bella opportune quievere: Veliterni coloni, gestientes otio, quod nullus exercitus Romanus esset, et agrum Romanum aliquoties incursavere, et Tusculum oppugnare adorti sunt. Eaque res, Tusculanis veteribus sociis, novis civibus, opem orantibus, verecundia maxime[15] non Patres modo, sed etiam plebem, movit. Remittentibus tribunis plebis,[u] comitia per interregem sunt habita; creatique tribuni militum L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius, P. et C. Valerii,† haudquaquam tam obedientem in delectu, quam in comitiis, plebem habuere: ingentique con-

[u] *Tribunis plebis renuntiantibus intercessioni.*

Tan. Faber *trepidarent.*—14 Conj. Rupert. *in Urbe tenuit.*

NOTÆ

[s] *Ædilium*] Plebeiorum.

* A. U. C. 378. sine majoribus magistratibus.

[t] *Per quinquennium*] Eutropius et Cassiodorus huic anarchiæ quadriennium tantum assignant. Itemque Sex. Rufus cujus hic ascribenda videntur verba: 'Quadraginta quinque annis Romæ consules defuerunt: sub decemviris, duobus; sub tribunis militum, quadraginta tribus; sine magistratibus Roma fuit annis quatuor.' Sed quod scribit Romam XLIII. annis sub tribunis militum fuisse, de eo tantum tempore accipiendum quod ex patriciis solis facti ejusmodi tribuni: unde et totius annorum summæ augendus est numerus adjectis annis quibus ex utroque ordine tribuni militum creati.

† A. U. C. 383.

tentione exercitu scripto profecti, non ab Tusculo modo summovere hostem, sed intra suamet ipsum mœnia compulere. Obsidebanturque haud paulo vi majore Velitræ, quam Tusculum obsessum fuerat; nec tamen ab eis, a quibus obsideri cœptæ erant, expugnari potuere. Ante novi creati sunt tribuni militum, Q. Servilius, C. Veturius,[16] A. et M. Cornelii, Q. Quintius, M. Fabius.* Nihil ne ab his quidem tribunis ad Velitras memorabile factum. In majore discrimine domi res vertebantur: nam præter Sextium Liciniumque latores legum, jam octavum tribunos plebis refectos, Fabius quoque tribunus militum, Stolonis socer, quarum legum auctor fuerat,[u] earum suasorem se haud dubium ferebat. Et, cum octo ex collegio tribunorum plebis primo intercessores legum fuissent, quinque soli erant:[x] et (ut ferme solent, qui a suis desciscunt) capti et stupentes animi[17] [y] vocibus alienis id modo, quod domi præceptum erat, intercessioni suæ prætendebant: 'Velitris in exercitu plebis magnam partem abesse: in adventum militum comitia differri debere, ut universa plebes de suis commodis suffragium ferret.' Sextius Liciniusque, cum parte collegarum et uno ex tribunis militum Fabio, artifices jam tot annorum usu tractandi animos plebis,[o] primores Patrum productos interrogando de singulis, quæ ferebantur ad populum, fatigabant: 'Auderentne postulare, ut, cum

[o] *Post tot annorum experientiam earum artium periti, quibus allicerentur atque impellerentur plebeiorum mentes.*

15 *Maxima* in ed. Rom. 1472. prob. Stroth.—16 Addunt *iterum* Gronov. Doujat. Crevier.—17 'In uno cod. *animis,* quod ad utrumque partic. referri

NOTÆ

* A. U. C. 384.

[u] *Fabius, &c. quarum legum auctor fuerat*] Quemadmodum filiæ minori promiserat, extremo c. 34.

[x] *Quinque soli erant*] Tribus ex intercessorum numero ad Sextium et Licinium adjunctis, aut certe intercessioni renuntiantibus, non nisi quinque supererant qui in ea perseverarent.

[y] *Capti et stupentes animi*] Vult hos quinque tribunos, cum res agenda esset, deprehensos, hærentes, impeditos, atque animo attonito fuisse; quoniam non proprio ingenio utebantur in eo negotio prosequendo, ubi firmanda rationibus erat intercessio, collegarum conatibus ab ipsis oppo-

bina jugera agri plebi dividerentur, ipsis plus quingenta jugera habere liceret? Ut singuli prope trecentorum civium possiderent agros, plebeio homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ,[z] suus pateret ager? An placeret, fœnere circumventam plebem potius, quam sorte creditum solvat,[18 a] corpus in nervum ac supplicia dare?[p] et gregatim quotidie de foro addictos duci, et repleri vinctis nobiles domos?[19] et, ubicumque patricius habitet, ibi carcerem privatum esse?'

37. Hæc indigna miserandaque auditu cum apud timentes sibimet ipsos,[b] majore audientium indignatione, quam sua, increpuissent; 'atqui nec agros occupandi modum, nec fœnere trucidandi plebem,[c] alium Patribus unquam

[p] *Corpora sua tradere vinculis ferreis constringenda, et suppliciis excrucianda.*

potest.' *Rupert.*—18 *Plebem, ni potius, quam sortem creditum solvat* edd. ante Drak. Conj. Bauer. *ni ocius sortem creditam solvat.*—19 Vet. lib. apud Sigon. *nobilium domos.*

NOTÆ

sita: unde ea tantum afferebant quæ aliorum monitis domi antea fuerant meditati. Nimirum, &c.

[z] *Aut locum sepulturæ*] Tritum Romanorum veterum sepulcra extra Urbem in agris cujusque privatis fuisse.

[a] [*Ni*] *potius, quam sorte* [*sortem*] *creditum solvat*] Vexatus inprimis locus Sigonii, Faërni, Salmasii lectionibus et conjecturis. Gronovius legendum conjiciebat, *An placeret fœnore circumventam plebem, potius quam sorte creditum solvat, corpus in nervum ac supplicia dare:* quam lectionem ait a Mureto ex membranis annotatam, prout sibi a Nesselrodio S. J. confirmatum esse. Quod a sententia quidem Livii non videtur abhorrere. Sed quæ adduntur a Gronovio, rem implicant magis meo judicio, quam explicant. Miror in re non ita difficili tot præclara ingenia laborasse, cum adjecta unica syllaba constet plane sententia tribunorum: si nempe legamus, *an placeret fœnore circumventam plebem, ni id* (fœnus nempe, sive usuras) *potius quam sortem creditam solvat*, vel *quam sortem crediti solvat, corpus in nervum ac supplicia dare.* Id enim querebantur, ita exhauriri atque obrui plebem pondere usurarum, quæ ante sortem exigebantur, ut nunquam ad solvendam, in totum, vel ex parte, sortem posset pervenire; ne tum quidem cum corpora in ergastulum darentur.

[b] *Apud timentes sibimet ipsos*] Coram plebeiis qui a creditorum injuriis sibi quisque metuebant: ideoque plus quam ipsi tribuni indignabantur.

[c] *Fœnere trucidandi plebem*] Qui vitæ subsidia præripit, trucidare videtur. Unde illud Ambrosii: *pauperes, si,* cum posses, *non pavisti: occidisti.* Hoc facit usura. Neque enim tantum debitorem morsu continuo arro-

fore,'[q] affirmabant, 'nisi alterum ex plebe consulem, custodem suæ libertatis, plebes fecisset.[20] Contemni jam tribunos plebis,[1] quippe quæ potestas jam suam ipsa vim frangat intercedendo. Non posse æquo jure agi, ubi imperium penes illos, penes se auxilium tantum sit.[d] Nisi imperio communicato, nunquam plebem in parte pari rei publicæ fore: nec esse, quod quisquam satis putet, si plebeiorum ratio comitiis consularibus habeatur: nisi alterum consulem utique ex plebe fieri necesse sit, neminem fore. An jam memoria exisse, cum tribunos militum idcirco potius, quam consules, creari placuisset, ut et plebeiis pateret summus honos, quatuor et quadraginta annis[e] neminem ex plebe tribunum militum creatum esse? Qui crederent, duobusne in locis[2 f] sua voluntate impartituros[3] plebi ho-

[q] *Non aliter patricios finem facturos sive agrum publicum usurpandi, sive plebeios usuris opprimendi ac devorandi, quam si, &c.*

20 *Plebs fecisset* Gronov. Doujat. Crevier.—1 *Plebi* Gronov. *plebei* Crevier. —2 'Cum Jac. Gronov. leg. *Qui crederent*, vel *Quis crederet, duobus nunc in locis* cet. aut cum J. F. Gron. delendum sive τὸ *ne*, sive *qui crederent*. Faber conj. *Quid? crederentne duobus in locis*, et Bauer. *creatum esse, cui rem publicam crederent*, ut indignitas augeatur: dignos non habitos plebeios nec idoneos quibus resp. crederetur.' *Rupert.* Vid. inf. et Not. Var.—3 *Impertituros*

NOTÆ

dit, quod indicat Hebraicum נשך, *neschekh*, sed enecat: siquidem pecuniam et substantiam omnem paulatim absumit, et surripit, quæ ex Græco adagio, αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς. 'Hinc usura vorax, avidumque in tempore fœnus' apud Lucanum. An potius, *in tempora?*

[d] *Penes se auxilium tantum sit*] Tribuni plebis vetandi, non (ut consules) imperandi, jus habebant: intercedendo ac prohibendo ferebant oppressis opem.

[e] *Quatuor et quadraginta annis*] Verum quidem est ab anno U. C. 309. quo primum creati tribuni militum consulari potestate, ad annum 353. quo primus e plebe Licinius ad eam dignitatem est evectus, annos numerari XLIV. Sed per ea tempora non nisi bis ac vicies habita fuerant hujusmodi tribunorum comitia ante illa quibus Licinius cum aliis plebeiis creatus: et qui primi hunc magistratum inierant, abdicare jussi erant, tanquam vitio facti. Inter hos tribunatus inserti pari fere annorum numero consules.

Quatuor et quadraginta annis] Ab anno U. C. 311. ad annum 355. quo C. Licinius Calvus e plebe factus est tribunus militum. Quare confirmationem hinc trahit Dodwelliana Chronologia, quam secuti sumus; cum ex aliorum calculo non inveniantur 44. anni inter hasce epochas. *J. Clericus.*

[f] *Qui crederent, duobusne in locis*] Delendum vel τὸ *ne*, vel τὰ *qui crede-*

norem, qui octona loca[g] tribunis militum creandis occupare soliti sint? et ad consulatum viam fieri passuros, qui tribunatum septum tam diu habuerint? Lege obtinendum esse, quod comitiis per gratiam nequeat; et seponendum extra certamen alterum consulatum, ad quem plebi sit aditus, quoniam in certamine relictus[h] præmium semper potentioris futurus sit. Nec jam posse dici id, quod antea jactare soliti sint, non esse in plebeiis idoneos viros ad curules magistratus. Numquid enim socordius aut segnius rem publicam administrari post P. Licinii Calvi tribunatum, qui primus ex plebe creatus sit; quam per eos annos gesta sit, quibus præter patricios nemo tribunus militum fuerit? Quin contra patricios aliquot damnatos post tribunatum, neminem plebeium. Quæstores quoque,[i] sicut tribunos militum, paucis ante annis ex plebe cœptos creari:[4] nec ullius eorum populum Romanum pœnituisse.

Gronov. Doujat. Crevier.—4 Al. *cœptos creari?*

NOTÆ

rel, vel *quis crederet*, (quod Sigonio placebat,) Gronov. censet. Sic sane expedita res erit. Nec magis implicata videbitur, si Tan. Fabri judicio, transferatur particula *ne*: sic: *quid? crederentne duobus in locis.* Idem erit intellectus, si, sola interpunctione mutata, legamus: *quid crederent? duobusne in locis, &c.* Alioqui satis plana per se est sententia, plebeios credere hadquaquam debere futurum, ut patricii ex duobus consulum locis patiantur ultro unum plebeio cuiquam assignari; nisi id certa lege constitutum fuerit.

Esse? qui crederent duobusne] Legerim et distinxerim: *creatum? Essene qui crederent duobus in locis, &c.* Minima certe eo modo fit mutatio. *J. Clericus.*

[g] *Octona loca*] Initio tres duntaxat creabantur tribuni militum consulari potestate, deinde quatuor, postea sex ab an. 348. atque hic status ferme numerus fuit. Nec vero amplioris numeri ulla alibi vestigia. Quare quod hic dicitur, *patricios octona loca* in creandis tribunis militum occupare solitos esse, emendandum ita ut *sena loca* scribantur. Qua enim fronte solenne esse coram universo populo affirmarent tribuni, quod vix semel, ac ne semel quidem contigisse apud omnes constaret? Vid. l. v. c. 1.

[h] *In certamine relictus*] Si consulatus inter contendentes de eo patricios et plebeios relinquatur populi arbitrio, semper patriciis tanquam potentioribus deferetur.

[i] *Quæstores quoque*] De quæstoribus rei pecuniariæ duplicandis, ut duo in urbe ærarium curarent, duo consulibus adessent ad rem militarem, certatum fuerat inter plebem et Senatum anno 315. uti lib. iv. cap. 43. et 44. dictum. Anno demum 344.

Consulatum superesse plebeiis:[k] eam esse arcem libertatis, id columen. Si eo perventum sit, tum populum Romanum vere exactos ex Urbe reges, et stabilem libertatem suam existimaturum. Quippe ex illa die in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant, imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, majora liberis relinquenda.' Hujus generis orationes ubi accipi videre; novam rogationem promulgant, ut pro duumviris sacris faciundis[1] decemviri creentur, ita ut pars ex plebe, pars ex Patribus fiat: omniumque earum rogationum comitia in adventum ejus exercitus differunt, qui Velitras obsidebat.

38. Prius circumactus est annus, quam a Velitris reducerentur legiones. Ita suspensa de legibus res ad novos tribunos militum dilata.[5] Nam plebis tribunos eosdem, duos utique, quia[6] legum latores erant, plebes reficiebat. Tribuni militum creati T. Quintius, Ser. Cornelius, Ser. Sulpicius, Sp. Servilius, L. Papirius, L. Veturius.* Principio statim anni ad ultimam dimicationem de legibus ventum: et, cum tribus vocarentur, nec intercessio collegarum latoribus obstaret, trepidi Patres ad duo ultima auxilia, summum imperium summumque ad civem, decurrunt. Dictatorem dici placet. Dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitum L. Æmilium cooptat. Legum quoque latores adversus tantum apparatum adversariorum et ipsi causam plebis ingentibus animis armant: concilioque plebis indicto,[r] tribus ad suffragium vocant. Cum dictator, stipatus agmine patriciorum, plenus iræ minarumque consedisset, atque ageretur res solito primum certamine inter se tribunorum plebi, ferentium legem inter-

[r] *Et comitiis tributis.*

NOTÆ

creati sunt quatuor, quorum tres plebeii. Supra eodem lib. cap. 54.

[k] *Consulatum superesse plebeiis*] Supple, expugnandum, seu adipiscendum a plebeiis, ne qua in re inferiores patriciis viderentur. Nam hactenus ea illis dignitas defuerat.

[1] *Pro duumviris sacris faciundis*] Hi, sive hactenus duumviri patricii, sive postea decemviri ex utroque genere mixti, librorum Sibyllinorum custodes, sacra, quoties opus erat, ex carminum illorum præscripto curabant.

* A. U. C. 385.

cedentiumque, et, quanto jure potentior intercessio erat, tantum vinceretur favore legum ipsarum latorumque, et, 'Uti rogas,'[7] primæ tribus dicerent;[m] tum Camillus, 'Quandoquidem,' inquit, 'Quirites, jam vos tribunicia libido, non potestas, regit, et intercessionem, secessione quondam plebis partam, vobis[8] eadem vi facitis irritam, qua peperistis; non rei publicæ magis universæ, quam vestra causa, dictator intercessioni adero,[9][n] eversumque vestrum auxilium imperio tutabor. Itaque, si C. Licinius et L. Sextius intercessioni collegarum cedunt; nihil patricium magistratum inseram concilio plebis. Si adversus intercessionem, tanquam captæ civitati leges imponere tendent, vim tribuniciam a se ipsa dissolvi non patiar.' Adversus ea cum contemtim tribuni plebis rem nihilo segnius peragerent, tum percitus ira Camillus lictores, qui de medio plebem emoverent, misit. Et addidit minas, si pergerent, sacramento omnes juniores adacturum, exercitumque extemplo ex Urbe educturum.[10] Terrorem ingentem incusserat plebi; ducibus plebis accendit magis certamine animos, quam minuit. Sed, re neutro inclinata,[s]

[s] *Rebus imperfectis, et neutram in partem definitis.*

5 Conj. Bauer. *delata.*—6 *Qui* Gronov. Doujat. Crevier.—7 Vulg. *et ut rogassent.* Vid. Not. Var.—8 Vulg. *nobis.*—9 Vett. libb. *intercessioni vestræ adero.*—10 Vulg. *exercitum extemplo, ex urbe deducturum.* Vet. lib. ap. Sigon.

NOTÆ

[m] *Uti rogas, primæ tribus dicerent*] Hæc solennis formula fuit rem a magistratu propositam comprobantium suffragiis suis, sive voce, sive tabella exprimeretur: *Uti rogas:* id est, ut tu consul, dictator, tribune, interrogas, ita ego censeo. Itaque recte emendavit Sigonius ex τῷ *uti rogassent.*

Uti rogas] Hoc est, fiat, uti rogas. Formula fuit qua plebs rogationibus assentiebatur, ut recte ostendit Car. Sigonius. *J. Clericus.*

[n] *Dictator intercessioni adero*] Alias *intercessioni vestræ:* expulit Gron. τὸ *vestræ*, quod non tribunos plebis, qui soli jus habebant intercedendi, sed plebem ipsam Camillus alloquatur. Sed cum concioni omnes tribuni interessent, tam quinque, qui in gratiam Senatus intercedebant plebiscito, quam Licinius Sextiusque, quorum conatibus intercedebatur, aliique neutrarum partium; non video quid obsit, quominus ad tribunos quinque intercessionis auctores pertinere potuerit sermo Camilli.

magistratu se abdicavit; seu quia vitio creatus erat, ut scripsere quidam, seu quia tribuni plebis tulerunt ad plebem, idque plebs scivit, ut, si M. Furius pro dictatore quid egisset, quingentum millium[11] ei° mulcta esset. Sed auspiciis magis, quam nova exempli rogatione, deterritum ut potius credam, cum ipsius viri facit ingenium, tum quod ei suffectus est extemplo P. Manlius dictator: quem quid creari attinebat ad id certamen, quo M. Furius victus esset? et quod eundem M. Furium dictatorem insequens annus habuit, haud sine pudore certe fractum priore anno in se imperium repetiturum: simul quod eo tempore, quo promulgatum de mulcta ejus traditur, aut et huic rogationi, qua se in ordinem cogi videbat, obsistere potuit; aut ne illas quidem, propter quas et hæc lata erat, impedire: et, quoad usque ad memoriam nostram tribuniciis consularibusque certatum viribus est, dictaturæ semper altius fastigium fuit.[12]

39. Inter priorem dictaturam abdicatam novamque a

exercitumque extemplo educturum.—11 *Æris* addunt codd. nonnulli.—12 ' *Et quod usque ad memor. nostram tribun.... fuit.* Desideratur vox una, sine qua stare hæc sententia non potest, quam diu a me quæsitam vix in uno tandem manuscripto libro reperi: *et quod quotiens usque ad:* at malim illam postponi, sic: *et quod usque ad memoriam nostram quoties tribuniciis.*' Sigon.

NOTÆ

° *Quingentum millium ei*] Immensa pecunia, et, si æs grave intelligimus, supra cujusquam tunc privati facultates. Essent enim lib. Francicarum 337500. Sed magnitudine pecuniæ deterrendus erat tantus vir a dictaturæ vi exerenda. Si ad ætatis suæ æstimationem respexisse velimus Livium 15000. librarum nostratium hæc summa non implebit. At Plut. in Cam. quinque argenti myriadas vertit, hoc est, quinquaginta millia drachmarum Atticarum: nondum enim argentea apud Romanos pecunia, nisi aliunde advecta. Drachma æstimata ad pretium quo apud nos est hodie argentum cusum, librarum Gallicarum 27. in singulas marcas, assibus nostris 8. æquiparari possunt addito fere semisse, siquidem grossum nostrum pendant. Sic fient 21250. libr. Quod si, non habita nec ponderis argenti, nec monetæ nostræ ratione, drachmas pretio antiquo denariorum, decem nempe assibus Romanis, id est, non multo plus quinis nostratibus, æstimemus, ex illis quindecim myriadibus summa parum ultra 12500. libras procedet.

Quingentum millium] Ingens pondus æris iis temporibus, et quod quinquies majus fuit censu primæ classis, de quo vide ad l. 1. c. 43. *J. Clericus.*

Manlio initam, ab tribunis velut per interregnum concilio plebis habito, apparuit, quæ ex promulgatis plebi,[p] quæ latoribus gratiora essent. Nam de fœnere atque agro rogationes jubebant, de plebeio consulatu antiquabant.[13] [q] Et perfecta utraque res esset, ni tribuni se[14] in omnia simul consulere plebem [r] dixissent. P. Manlius deinde dictator rem in causam plebis inclinavit, C. Licinio,[15] qui tribunus militum [s] fuerat, magistro equitum de plebe dicto. Id ægre Patres passos accipio; dictatorem propinqua cognatione Licinii se apud Patres excusare solitum, simul negantem, magistri equitum majus, quam tribuni consularis, imperium esse. Licinius Sextiusque, cum tribunorum plebi creandorum indicta comitia essent, ita se gerere, ut, negando jam sibi velle continuari honorem, acerrime accenderent [t] ad id, quod dissimulando petebant, plebem: ‘ No-

13 Conj. J. F. Gronov. *de plebe consules antiquabant.* Vid. Not. inf.— 14 Vet. lib. ap. Sigon. *ni tribuni plebis se.*—15 Conj. Rupert. *P. Licinio.*—

NOTÆ

[p] *Quæ ex promulgatis plebi*] Licinius et Sextius tribuni plebis, latores harum legum, consulatum affectabant: ipsi plebi minus curæ erat, alterum e consulibus necessario e plebe creari: id magis urgebat, ne ob æs alienum vexaretur, utque agri publici partem ferret. Has duas tantum leges probabat.

[q] *De plebeio consulatu antiquabant*] Conjicit Gronov. *de plebe consules antiquabant.* Rejiciebant nempe legem illam, vel caput illud legum, quod ad unum de plebe consulem spectabat. *Antiquare* enim ex Festo est in pristinum morem seu antiquum statum ac modum reducere.

[r] *Se in omnia simul consulere plebem*] Cum tres revera leges promulgatæ essent in totidem capita, quæ natura sua erant distincta, plebi eam legem ponunt hi tribuni, ut omnia capita simul vel admittat, vel repudiet. Id quidem non recto jure; (cautum enim legibus erat ne plus quam de singulis rebus consuleretur populus;) sed tamen nonnisi quatenus a Magistratibus consuleretur, consultare plebs poterat. Vide tamen orationem Appii Claudii Crassi mox c. 40.

[s] *C. Licinio, qui tribunus militum*] Non hic Licinium seditionis auctorem, (quanquam ita Plutarchus censebat,) sed alium intellige, quem tribunum militum fuisse Livius notat. Ejus autem tribunatum Sigonius auctore Diodoro Siculo refert ad annum 376. facitque collegam Sp. Furii Medullini. Seditiosus autem ille legum lator hoc anno nonum tribunus plebis refectus erat, nec simul cum hoc magistratu magistrum equitum gerere potuisset. Et vero ejus, tanquam diversi, mox Noster meminit.

[t] *Acerrime accenderent*] Simili arte Augustus, teste Tacito, Caium et Lu-

num se annum jam velut in aciem [16] adversus optimates maximo privatim periculo, nullo publice emolumento stare. Consenuisse jam secum et rogationes promulgatas, et vim omnem tribuniciæ potestatis. Primo intercessione collegarum in leges suas pugnatum esse; deinde ablegatione juventutis ad Veliternum bellum: postremo dictatorium fulmen in se intentatum. Jam nec collegas, nec bellum, nec dictatorem obstare; quippe qui etiam omen plebeio consuli, magistro equitum ex plebe dicendo, dederit. Se ipsam plebem et commoda morari sua.[t] Liberam urbem ac forum a creditoribus, liberos agros ab injustis possessoribus extemplo, si velit, habere posse. Quæ munera quando tandem satis grato animo æstimaturos, si, inter accipiendas de suis commodis rogationes, spem honoris latoribus earum incidant? Non esse modestiæ populi Romani id postulare, ut ipse fœnere levetur, et in agrum injuria possessum a potentibus inducatur; per quos ea consecutus sit, senes tribunicios non sine honore tantum, sed etiam sine spe honoris, relinquat.[17] Proinde ipsi primum statuerent apud animos, quid vellent: deinde comitiis tribuniciis[18] [u] declararent voluntatem. Si conjunctim ferri ab se promulgatas rogationes vellent, esse, quod eosdem reficerent tribunos plebis: perlaturos enim, quæ promulga-

[t] *Plebem sibi ipsi ac propriis utilitatibus impedimentum ac moram afferre.*

16 *Veluti in acie* Gronov. Donjat. Crevier.—17 Conj. J. F. Gronov. *relinquere* —18 Glareanus legit *tributis.*

NOTÆ

cium nepotes suos, ' necdum posita puerili prætexta, principes juventutis appellari, destinari consules, specie recusantis flagrantissime cupiverat.'

[u] *Comitiis tribuniciis*] Hæc fuere comitia, quibus tribuni plebis creandi erant, et quibus continuari poterat tribunatus ille C. Licinio et L. Sextio. Non est itaque, cur mutetur quicquam, aut cur legamus, *tributis,* ut Glareano visum. Sed tamen dubium non est, quin tributis comitiis fierent tribuni plebis, aliique magistratus plebeii. Licet enim initio comitiis curiatis creati legantur, attamen post legem a Publilio Volerone latam an. 290. de qua Livius lib. II. c. 56. et Dionys. lib. ix. ad extrema usque tempora comitiis tributis creabantur.

verint. Sin, quod cuique privatim opus sit, id modo accipi velint; opus esse nihil invidiosa continuatione honoris; nec se tribunatum, nec illos ea, quæ promulgata sint, habituros.'

40. Adversus tam obstinatam orationem tribunorum, cum, præ indignitate rerum, stupor silentiumque inde ceteros Patrum defixisset; Ap. Claudius Crassus, nepos decemviri, dicitur odio magis iraque, quam spe, ad dissuadendum processisse, et locutus in hanc fere sententiam esse: 'Neque novum, neque inopinatum mihi sit,[19] Quirites, si, quod unum familiæ nostræ semper objectum est ab seditiosis tribunis, id nunc ego quoque audiam: Claudiæ genti jam inde ab initio nil antiquius in re publica Patrum majestate fuisse; semper plebis commodis adversatos esse. Quorum alterum neque nego, neque infitias eo,[20] nos, ex quo asciti sumus[1] simul in civitatem et Patres,[x] enixe operam dedisse, ut per nos aucta potius, quam imminuta, majestas earum gentium, inter quas nos esse voluistis, dici vere posset. Illud alterum pro me majoribusque meis contendere ausim, Quirites, (nisi, quæ pro universa re publica fiant, ea plebi, tanquam aliam incolenti urbem, adversa quis putet,) nihil nos, neque privatos, neque in magistratibus, quod incommodum plebi esset, scientes fecisse: nec ullum factum dictumve nostrum contra utilitatem vestram (etsi quædam contra voluntatem fuerint) vere referri posse. An hoc, si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, et vivere in libera civitate sciam,

19 'Pro *sit* malim cum Drak. *fit*.' Doering.—20 *Non ego non ceteri Claudii inficiamur* Crevier. cum 2. aliis edd. ac uno codice a manu post. *Non ego non ceteri Claudii negamus* unus codex. *Neque ego, neque ceteri Claudii inficiamur* Ed. Rom. 1472. *Neque ego inficias eo* vel *neque nescio neque inficias eo* conjiciebat Jac. Gronov. Vid. Not. Var.—1 Conj. Bauer. *simus*, et mox

NOTÆ

x *In civitatem et Patres*] Statim enim atque e Sabinis migraverat Attius Claudius, Claudiorum parens, civis, et patricius, ac senator factus fuerat, supra lib. II. c. 16.

reticere possim? L. illum Sextium et C. Licinium, perpetuos (si Diis placet) tribunos, tantum licentiæ novem annis, quibus regnant,[y] sumsisse, ut vobis negent potestatem liberam suffragii, non in comitiis, non in legibus jubendis, se permissuros esse? Sub conditione, inquit,[†] nos reficietis decimum tribunos. Quid est[2] aliud dicere, Quod petunt alii,[z] nos adeo fastidimus, ut sine mercede magna non accipiamus? Sed quæ tandem ista merces est, qua vos semper tribunos plebis habeamus? ut rogationes, inquit, nostras, seu placent, seu displicent, seu utiles, seu inutiles sunt, omnes conjunctim accipiatis. Obsecro vos, Tarquinii tribuni plebis,[a] putate me ex media concione unum civem succlamare: Bona venia vestra liceat[3] ex his rogationibus legere, quas salubres nobis censemus esse; antiquare alias. Non, inquit, licebit.[b] Tu de fœnere[c] atque agris, quod ad vos omnes pertinet, jubeas; et hoc portenti non fiat in urbe Romana, uti L. Sextium[4] atque hunc C. Licinium consules, quod indignaris, quod abominaris, videas? Aut omnia accipe:[5] aut nihil fero. Ut si quis ei, quem urgeat fames, venenum ponat cum cibo, et

voluissetis pro *voluistis*.—2 Conj. Rupert. *Quid id est*.—3 Vulg. interpungitur, *succlamare bona venia vestra liceat*.—4 '*Ut Sextium*. Vet. lib. *uti Sextium*: ex quo colligi potest legendum, *ut L. Sextium*.' Sigon.—5 Vulg. *Videas, aut*

NOTÆ

[y] *Quibus regnant*] Per quos tribunatum, et sub tribunorum plebis nomine dominatum exercent: præsertim toto quinquennio, quo magistratus curules fieri non sunt passi.

[†] *Sub conditione, inquit, &c.*] Τὸ *inquit* refertur ad eum, qui ejusmodi objectiones proferebat, quicumque esset. Sic solent Latini; ut multis Senecæ exemplis probare liceret, si ea nunc investigare vacaret. Itaque nullus quærendus hic nominativus. *J. Clericus.*

[z] *Quod petunt alii*] Tribunatum plebis, velut honorem ac præmium.

[a] *Tarquinii tribuni plebis*] Vos qui tyrannidem more Tarquinii Superbi exercetis in plebem, cui tuendæ tantum creati estis.

[b] *Non, inquit, licebit*] Nullus hic erat nodus, nisi Sigonius interpretatione sua loco per se perspicuo tenebras offudisset. *Non licebit* non sunt verba Licinii aliorumque tribunorum, sed Appii Crassi ex tribunorum persona, sic ab eo relata ex eorum orationibus in pejus detortis, quasi hi sic pronuntiassent.

[c] *Tu de fœnere*] Hæc quoque velut sub persona Licinii ad plebem verba

aut abstinere eo, quod vitale sit, jubeat, aut mortiferum vitali admisceat. Ergo, si esset libera hæc civitas, non tibi frequentes succlamassent? Abi hinc cum tribunatibus ac rogationibus tuis. Quid? si tu non tuleris,[6] quod commodum est populo accipere, nemo erit, qui ferat illud? Si quis patricius, si quis (quod illi volunt invidiosius esse) Claudius diceret, Aut omnia accipite, aut nihil fero;[d] quis vestrum, Quirites, ferret? Nunquamne vos res potius, quam auctores, spectabitis? sed omnia semper, quæ magistratus ille dicet, secundis auribus, quæ ab nostrum quo dicentur,[u] adversis accipietis? At hercule sermo est minime civilis. Quid? Rogatio qualis est, quam a vobis antiquatam indignantur? Sermoni, Quirites, simillima:[7e] Consules, inquit, rogo, ne vobis, quos velitis, facere liceat. An aliter rogat, qui utique alterum ex plebe fieri consulem jubet, nec duos patricios creandi potestatem vobis permittit? Si hodie bella sint, quale Etruscum fuit, cum Porsena Janiculum insedit; quale Gallicum modo, cum præter Capitolium atque arcem omnia hæc hostium erant, et consulatum cum hoc M. Furio et[8] quolibet alio ex Patribus L. ille Sextius peteret; possetisne ferre, Sextium haud pro dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimicare? Hoccine est in commune honores vocare,[x] ut duos plebeios fieri consules liceat, duos patricios non liceat? et alterum

[u] *Quod aliquis e nobis (patriciis) proposuerit.*
[x] *Munera publica facere communia.*

omnia accipe.—6 *Rogationibus tuis? quid si non tuleris* Gronov. *Rogationibus tuis, quid si non tuleris* Doujat. *Tu* del. et Crevier.—7 Vulg. major distinctio

NOTÆ

facientis ab Appio dicuntur. Tu vero, quisquis ex civibus Romanis, id probare velis quod plebeiis omnibus utile fuerit, et audeas Sextium ac Licinium non dicere consules, ut eos in hoc gradu conspicias? Quod tamen (interserit veluti per parenthesim Appius) instar portenti esset Romæ, quod tu ipse civis de plebe indigne fers, et omni execratione prosequeris.

[d] *Aut omnia accipite, aut nihil fero*] Inducitur adhuc Licinius plebem alloquens.

[e] *Sermoni, Quirites, simillima*] Huic nempe sermoni, sive his verbis, legem fero ne vobis, quem velitis consulem, dicere liceat.

ex plebe creari necesse sit, utrumque ex Patribus præterire liceat? Quænam ista societas, quænam consortio est? Parum est, si, cujus pars tua nulla adhuc fuit,[f] in partem ejus venis, nisi partem petendo totum traxeris? Timeo, inquit, ne, si duos licebit creari patricios, neminem creetis plebeium. Quid est dicere aliud, Quia[9] indignos vestra voluntate creaturi non estis, necessitatem vobis creandi, quos non vultis, imponam? Quid sequitur, nisi ut ne beneficium quidem debeat populo, si cum duobus patriciis unus petierit plebeius, et lege se, non suffragio, creatum dicat?

41. 'Quomodo extorqueant, non quomodo petant honores, quærunt; et ita maxima sunt adepturi, ut nihil ne pro minimis quidem debeant:[10 g] et occasionibus potius, quam

post *simillima* ponitur.—8 *Aut* Gronov. Froben. all.—9 *Nisi quia* Gronov. Doujat. Crevier.

10 Emendat Tan. Faber *ut nihil pro iis nec minimum q. d.* et *ut nihil populo Romano Quiritium debeant:* J. F. Gronov. *ut nihil quasi pro minimis debeant:* Doujat. *ut nihil, ne ut pro m. q. d.* et *ita minima s. a. ut nihil, ne pro maximis q. d.* Drak. *ut nihil, ne minimum q. d.* et *ut nihil populo Rom. ne minimum q. d.* ' Forte leg. *et ita*, hac ratione, sc. perlata lege, *maxima*, maximos honores, (nisi scrib. *maximos*, quod auribus est gratius,) *sunt adepturi, ita nihil ne pro maximis quidem debebunt.* Pro *malunt* Gron. *malint.* An *malent?*' Rupert.—

NOTÆ

[f] *Cujus pars tua nulla adhuc fuit*] Si tu, tribune plebis, incipias particeps fieri ejus rei (consulatus nempe) cujus adhuc nulla pars ad te pertinet, &c.

[g] *Ne pro minimis quidem debeant*] Exigit sententia correctionem aliquam ut cohæreat: quod Gronov. vidit, atque ita emendat, *et ita maxima sunt adepturi, ut nihil quasi pro minimis debeant.* At Faber legendum primo censet, *ut nihil pro iis, nec minimum quidem debeant:* deinde quasi veram lectionem proponit, *ut nihil populo Romano Quiritium debeant.* Sed hæ textus potius eversiones sunt, quam correctiones. Mihi duorum alterum succurit, ut iterata non incommode particula monosyllaba, *ut*, legamus: *et ita maxima sunt adepturi, ut nihil, ne, ut pro minimis quidem, debeant:* id est, nihil pro maximis etiam honoribus (consulatu puta) debeant imposterum, ne quantum quidem nunc pro minimis (tribunatu scilicet plebis minore ac plebeio magistratu) debent: vel certe ut sic nomina duo superlativa permutemus, ut *minima* præponantur, *maxima* vero sequantur: *Et ita minima sunt adepturi, ut nihil, ne pro maximis quidem debeant.*

Ut nihil ne pro minimis quidem debeant] Hoc est, pro minimis plebeiorum, qui consulatum adipiscentur, nihil debeant populo, quasi illis etiam consulatum conferre necesse haberet. *J. Clericus.*

virtute, petere honores malunt. Est aliquis, qui se inspici, æstimari[11] fastidiat; qui certos sibi uni honores inter dimicantes competitores æquum censeat esse; qui se arbitrio vestro eximat; qui vestra necessaria suffragia pro voluntariis, et serva pro liberis faciat. Omitto Licinium Sextiumque, quorum annos in perpetua potestate, tanquam regum in Capitolio, numeratis:[12 b] quis est hodie in civitate tam humilis, cui non via ad consulatum facilior per istius legis occasionem, quam nobis ac liberis nostris, fiat? si quidem nos, ne cum volueritis quidem, creare interdum poteritis; istos, etiam si nolueritis, necesse sit. De indignitate satis dictum est: (etenim dignitas ad homines pertinet:) quid de religionibus atque auspiciis, quæ propria Deorum immortalium contemtio atque injuria est, loquar? Auspiciis hanc urbem conditam esse, auspiciis bello ac pace,[i] domi militiæque, omnia geri, quis est, qui ignoret? Penes quos igitur sunt auspicia more majorum?[k] nempe, penes

11 Vulg. *qui se inspici, qui æstimari.* Campanus *inspici æstimarique.* In edd. ante Drak. signa interr. posita post *fastidiat* et *esse, &c.*—12 J. F. Gronov. verba *in Capitolio* resecari malebat, aut legi *in Campo* vel *in comitio.*—

NOTÆ

[h] *Quorum annos in perpetua potestate, tanquam regum in Capitolio, numeratis*] Cum illud, *in Capitolio*, vel ad reges, vel ad tribunos plebis referri possit; neutris convenire Gronov. putat: non regibus, quod eorum nomina alibi numerari potuerint, quam in Capitolio: non tribunis plebis, quod eorum nulla in fastis mentio occurrat, aliisque de causis. Fatetur ille quidem tribunorum plebis creandorum comitia in Capitolio aliquando habita. Ego tunc maxime ibi habita conjicio, cum novum aliquid agitarent tribuni, et præsertim cum sibi continuari potestatem vellent. Idque Tiberii Gracchi exemplo probari potest, qui testibus Plutarcho in ejus vita, et Appiano lib. I. bellor. civil. ea in Capitolio habuit, cum iterum tribunus plebis fieri voluit, cumque triumviros agrarios nominari curavit. Mihi videtur hoc velle Appius: cum consulum ac tribunorum militarium potestas anno uno finiatur; et illi per annos singulos mutentur in fastis; potestatem Licinii Sextiique in infinitum prorogari, et quamdiu vivant, eos in honore esse velle; exemplo scilicet regum, quorum potestas in fastis Capitolinis toto regni tempore per plurimos annos continuata describeretur.

[i] *Auspiciis bello ac pace*] Vide lib. I. cap. 18. et 36. Huc pertinent quæ de auguribus Cic. II. de Leg. hoc inprimis: 'Nihil domi, nihil foris per magistratus gestum, sine eorum potestate posse approbari.'

[k] *Auspicia more majorum*] Lege Ro-

Patres. Nam plebeius quidem magistratus[1] nullus auspicato creatur. Nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum, quos populus creat patricios magistratus, non aliter, quam auspicato, creet; sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus, et privatim[13] auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent. Quid igitur aliud, quam tollit ex civitate auspicia, qui, plebeios consules creando, a Patribus, qui soli ea habere possunt, aufert? Eludant nunc licet religiones. Quid enim est, si pulli non pascentur?[m] si ex cavea tardius exierint? si occinuerit avis? Parva sunt hæc: sed parva ista non contemnendo majores nostri maximam hanc rem fecerunt. Nunc nos, tanquam jam nihil pace Deorum opus sit, omnes cærimonias polluimus. Vulgo ergo pontifices, augures, sacrificuli reges creentur:[y] cuilibet apicem dialem,[n]

[y] *Creentur igitur pontifices promiscue, et ex vulgi fæce.*

NOTÆ

muli solis patriciis commissa fuit sacrorum cura, teste Dionys. lib. II. Vide responsum consulis ad Canuleium lib. IV. cap. 6.

[1] *Plebeius quidem magistratus*] In comitiis tributis, quibus plebeii magistratus creabantur, observabatur quidem de cœlo: sed non adhibebatur avium inspectio. Verum in iis comitiis, quæ magistratuum creandorum causa fiebant, de cœlo servare magistratibus non licebat, ne sic comitia impedirent. Id augurum erat. Non enim sine auguribus comitia cujusquam generis. Id saltem constat, priusquam communicatus esset cum plebe consulatus, ita patriciorum propria fuisse auspicia, ut et soli auspicarentur, et soli auspicato magistratus crearentur; adeo ut, quoties nulli erant in rep. majores magistratus, per solos patricios auspicato diceretur interrex, qui centuriata comitia creandis magistratibus haberet.

[m] *Si pulli non pascentur*] Inducit tribunos pl. auspicia contemnentes: quibus mox respondet, indicatque genera duo divinandi ex avibus, ex pullorum nimirum pastu, et ex avium oscinum garritu, cantuve, quod proprie augurium. Præter hæc fuere alia divinationis genera, auspicium, aruspicina, et observatio de cœlo. Hinc auspicii vocabulum ab avium inspiciendo volatu deductum. Servare augures de cœlo dicebantur, cum observabant an in aëre appareret eorum aliquid, quibus visis non liceret agere cum populo; veluti si fulsisset, si tonuisset, si quid de cœlo tactum esset, ut id magistratibus nuntiarent. Aruspices vero ex victimarum extis futura prædicebant.

[n] *Apicem dialem*] Isid. Orig. lib. XIX. cap. 30. ait apicem esse pileum sutile, quo sacerdotes gentiles utebantur; appellatum ab 'apiendo,' id est, ligando. Festus quoque scribit esse 'Sacerdotum insigne: dictum ab eo quod comprehendere vin-

dummodo homo sit, imponamus: tradamus ancilia, penetralia, Deos, Deorumque curam, quibus nefas est. Non leges auspicato ferantur, non magistratus creentur: nec centuriatis nec curiatis[14] comitiis Patres auctores fiant.[o] Sextius et Licinius, tanquam Romulus ac Tatius, in urbe Romana regnent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant. Tanta dulcedo est ex alienis fortunis prædandi: nec in mentem venit, altera lege solitudines vastas in agris fieri pellendo finibus dominos: altera fidem abrogari, cum qua omnis humana societas tollitur. Omnium rerum causa[15] [p] vobis antiquandas censeo istas rogationes. Quod faxitis, Deos velim fortunare.'

42. Oratio Appii ad id modo valuit, ut tempus rogationum jubendarum proferretur. Refecti decimum iidem tribuni, Sextius et Licinius, de decemviris sacrorum[q] ex parte de plebe creandis legem pertulere.[16] Creati quinque Patrum, quinque plebis: graduque eo jam via facta ad consulatum videbatur. Hac victoria contenta plebes cessit Patribus, ut, in præsentia consulum mentione omissa, tribuni militum crearentur. Creati A. et M. Cornelii iterum,[r] M.

13 Conj. Rupert. *privati.*—14 *Nec curiatis* del. Grut. Gronov. Doujat. Crevier. all.—15 Legendum monet Tan. Faber *Quarum rerum causa.* Vid. Not. inf.

NOTÆ

culo antiqui apere dicebant: unde aptus is qui convenienter alicui junctus est.' Apud eundem 'Apiculum est filum, quo flamines velatum apicem gerunt.' Sed quamvis 'Apicis' nomen sumatur pro acuminato flaminum pileo, proprie tamen significat fastigium ejus pilei, in cujus extremo modicum quid lanæ est. Idcirco 'lanigerosque apices' habet Virg. VIII. Hoc autem nomine ipsum flaminis sacerdotium hic designatur.

[o] *Patres auctores fiant*] Vide supra lib. I. c. 17.

[p] *Omnium rerum causa*] Quid hinc satis sanæ sententiæ eruas? Placet Tan. Fabri conjectura, reponentis *quarum rerum:* earum nempe, quæ prius ab Appio memoratæ. Sed addi tantum velim, *quarum*, vel, *harum:* neque enim opus deleri, *omnium.* Erit ergo, *quarum omnium rerum causa.*

[q] *De decemviris sacrorum*] Vide supra cap. 37.

[r] *Creati A. et M. Cornelii iterum*] Hi postremum tribuni militum consulari potestate creati: quod genus magistratuum ab anno U. C. 310. per annos 76. sed non continuos, usurpatum invenio quadragies novies; nisi quod vitio creati aliquando abdicaverunt. Post hæc ad consules reditum, sublata per legem Licinii contentione patriciorum cum plebeiis de consu-

Geganius, P. Manlius, L. Veturius, P. Valerius sextum.† Cum, præter Velitrarum obsidionem,[s] tardi magis rem exitus, quam dubii, quietæ externæ res Romanis essent; fama repens belli Gallici allata perpulit civitatem, ut M. Furius dictator quintum[t] diceretur. Is T. Quintium Pennum[17] magistrum equitum dixit. Bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen, auctor est Claudius;[u] inclytamque in ponte pugnam, qua T. Manlius Gallum,[x] cum quo provocatus manus[18] conseruit, in conspectu duorum exercituum cæsum torque spoliavit, tum pugnatam. Pluribus auctoribus magis adducor, ut credam, decem haud minus post annos[y] ea acta: hoc autem anno in Albano agro cum

16 Vulg. *Licinius. De decemviris sacr. e. p. d. p. creandis pertulere.*—17 Vulg.

NOTÆ

latu, quæ tribunis militum ex utroque ordine creandis causam dederat.

† A. U. C. 386.

[s] *Velitrarum obsidionem*] Quas hoc anno captas a Camillo tradit Plut.

[t] *M. Furius dictator quintum*] Pro 'Camillo' dictatorem hoc loco nominant auctor libri de Viris Illustribus 'Sulpicium:' Eutropius et Orosius, 'T. Quintium,' sub quo pugnaverit T. Manlius, et Galli fugati sint. Sed idem Eutrop. subjicit, eos mox per C. Sulpicium dictatorem etiam victos. Et T. Quintius cognomento Pennus, non dictator, sed magister equitum hoc anno sub Camillo fuit.

[u] *Auctor est Claudius*] Inter Annalium Romanorum scriptores nominatur Q. Claudius apud A. Gell. lib. IX. cap. 13. qui eum purissime atque illustrissime, simplicique et incomta orationis antiquæ suavitate hoc Manlii certamen descripsisse refert: 'Quem locum,' inquit, 'Favorinus philosophus cum legeret, non minoribus quati afficique animum suum motibus pulsibusque dicebat; quam si ipse coram depugnantes spectaret.' Claudii verba ibi vide.

[x] *T. Manlius Gallum*] Hic T. Manlius filius erat L. Manlii, qui tribunus militum ac dictator fuit, nepos A. Manlii quater tribuni militum: magnumque patruum habuerat M. Manlium Capitolinum, tyrannidis affectatæ damnatum. Ob ingenii ac linguæ tarditatem, rus amandatus a patre fuerat in juventute, ut initio libri proximi traditur a Liv. In hujus autem pugnæ narratione erroris argui posse arbitror tum Valer. Max. tum auctorem libelli de Viris illustribus: ille enim ab hoc Manlio, itemque a Valerio Corvino, ultro provocatos hostium duces, interemtosque memorat: cum nec cum ducibus congressi fuerint; et ab iis, quibuscum pugnarunt, provocati sint. Aurel. Victor Manlium ait tunc tribunum militum fuisse, quod intelligendum videtur de tribuno militum consulari potestate: at hoc anno inter ejusmodi tribunos Manlius quidem legitur, sed Publii, non Titi, prænomine. Hic Titus postea filium victorem, quod injussu pugnasset, securi percussit.

[y] *Decem haud minus post annos*] Polyb. lib. I. pugnam in Albano agro

Gallis,[z] dictatore M. Furio, signa collata. Nec dubia, nec difficilis Romanis (quanquam ingentem Galli terrorem memoria pristinæ cladis attulerant) victoria fuit. Multa millia barbarorum in acie, multa captis castris cæsa: palati alii, Apuliam maxime petentes, cum fuga se longinqua,[19a] tum quod passim eos simul pavor terrorque distulerant,[b] ab hoste sese tutati sunt. Dictatori, consensu Patrum plebisque, triumphus decretus.[c] Vixdum perfunctum eum bello atrocior domi seditio excepit: et per ingentia certamina dictator senatusque victus, ut rogationes tribuniciæ

Pœnum.—18 Vet. lib. apud Sigon. *manum.*—19 ' *Cum fuga longinqua* leg. cum

NOTÆ

adversus Gallos commissam rejicit in annum 30. ab Urbe per eos capta.

[z] *Cum Gallis*] Non igitur omnes Galli internecione deleti a Camillo ante annos viginti, ita ut spem amiserint Romæ oppugnandæ.

[a] *Fuga se longinqua*] Τὸ *se* deleri potest. Majori adhuc odio Florus lib. I. cap. 13. ' Cum per Italiam naufragia sua latius traheret.' At non tantas fuisse clades Gallorum, quantas hi scriptores volunt, illorum post hæc gestis evincitur.' Polybius certe lib. II. et IV. Strabo lib. IV. Pausanias in Phoc. Justinus lib. XXIV. c. 4. et sequentibus, itemque lib. XXXII. cap. 2. aliique, non tam Gallorum fugam, quam partim in Italia considentium, partim ultra Alpes et Adriaticum sinum migrantium, victorias per Illyricum, Pannoniam, Thraciam, Græciam, Asiamque minorem referunt: quæ fusius ex priscis auctoribus collecta persequitur eruditus Lacarrius e S. J. lib. III. de Coloniis Gallor. ubi de Scordiscis in primis cap. 8. ac 10. quos, a Gallis ortos, in Thraciæ usque fines protulisse sedes suas agnoscit Livii epitomator lib. LXIII.

[b] *Simul pavor terrorque distulerant*] Verbum *differre* hoc loco significat dissipare, dispergere. Sic apud Virgil. VIII. Æneid. ' Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ Distulerant.' Quo ergo illud *simul* revocabimus? Ad Gallos passim dissipatos? At contraria *passim* et *simul; differri*, seu dissipari, et *simul esse*. Ergo ad ' pavorem terroremque,' quæ duo simul juncta eos in diversa distulerant atque impulerant. Quod si ita est, sequetur aliud esse ' pavorem,' aliud ' terrorem.' Et sane ' pavor ' metus est, quo ipsi afficimur; ' terror,' metus quem aliis incutimus. Verum quomodo ' terror ' hoc sensu a victis in victores, aliosve? Video cogi Livium ita eos victos esse fateri, ut a Romanorum finibus abscesserint; et a Romanis bello persequendis abstinendum sibi ad aliquod tempus existimaverint: quo ' pavore ' primum divisi, a Romanis sese tutati sunt, ut ait; deinde Italiam reliquam, cui adhuc ' terrori ' erant, plures in globos separati pervaserint, ac prædæ dulcedine sint pervagati.

[c] *Triumphus decretus*] Octogenarium jam Camillum fuisse Appianus notat.

acciperentur; et comitia consulum adversa nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus consul[d] factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit. Quia patricii se auctores futuros negabant, prope secessionem[20] plebis res, terribilesque alias minas civilium certaminum, venit:[z] cum tamen[1] per dictatorem conditionibus sedatæ discordiæ sunt, concessumque ab nobilitate plebi de consule plebeio,[e] a plebe nobilitati de prætore uno, qui jus in Urbe diceret,[f] ex Patribus creando. Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, cum dignam eam rem[†] senatus censeret esse, meritoque id, si quando unquam alias, Deum immortalium causa[g] libenter facturos fore, ut ludi maximi

[z] *Parum abfuit quin res venirent ad dissidium, discessionemque plebeiorum a patriciis, atque ad minas et periculum belli civilis.*

Gron. deleto *se.*' Rupert.—20 *Prope ad secessionem* quidam Mss.—1 ' Pro *cum tamen* vel cum Grut. *tum tamen,* vel cum Periz. *cum tandem* scribendum

NOTÆ

[d] *L. Sextius de plebe primus consul*] Huic Laterano cognomen. Fallitur ergo Sex. Aurelius Victor, sive quis alius auctor libri de Vir. Illust. cum primum Licinium Stolonem consulem factum ex plebe scribit; qui Sextii quidem in ea re adjutor, ad consulatum tamen nonnisi biennio post pervenit.

[e] *De consule plebeio*] Non utique ut semper ex plebe alter consul crearetur, sed ut creari posset.

[f] *De prætore uno, qui jus in Urbe diceret*] Prætoris nomen generale omnibus olim magistratibus tribuebatur, qui populo præibant, sive jure, sive exercitu, ut Varro docet IV. de L. L. et post eum Nonius cap. 1. Hinc consules quoque prætorum nomine appellabantur: unde apud Cic. III. de Leg. n. 8. ' Regio imperio duo sunto, iique præeundo, judicando, consulendo prætores, judices, consules appellantor.' Nunc autem distingui hæc dignitatum vocabula cœperunt, instituto prætore, qui jus in urbe diceret: quod antea consularis muneris. Noster quasi in compensationem communicati consulatus hunc honorem institutum ait, qui patriciorum proprius esset. Huic additi paulatim alii prætores, tum in urbe, ut prætor Peregrinus, tum in provinciis jus quoque dixerunt; sed hi præterea exercitibus præerant. Primus nunc prætor Sp. Furius Camilli dictatoris filius.

† *Cum dignam eam rem*] Cum eam dignam rem censeret Senatus, ob quam fierent magnifici ludi, et uno die aucti, qui solebant comitari ferias Latinas; cumque idem censeret, ædiles pl. si unquam alias, merito id Deorum immortalium causa facturos, eos omnes recusasse; quod juvenes patricii susceperunt, honoris Deum immortalium causa, ea lege ut fierent ædiles curules. Sic interpretatur J. F. Gronovius Observ. lib. IV. cap. 25. ubi plura. *J. Clericus.*

fierent, et dies unus ad triduum adjiceretur; recusantibus id munus[2] ædilibus plebis, conclamatum a patriciis est juvenibus, se id honoris Deum immortalium causa libenter acturos, ut ædiles fierent. Quibus cum ab universis gratiæ actæ essent, factum senatus consultum, ut duo[3] viros ædiles[h] ex Patribus dictator populum rogaret; Patres auctores omnibus ejus anni comitiis fierent.

videtur.' *Doering.*—2 'Sententia et verba paululum turbata pro: *cum senatus censeret eam rem dignam esse, ut ludi maximi fierent,* (cf. XXIV. 16. extr.) *et dies unus ad triduum adjiceretur,* (v. ad II. 36. 1.) *meritoque id, si quando unquam alias, Deum immortalium causa libenter facturos,* curaturos, *fore,* esse, (ut XXV. 24. XXVI. 26. XXIX. 3. XXX. 2. XXXV. 13. Gell. X. 1. et Cic. ad Att. V. 20. 21.) scil. ædiles plebis; (quæ dura est ellipsis, e seqq. repetenda) *recusantibus id munus* cet. Cf. Gron. Obss. IV. 25.' *Rupert.* Vid. Not. Var.—3 Alii *duos.*

NOTÆ

g *Deum immortalium causa*] Spectacula, quæ ludorum nomine ab Romanis edebantur, in honorem Deorum fiebant; sive gymnici essent ludi, quales circenses, et gladiatorum; sive scenici: et sunt vel stati, vel votivi. Salvianus lib. VI. de Gubernat. Dei, singula genera ludorum suis quæque Diis consecrata fuisse ostendit. 'Colitur namque, et honoratur,' inquit, 'Minerva in gymnasiis, Venus in theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæstris, et ideo pro qualitate auctorum cultus est superstitionum.' Supra reliquos eminebant Romani, qui et Magni. Hi primum circenses, post etiam scenici, in honorem trium maguorum Deorum, Jovis, Junonis, et Minervæ, auct. Cic. II. Verr. Hi vero initio nonnisi uno die, post biduo, triduoque peragi soliti; nunc Camilli suasu uno die aucti, ideo pro magnis maximi vocantur: tandem plures additi dies, ita ut in veteribus fastis novem ipsis dies continui assignentur, a pridie Nonas ad pridie Idus Septembris.

h *Duo viros Ædiles*] Seu duumviros. Hinc origo ædilium curulium e patriciis creatorum. Hactenus enim ædiles tantum plebis, una cum tribunis plebis instituti, curam ædium aliarumque ejusmodi rerum gesserant. Fuit autem ædilitas curulis primus postea ad honores gradus. Curules vero dicti magistratus, qui ab initio patriciorum proprii, quod qui in iis erant, curru in Senatum veherentur, et in sella curuli eburnea sederent.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER VII.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Annus ab U. c. 389. insignis novi hominis consulatu, novisque duobus magistratibus, prætura urbana et curuli ædilitate. Convenit mox, ut duo ædiles curules alternis annis ex plebe fiant: quod postea promiscuum fuit. Pestilentia ingens. Mors Camilli. 2. Ludi scenici inter alia cœlestis iræ placamina instituti. Ludiones ex Etruria acciti, et histriones dicti. Fescennini versus. Impletæ modis saturæ. Livius Andronicus ab his argumento fabulam serere ausus. Ad manum cantari histrionibus cœptum. Diverbia tantum voci eorum relicta. Exodia. Atellanæ. 3. L. Manlius Imperiosus dictator clavi (qui index olim numeri annorum fuit) figendi causa dicitur. Idem, bellum Hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitat, sed tandem, omnibus in eum tribunis pl. coortis, dictatura abit. 4. Diem ei dicit M. Pomponius trib. pl. et præter acerbitatem in delectu crimini dat sævitiam in filium, quem pater vere imperiosus, ob tarditatem ingenii, extorrem Urbe in opus servile dederit. 5. Sed filius tribunum jurare cogit, se incepto destiturum; et eodem anno, quo non amplius omnes tribuni militum ad legiones ab imperatore, (qui Rufuli postea dicti,) sed sex a populo creari cœpere, secundum in VI. locis tenet. 6. Vorago immensa in foro non prius expleri potest, quam M. Curtius armatus et equo insidens se in eam immisit: unde plerique appellatum putant lacum Curtium. L. Genucius, primus consulum de plebe, qui bellum gerit, ab Hernicis in insidias tractus occiditur. Hinc fremunt Patres, et Ap. Claudius Crassus dictator dicitur. 7. Ambigua pugna et acies Hernicorum restituta ab octo cohortibus quadringenariis. 8. Victoria Romanorum haud incruenta.

9. Ferentinum in Hernicis capitur vi, et bellum Tiburtibus indicitur. T. Quintius Pennus dictator proficiscitur adversus Gallos, qui in Salaria

via ad Anienem castra habent, et barbarus eximia corporis magnitudine jubet magna voce ad pugnam procedere, quem Roma virum fortissimum habeat. 10. In hoc certamen permissu dictatoris descendit T. Manlius, qui patrem a vexatione tribunicia vindicaverat. Is Gallum stolide lætum prosternit, et jacentis collum torque spoliat, quem collo circumdat suo: unde ei posterisque Torquati cognomen datum. 11. Tum Galli noctu, relictis trepide castris, in Tiburtem agrum, et inde, commeatu a Tiburtibus adjuti, in Campaniam transeunt. Sed mox redeunt ad auxilium sociorum, quibus bellum indictum; et a Q. Servilio Ahala dictatore haud procul porta Collina funduntur, magna utrimque edita cæde. Tiburtes victi, 12. et mox iterum ante mœnia Romæ. Bellum Hernicis Tarquiniensibusque indictum. Latini pacem petunt, et fœdere renovato magnam dant militum vim. C. Sulpicius dictator adversus Gallos, circa Pedum considentes, exercitum ducit, trahitque bellum invitis militibus. 13. Horum nomine Sex. Tullius, qui septimum ducebat primum pilum, orat, ut pugnæ fiat copia. 14. Dictator concitatæ cedit multitudini, et agasones armatos mulisque impositos nocte super castra in montes, adversus quos consistunt hostes, evadere jubet. 15. Pugna atrox et diu anceps, donec Galli, novo clamore eorum, qui in monte sunt, territi, fugiunt et cæduntur. C. Plautius cos. devincit Hernicos. Sed Tarquinienses cladem inferunt exercitui C. Fabii, collegæ ejus, et CCCVII. milites Rom. captos immolant. Privernates agrum Rom. vastant, et mox Veliterni. Duæ tribus, Pomptina et Publilia, adduntur. Lex de ambitu fertur ab C. Pœtelio trib. pl. 16. Privernates, virtute potissimum Sex. Tullii, funduntur deduntque urbem. Rogatio de unciario fœnere a M. Duillio et L. Mænio trib. pl. ac lex de vicesima manumissorum a Cn. Manlio cos. novo exemplo ad Sutrium in castris perfertur: unde tribuni pl. capite sanciunt, ne quis postea populum sevocet.

17. Falisci Tarquiniensesque primum fundunt Romanos, territos maxime incessu furiali sacerdotum, faces ardentes anguesque præferentium; sed mox vincuntur. Omne nomen Etruscum concitatur; et C. Martius Rutilus primus de plebe dicitur dictator. Is profligat Etruscos, et sine auctoritate Patrum, populi jussu, triumphat. 18. Ambo coss. patricii Empulum ex Tiburtibus captum. Consulum certamen cum plebe ac tribunis. 19. Tiburtes, Sassula expugnata, se dedunt Romanis. Captivi Tarquinienses trucidantur omnes. Fœdus cum Samnitibus junctum. Inopes nexum ineunt. Cærites cum Tarquiniensibus arma jungunt. T. Manlius Torquatus dictator et A. Cornelius Cossus mag. eq. dicitur. 20. Cærites erroris veniam petunt, induciasque impetrant in C. annos. Faliscorum fines populati.

21. Tribuni comitia consularia non nisi secundum Liciniam legem haberi patiuntur. Tandem C. Marcius Rutilus e plebe collega datur P. Valerio Publicolæ. Hi solutionem æris alieni in publicam curam vertunt, creatis quinqueviris mensariis; et tarda nomina aut ærarium dissolvit, aut liberat æstimatio bonorum. Ob terrorem belli Etrusci, qui tamen vanus est, C. Julius dictator in castris dicitur. 22. Induciæ XL. annorum cum Tarquiniensibus Faliscisque. Dominis multarum rerum solutione æris alieni

mutatis, censum agi placet, et C. Marcius Rutilus primus de plebe censor creatur. 23. 24. M. Popillius Lænas cos. plebeius superat Gallos acerrime pugnantes haud procul Albanis montibus. 25. Galli ex his montibus per campos maritimaque loca vagi populantur. Mare infestum classibus Græcorum. Latini deficiunt a Romanis. Hi x. legiones scribunt. Bellum Gallicum mandatum L. Furio Camillo cos. Ap. Claudio Crasso collega mortuo. 26. Gallum, magnitudine armisque insignem, qui provocaverat unum ex Romanis, superat obtruncatque M. Valerius trib. mil. adjutus a corvo, qui os oculosque hostis rostro et unguibus appetiisse dicitur: unde illi cognomen Corvi datur. Camillus vincit Gallos, sed adversus Græcos, qui Siciliæ tyranni fuisse videntur, nullam memorabilem gerit rem. M. Valerius Corvus, XXIII. annos natus, consul renuntiatur absens a T. Manlio Torquato dictatore. 27. Pestilentia et lectisternium. Fœdus cum Carthaginiensibus ictum. Semunciarium ex unciario fœnus factum, et solutio æris alieni in pensiones æquas triennii, ita ut quarta præsens esset, dispensata. Antiates aliique Volsci a M. Valerio Corvo II. cos. victi Satricumque dirutum. 28. Cum Auruncis debellatum a L. Furio Camillo dictatore. Templum Junoni Monetæ ab eo votum exstructumque in area ædium M. Manlii Capitolini. Sora ex Volscis capta. Prodigiorum feriarumque constituendarum causa dictator dictus P. Valerius Publicola. Supplicationes tribuum finitimorumque populorum. Judicia populi tristia in fœneratores facta.

29. Belli Samnitici, diu ancipiti Marte gesti, origo. Samnites Sidicinis et deinde Campanis, horum sociis, injusta inferunt arma. 30. Campani a senatu Rom. auxilium petunt. 31. Eo negato se suaque omnia dedunt Romanis. Hi legatos mittunt ad Samnites, qui ferociter iis respondent. 32. M. Valerius Corvus cos. ad Gaurum montem in Campania, A. Cornelius Cossus ad Saticulam in Samnio castra ponit. Ille milites suos adhortatur. 33. Valerii ingenium. Pugna ejus atrox cum Samnitibus et victoria. 34. Discrimen Cornelii cos. propulsatum virtute P. Decii trib. mil. 34—36. Is capto colle spatium consuli dat ad subducendum agmen in æquiorem locum, et noctu per castra hostium incolumis ad suos revertitur. Tum palati passim Samnites opprimuntur, multisque millibus cæsis diripiuntur castra. 37. Decius ejusque milites donati bubus, tunicis, frumento, et coronis. Samnites a Valerio ad Suessulam, et deinde ad Capuam victi.

38. Falisci fœdus petunt, et Carthaginienses legatos gratulatum mittunt Romam cum coronæ aureæ dono. Consules de Samnitibus triumphant sequente Decio. Romani milites, Capuæ in præsidio relicti, urbis hujus occupandæ consilia ineunt. 39. C. Marcius Rutilus cos. exercitum purgat missionibus turbulentorum hominum, et aliis alio missis per speciem militarium usuum. Horum vero mox valida manus, timens, consilia sua emanasse et supplicia singulis imminere, ad Albam Longam confluit, et T. Quintium, ruri agentem in Tusculano, arcessit, ut eos ad Urbem ducat. 40. M. Valerius Corvus dictator, obviam iis missus, et T. Quintius seditiosos milites ad pacem hortantur. 41. Conjuratio opprimitur, ferturque lex sacrata militaris, ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente,

deleatur, nec, qui tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor sit. Id propter P. Salonium a conjuratis postulatum. 42. Hujus defectionis militum narratio variat in annalibus. Rogatio a L. Genucio trib. pl. lata, ne fœnerare liceat, aliaque plebiscita.

1. Annus hic erit[1] insignis novi hominis [a] consulatu, insignis novis duobus magistratibus, prætura et curuli ædilitate. Hos sibi patricii quæsivere honores pro concesso plebi altero consulatu. Plebes consulatum L. Sextio,* cujus lege partus erat,[b] dedit: Patres præturam Sp. Furio M. filio Camillo; ædilitatem Cn. Quintio Capitolino et P. Cornelio Scipioni, suarum gentium viris, gratia campestri ceperunt.[a][2] L. Sextio collega ex Patribus datus L. Æmilius Mamercinus. Principio anni et de Gallis, quos primo palatos per Apuliam congregari [c] jam fama erat, et de Hernicorum defectione agitata mentio. Cum de industria omnia, ne quid per plebeium consulem ageretur, proferrentur, silentium omnium rerum ac justitio simile otium fuit; nisi quod, non patientibus tacitum tribunis,[b] quod pro consule uno plebeio tres patricios magistratus, curulibus sellis prætextatos [d] tanquam

[a] *Hominibus ex familia patricia, idque auctoritate qua valebant in Campo Martio, et comitiis centuriatis.*

[b] *Cessatio a cunctis rebus bellicis, et quies a negotiis tanquam indicto justitio, præterquam in eo quod tribuni plebis non sine murmure ferebant, &c.*

1 *Erat* in nonnullis codd. apud Drak.—2 Vett. libb. teste Sigon. *dederunt.*

NOTÆ

[a] *Novi hominis*] Homines novi dicebantur, qui primi curulem magistratum inferebant in familiam; qualis hic L. Sextius. Hic enim decies quidem tribunus plebis fuerat: sed hic tribunatus plebeius magistratus erat, non curulis. Novis hominibus opponuntur nobiles, qui majorum suorum imagines habent, quas ponere ac posteris tradere non licebat nisi magistratibus curulibus, qui omnes initio patricii. Itaque inter nobilitatis notas hæc vel præcipua fuit, parentum effigies in atrio conspiciendas proponere.

* A. U. C. 387.

[b] *Cujus lege partus erat*] Plebi scilicet partus. Sextius igitur, non Licinius, quamvis ejus rei auctor, ad plebem seu populum tulerat, ut plebeii consules crearentur.

[c] *Palatos per Apuliam congregari*] En ut Galli jamdiu funditus deleti fuerant a Camillo.

[d] *Curulibus sellis prætextatos*] Prætor unus, ac duo ædiles, patricii om-

consules sedentes, nobilitas sibi sumsisset, prætorem quidem etiam jura reddentem,[e] et collegam consulibus,[f] atque iisdem auspiciis creatum, verecundia inde imposita est senatui[c] ex Patribus jubendi ædiles curules creari. Primo, ut alternis annis[g] ex plebe fierent, convenerat: postea promiscuum fuit. Inde, L. Genucio et Q. Servilio consulibus,* et ab seditione et a bello quietis rebus, ne quando a metu ac periculis vacarent, pestilentia ingens orta. Censorem,[h] ædilem curulem, tres tribunos plebis mortuos ferunt, pro portione[i] et ex multitudine alia multa funera fuisse. Maximeque eam pestilentiam insignem mors quam matura,[k] tam acerba, M. Furii fecit. Fuit enim vere vir unicus

[c] *Puduit senatum.*

NOTÆ

nes iisdem fere insignibus dignitatis quibus consules utebantur: sella curuli, et toga limbo purpureo ornata, quam prætextam vocabant. Sex præterea lictores prætori dati ex Polyb. et Plut.

[e] *Etiam jura reddentem*] Is privatorum negotiorum, in quibus facti magis, quam juris, quæstio vertebatur, judicem dabat: ipse de rebus arduis cum consilio cognoscebat; et ubi non tam simplicis jurisdictionis, seu notionis, quam mixti imperii res erat, interdicto fieri quid, aut jubebat, aut vetabat.

[f] *Collegam consulibus*] Subjicit rationem cur prætores consulum collegæ haberentur: quod nempe iisdem auspiciis creati essent: comitiis nempe centuriatis. Et comitia, tum legum ferendarum, tum judiciorum causa, consulibus absentibus habere potuerunt. Non tamen creandorum magistratuum. Nam prætores ipsi, ut et censores, a consulibus dicebantur. Quod autem lib. III. c. 55. dictum est, lege Horatia consulibus et prætoribus cautum esse, quia iisdem auspiciis crearentur, intellige, non tunc prætoribus, quasi diversis a consulibus, cautum fuisse; sed vi ejus legis prætoribus consultum, qui post creari, et diversum a consulibus magistratum gerere cœperunt.

[g] *Primo, ut alternis annis*] Quid primo? An cum primum patricii ludorum curam in se susceperunt, ea lege ut ædiles fierent? At hoc posito falsum esset quod paulo ante dictum, patricios hunc sibi honorem cum prætura quæsivisse. Id igitur hoc secundo anno factum: et *convenerat* in præterito dicitur, comparatione cum sequenti tempore, quo mos introductus, ut ædiles tam ex plebeio, quam ex senatorio ordine indiscriminatim sumerentur.

* A. U. C. 388.

[h] *Censorem*] Postumus Albinus Regillensis et C. Sulpicius Peticus hoc tempore censores a Sigonio ex tabulis Capitolinis notantur. Cum igitur Petici post hunc annum sæpe mentio fiat, Albinum pestilentia absumtum necesse est.

[i] *Pro portione*] Ita fere Veteres distinctis vocibus. Proportionis vix illis cognitum nomen observat Glar.

[k] *Quam matura*] Camillus octogenario major decessit, maximis functus

in omni fortuna: princeps pace belloque prius, quam exulatum iret; clarior in[3] exilio vel desiderio civitatis, quæ capta absentis imploravit opem, vel felicitate, qua restitutus in patriam secum patriam ipsam restituit. Par deinde per quinque et viginti annos[4][1] (tot enim postea vixit) titulo tantæ gloriæ fuit, dignusque habitus, quem secundum a Romulo conditorem urbis Romanæ ferrent.[5]

2. Et hoc * et insequenti anno, C. Sulpicio Petico,[6] C. Licinio Stolone, consulibus, pestilentia fuit. Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis Deum exposcendæ causa tertio tum post conditam Urbem [m] lectisternium fuit. Et cum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici,[n] nova res bellicoso populo, (nam circi modo spectaculum [o]

—3 Delendum τὸ *in* censet Duk.—4 Vulg. *per quinque et triginta annos.*—5 Conj. Rupert. *Romani ferrent.*

NOTÆ

honoribus, sexies tribunatu militum, quinquies dictatura; et ob servatam patriam, non minus gloria, quam ætate maturus.

[1] *Per quinque et viginti annos*] Sic correctum a Glar. et Sigon. qui denarium detraxerunt, cum antea esset per *XXXV. annos.* Nam ab Urbe capta an. 363. ad hunc ann. 388. anni tantum quinque et viginti decurrunt. Effigiem Camilli ærei nummi ex antiquis monumentis expressi sic exhibent.

* A. U. C. 389.

[m] *Tertio tum post conditam Urbem*] Rara ergo admodum hæc lectisternia, seu publicæ quasi Deorum discumbentium epulæ, cum supplicationibus per templa eorum conjunctæ.

[n] *Ludi quoque scenici*] Ludi theatrales a spectando dicti: Scenici quoque appellantur a Græco σκηνὴ, quod proprie umbraculum est, sive tentorium. In tabernaculis enim primum ab Attica juventute inconditis carminibus acti, unde comœdia, ceteraque deinde dramatum genera. Hinc scena pro media theatri parte, ubi confabulantur personæ.

[o] *Circi modo spectaculum*] Non aliud spectaculi genus apud Romanos hactenus fuerat a Romuli usque temporibus, quam decursionis in Circo, aut pugilatus. Postea hæc ludicra Romanis divisa in Circum, et Caveam: ut Græcis ludi in duo genera distinguebantur, Hymnicorum et Musicorum.

fuerat,) inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur. Ceterum parva quoque [7] (ut ferme principia [p] omnia) et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo,[q] sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus [r] more Tusco dabant. Imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus,[s] cœpere: nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res, sæpiusque usurpando excitata. Vernaculis artificibus,[d] quia [8] hister [t] Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum: qui non, sicut ante, Fescennino versu [e u] similem incompositum

[d] *Ludionibus Latinis, seu Romanis qui hanc artem exercerent.*
[e] *Carmina satyrica, quæ exercebantur et complebantur adjecta modulatione.*

6 Al. *Pætico.*—7 ' Pro *quoque* forte leg. *quidem,* delendumque *et* ante *ea ipsa.*' Bauer.—8 ' Legere gestio: *exercitata vernaculis artificibus, et, quia* cet. vel *re .... exercitata v. a. quia* cet.' Bauer. Pro *hister* quidam libri *histrio.*—

NOTÆ

[p] *Parva...ferme principia*] Originem et ritum veteris tragœdiæ, comœdiæ, satiræ apud Græcos indicat Horat. in epistola ad Pisones de Arte Poët.

[q] *Sine carmine ullo*] At Valer. Max. lib. II. cap. 4. hoc ipso anno populum ' Romanum placandi cœlestis numinis gratia ' (egregium scilicet placandi genus)' compositis carminibus vacuas aures præbuisse ' scribit. Similior tamen vero Livii narratio.

[r] *Haud indecoros motus, &c.*] Saltationem nudam innuit: *une simple dance au son de la flûte.*

[s] *Inconditis inter se jocularia fundentes versibus*] Species hæc fuit satyrici dramatis; ac velut rudimentum comœdiæ Latinæ.

[t] *Quia hister*] Non igitur ab Histria regione dicti histriones, ut Festo visum, sed ab Etrusco vocabulo, quod ludium seu fabularum actorem significat.

[u] *Fescennino versu*] Hoc versuum nuptialium genus a Fescennia Etruriæ urbe nomen traxit, quam Cluverius non procul Tiberi locat infra Falerios; suspicaturque eo loci fuisse, ubi antiquissima ruderum vestigia extare notat Ant. Massa 1300. passibus ab oppido quod nunc *Gallese.* Aliam quoque Fescenninorum etymologiam Festus affert, a Fascino, quod arcere putabantur hi versus, omni verborum licentia petulantiaque referti. Hic porro legendum ex antiquis codicibus censet cum Sigonio Gronov. *Fescennino versum similem.* Fuere apud Glareanum, qui *versu* in dandi casu antique dictum censerent, intelligendo *versum* similem versui Fesc.

Qui non, sicut ante, Fescennino] Totum hunc locum copiose interpretatus est Ger. J. Vossius in Instit. Poëticis, l. III. c. 9. quem vide, neque enim res paucis verbis hic expediri posset. *J. Clericus.*

temere[9] ac rudem alternis jaciebant; [x] sed impletas modis saturas,[y] descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius post aliquot annos,[z] qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere,[a] (idem scilicet, id quod omnes tum erant,[10] suorum carminum actor,[b]) dicitur, cum sæpius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum[c] ante tibicinem cum

9 'Forte leg. *Fescennino versu* (aut *versui*) *similem*, *i. e. compositum temere*, nisi malis, *vel compositum temere* cet.' Rupert. Vid. inf. et Not. Var.—
10 '*Id quod omnes tum erant* scilicet *carminum* s. fabularum auctores vel poëtæ dramatici, qui dramata s. fabulas non modo componere, sed etiam docere et agere solebant. Ellipsis dura est, et verba quoque, parenthesi inclusa, videntur loco suo mota esse, atque post voc. *revocatus* vel *obtudisset* ponenda.'

NOTÆ

[x] *Incompositum temere ac rudem alternis jaciebant*] Sigonius conjiciebat legendum *Fescennino similem versum compositum temere:* ita ut prima syllaba vocis *incompositum*, *in* scilicet, librariorum vitio derivata sit ex *m* ultima litera vocis *versum*. Quid enim, inquit, significat *versus incompositus temere?* Sed adverbium, *temere*, non ad *incompositum*, sed ad verbum, *jaciebant*, referri notat Gronov. ut sensus sit, versus imcompositos ac rudes, Fescenninis similes, temere ac sine arte alternis jactatos ab histrionibus.

[y] *Saturas*] Quid *saturæ*, vel *satiræ* nomine significetur, indicatum antea est, lib. v. cap. 39. Hic sumitur pro genere poëmatis scenici quod Latinorum proprium Quintilianus censuit a Godelevæo laudatus. 'Satira Latinorum,' inquit, 'tota est, neque a Græcis accersita. Satiras enim Græci non scripserunt.' Fatendum tamen est Lucilium, satirarum inventorem, veteris Græcorum comœdiæ imitatione fabulas suas scripsisse, vel ipso Horat. teste Sat. 4. lib. I. Atque hæc satyra a satyris temere saltantibus dicta putatur. Igitur, Romani Græcorum exemplo, facta hominum in theatro imitati tandem sunt triplici genere, saltatione modulata, concentu, et versu.

[z] *Livius post aliquot annos*] Hic Livius Andronicus primus comœdiam Latino sermone composuisse scribitur a Diomede Grammatico. A. Gell. lib. XVII. c. ult. id refert ad consulatum Claudii Centonis, qui Appii Cæci filius erat, et M. Sempronii Tuditani, id est annum U. C. 513.

[a] *Ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere*] Vult, ni fallor, cum Lucilius satyrico carminis genere fabulas instituisset, quo, de re quaque, versus nullo certo argumento astricti ab histrionibus recitabantur, Livium, eo genere relicto, fabulas suas, Græcorum more, ad quædam argumenta certo ordine tractanda revocare ausum esse: ita ut 'argumento fabulam serere' sit, partes ipsius conficto quodam argumento connectere, et quasi invicem contexere; ut scena una cum alia continuetur.

[b] *Suorum carminum actor*] Comœdiarum iidem primis temporibus auctores et actores: unde et fabulas docere dicebantur. Agere autem erat præsertim saltatione exprimere.

statuisset, canticum egisse[11] aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Inde ad manum cantari[12] [d] histrionibus cœptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta.[e] Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur, et ludus in artem paulatim verterat; juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit: quæ inde exodia[f] postea appellata, consertaque

Rupert.—11 'Forte leg. cum Duk. *et venia petita p. ad c. a. t. statuisset*, vel *venia petita p. ad c. a. t. statuisse et canticum egisse.* Ingratum certe et supervacuum est repetitum *cum.*' Idem.—12 Emendat Salmasius ad Flavii Vopisci Carinum *saltari.*

NOTÆ

[e] *Puerum ad canendum*] Comœdi carmina sua ad tibiæ cantum initio recitabant, corporisque motibus eadem exprimebant. Sed Livius, voce jam nimio usu obtusa, tibicinis concentum adhibuit, ac gesticulationem tacitus peragere cœpit: ut loquitur Valer. Max. lib. II. cap. 4.

[d] *Inde ad manum cantari*] Turnebus lib. III. Advers. cap. ultim. *ad manum cantare* interpretatur, 'cantare in promtu et coram.' Salmas. ad Fl. Vopiscum in Carino emendat *ad manum saltari.* Verum, ut optime advertit Gronov. non dixit Auctor, *ad manum cantari ab histrionibus cœptum*, sed *histrionibus.* Est autem 'cantare alicui ad manum,' cantando respondere gesticulationi, quæ saltando et, ut aiunt, loquaci manu ab eo fit, sive modulate pronuntiare quæ histrio agat. Sic 'cantare ad Tibiam' est, alio tibiam inflante, carmen voce accinere: 'cantare ad fides' est, simul canere et citharam pulsare. Cantabat itaque ad manum Livio Andronico puer musicus, ipse ad tibicinis modos saltabat.

Ad manum cantari] Hoc est, ut optime J. F. Gronovius, gesticulationi, quæ saltando fiebat, cantando respondere, et pronuntiare modulate quæ histrio agat. Eum vide. *J. Clericus.*

[e] *Diverbiaque tantum ipsorum voci relicta*] Dividebantur comœdiæ in cantica et diverbia. Sunt autem diverbia, auctore Diomede, ubi plures personæ versantur; cantica, in quibus una tantum: ut diverbia dicantur quasi dialogi, duorum scilicet triumve inter se verba facientium collocutiones. Notum enim illud Hor. 'nec quarta loqui persona laboret.' Donatus autem, in Andriam Terentii, ait diverbia a solis histrionibus fuisse pronuntiata: quod Sigonius sic accipit, ut histriones Donatus vocet eos tantum qui canerent, non eos qui saltarent, aut tibias inflarent: quasi intelligendum sit in canticis rem actam esse tibiis, cantu, et versu: in diverbiis autem sola voce: quod veteres Latini 'assa voce' dixerunt: personis scilicet colloquentibus.

[f] *Quæ inde exodia*] Exodii vocabulum e Græco haud dubie tractum. Nonnulli dicta volunt, quasi ἔξω τῆς ὁδοῦ, id est, extra viam. Alii quasi ἔξω τῆς ᾠδῆς, extra cantum. Ad priorem etymologiam respiciens, Sigo-

fabellis potissimum Atellanis[g] sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus,[h] nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, et stipendia,[i] tanquam expertes artis ludicræ, faciant. Inter aliarum parva principia

NOTÆ

nius idem esse ait exodia et episodia: illo nomine appellata quod extra rem sint; hoc vero quod rei inserantur. Sed exodium generaliter 'exitum' Festus interpretatur, Nonius 'finem,' ex Varrone, ἀπὸ τῆς ἐξόδου. Atque hoc loco sumitur pro eo quod Firmicus lib. VI. 'exitum fabularum' vocat: quod scilicet digressis comœdis cantabatur ab exeunte ingenuorum juvenum choro. Juvenalis Sat. III. 'Tandemque redit ad pulpita notum Exodium, cum personæ pallentis hiatum In gremio matris formidat rusticus infans.' Quod sic explicat vetus Scholiastes: 'Exodiarius apud Veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret: ut quicquid lacrymarum ac tristitiæ coëgissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detegeret.'

[g] *Potissimum Atellanis*] Fabulæ Atellanæ et nomen et originem habnere ab urbe Campaniæ Atella, quæ medio Capuam inter et Neapolin itinere, et cujus loco nunc *Aversa*. Hæ medium quid fuere inter comœdias et satyricas Græcorum fabulas: a mimis diversæ, quod jocis uterentur homine ingenuo dignis; interque eos plus aliquantum servarent veteris Italicæ gravitatis.

[h] *Ab Oscis acceptum tenuit juventus*] Atellanicum drama Romani acceperunt a vicinis Campaniæ Felicis populis, priscorum Ausonum sobole: qui Opici, ac deinde Obsci, denique Osci dicti sunt; in Auruncos et Sidicinos divisi, inter Volscos et Campaniam ulteriorem medii. Eorum idioma accedebat ad Sabinorum Samnitumque sermonem: estque a Strabone observatum, etiam postquam ipsa Oscorum gens interierat, dialectum eorum apud Romanos mansisse: ita ut quibusdam patriis ludis (in Atellanis nempe fabulis) certa poëmata eo sermone in scenam suo tempore producerentur.

Tenuit juventus] Romani juvenes ingenui horum carminum auctores Urbici poëtæ vocabantur, vel quod ex urbana et honesta juventute, vel quod urbanos, non turpes jocos admitterent. Huc pertinet illud Satirici: 'Urbicus exodio risum movet Atellanæ gestibus Autonoës.'

[i] *Nec tribu moveantur, et stipendia*] Edicto prætoris apud Romanos infamia inter alios notabantur, qui 'artis ludicræ pronuntiandive causa in scenam prodierant.' Sed jurisconsulti id restringunt ad eos qui quæstus causa spectaculum sui præbituri prodeunt in scenam. Infames autem, velut indigni qui in civium numero essent, tribu movebantur a censoribus: nec militare in legione licebat, nisi ei qui ingenuus esset, et in aliqua quinque classium census. Excipiuntur itaque ab hac lege hi exodiorum lusores, qui personati agebant, ac modestius quam histriones. Nec diverso jure censeri videntur thymelici, qui in orchestra, sive pulpito, (quod thymelen vocabant,) chori loco subserviebant fabulæ, in qua personam non habebant, sed abditis in scenam histrionibus populum gesticulationibus oblectabant.

rerum, ludorum quoque prima origo ponenda visa est, ut appareret, quam ab sano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerit.

3. Nec tamen ludorum primum initium, procurandis religionibus datum, aut religione animos, aut corpora morbis levavit. Quin etiam, cum medios forte ludos circus Tiberi superfuso[k] irrigatus impedisset, id vero, velut aversis jam Diis aspernantibusque placamina iræ, terrorem ingentem fecit. Itaque Cn. Genucio, L. Æmilio Mamercino secundum consulibus,* cum piaculorum magis conquisitio animos, quam corpora morbi, afficerent,[f] repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam clavo ab dictatore fixo sedatam. Ea religione adductus senatus dictatorem clavi figendi[l] causa dici jussit. Dictus L. Manlius Imperiosus, L. Pinarium magistrum equitum dixit. Lex vetusta est, priscis literis verbisque scripta, ut, qui prætor maximus sit, Idibus Septembribus clavum pangat. Fixa[13] fuit[m] dextro lateri ædis Jovis optimi maximi, ex qua parte[14] Minervæ templum est. Eum clavum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum[n] fuisse ferunt; eoque[15]

f Cum mentes hominum magis laborarent superstitione in investigandis expiationibus, quam corpora invaletudine afflictabantur.

13 *Fixus* Gronov. Doujat. Crevier.—14 *Ea ex parte qua* iid. Vid. Not.

NOTÆ

k *Circus Tiberi superfuso*] Hoc igitur initio, cum nondum exstructum esset theatrum, ludi scenici in circo celebrari cœperant. Quin etiam diu promiscue ac stantes spectarunt.

* A. U. C. 390.

l *Dictatorem clavi figendi*] Hujusce moris rationem quidem indicare difficile: at originem sic describit Auctor, ut interpretem non desideret: duas affert causas clavi in ædibus sacris pangendi; alteram, ut annorum numerus notaretur, defixo in singulos annos clavo; alteram sedandæ pestilentiæ causa.

m *Fixa* [*Fixus*] *fuit*] Veteres, teste Gron. *Fixa fuit*, ut ad legem referatur. Nam si ad clavum referas, scribendum postea erit *Minervæ templo dicatum lege, non dicatum legem*: quanquam *legem dicari* minus proprie dicitur. Quod enim Gronovius affert ex Suet. Tiberium satis indecoram Parrhasii tabulam 'in cubiculo dedicasse,' quis non videt odiose magis quam ex sermonis proprietate dictum?

n *Notam numeri annorum*] Idcirco clavus annalis dicebatur. Allusit ad vetustum hunc morem Petronius

Minervæ templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum[o] sit.[16] Volsiniis[17] [p] quoque clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiæ,[18] [q] Etruscæ Deæ, comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat. M. Horatius consul ex lege templum[r] Jovis optimi maximi dedicavit anno post reges exactos: a consulibus postea ad dictatores, quia majus imperium erat, solenne clavi figendi translatum est. Intermisso deinde more,[s] digna etiam per se visa res,[19] propter quam dictator

Var.—15 Conj. Rupert. *inque*.—16 Vet. lib. apud Sigon. *a Minerva inventus sit*. Voss. alter et Busl. *numerus Minervæ inventus sit*. Helm. *numerus Minervæ inventus fuit*.—17 Vett. libb. *Vulsiniis*.—18 '*Volsiniis quoque clavos fixos in templo Nortiæ*. Forte *Nursiæ* .... Quæ sequuntur, aut non sana, aut mutila videntur. *M. Horatius consul eum legem templo Jovis opt. max. dedicavit*, aut *ea lege templum* cet. (ita ut inter dedicationis conditiones fuerit, ut quotannis ejusmodi clavus figeretur) conj. Gron. et *ex* vel *ea lege* supra memorata *templo J. o. m. dedicavit*, sc. clavum annalem, Doujat. Lacunam vero ita explet Stroth. *M. Horatius consul ex lege primum fixit clavum, is qui templum Jovis* cet. Cf. II. 8.' *Rupert*. Vid. inf. et Not. Var.—19 *Visa est res*

NOTÆ

a Casellio correctus: 'Et paries circa palea satiatus agresti, Fortuitoque luto, clavus numerabat et annos.' Melius forte *clavos*.

[o] *Numerus Minervæ inventum*] Hoc Mercurio Ægyptio, qui et Theut, tribuere Plato videtur in Phædro.

[p] *Volsiniis*] Inter duodecim primarios Etruriæ populos Volsiniensis numerantur: quorum oppidum Volsinii ad lacum ejusdem nominis, unde Marta fluvius oritur. Nunc paulum inflexo vocabulo *Bolsena*.

[q] *Nortiæ*] Etrusci Nortiæ nomine sortem sive fortunam intelligebant, ut interpretatur Martianus Capella c. 9. de nuptiis Mercurii et Philologiæ. Unde Juvenalis Satir. x. de Sejano agens, qui et ipse Volsiniensis: 'idem populus, si Nortia Tusco Favisset, si oppressa foret secura senectus Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora Augustum.' Tertullianus tamen peculiarem Volsiniorum Deam Nursciam nominat; Nortiam vero Sutrinis assignat, Etruriæ quoque populis.

[r] *Consul ex lege templum, &c.*] Non abs re Glar. et Gron. monent ad clavum figendum nihil attinere dedicationem templi Jovis Capitolini a M. Horatio Pulvillo factam, de qua jam actum lib. II. c. 8. ubi non lege, sed sorte Horatio potius quam Valerio collegæ delatum id munus. Verum nihil illi proferunt quo locus emendatior fiat. Erit autem, ni fallor, si rescripseris, *Horatius consul ex lege* (vel *ea lege*) *templo Jovis opt. max. dedicavit*. Ut prima clavi annalis fixio seu dedicatio una cum consulibus cœperit, anno post reges exactos eodem quo ipsum Jovis Capitolini templum dedicatum fuerat; idque lege aliqua tunc ea de re constituta; cum antea regum annis numerata tempora fuissent.

[s] *Intermisso deinde more*] Figendi, sc. clavi annalis, postquam minus rudi populo cœperunt anni consulibus numerari.

crearetur. Qua de causa creatus L. Manlius, perinde ac rei publicæ gerendæ, ac non solvendæ religione,[20] gratia[t] creatus esset, bellum Hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitavit; tandemque omnibus in eum tribunis plebis coortis, seu vi, seu verecundia victus, dictatura abiit.

4. Neque eo minus principio insequentis anni,* Q. Servilio Ahala, L. Genucio consulibus,[1] dies Manlio dicitur a M. Pomponio tribuno plebis. Acerbitas in delectu, non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent,[g] partim in vincula ductis, invisa erat: et ante omnia invisum ipsum ingenium atrox, cognomenque Imperiosi grave liberæ civitati, ab ostentatione sævitiæ ascitum; quam non magis in alienis, quam in proximis, ac sanguine ipse suo[2] exerceret. Criminique ei tribunus[3] inter cetera dabat, 'quod filium juvenem, nullius probri compertum,[h] extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum, in opus servile, prope in carcerem atque in ergastulum, dederit: ubi summo loco natus dictatorius juvenis[i] quotidiana mi-

[g] *Cum nomine quisque proprio citati non comparuissent.*
[h] *Non convictum ullius criminis, factive probrosi.*
[i] *Adolescens patre natus dictatore.*

Gronov. Doujat. Crevier.—20 Vulg. *rei gerendæ ac non solvendæ religionis. Ac* forte delendum notat Rupert. Vid. Not. Var.

1 *Secundum consulibus* Gronov. Doujat. Crevier.—2 Vulg. *sanguine ipso suo.* —3 'Voss. 1. *criminique rei.* Sed Rott. *criminique tribunus,* absque τῷ *ei:* nec puto id a Livio insertum fuisse. I. 5. 'Crimini maxime dabant, in Numitoris

NOTÆ

[t] *Perinde ac rei publicæ g. a. n. s. religione, gratia* [*rei gerendæ ac non solvendæ religionis gratia*] Ut Sigonio, ita mihi quoque magis hæc vetus lectio placet, quam correctio Gelenii, *reip. gerendæ, ac non solvendæ religione, gratia:* certe *gerendæ rei,* potius quam *reip. gerendæ,* causa creari dictatores a Livio dicuntur; et diversa sunt 'solvere religione,' et 'solvere religionem:' quandoquidem 'solvere religione' est, liberare eo officio quo per religionem tenemur; 'solvere' autem 'religionem' est, præstare quod nostra religio nos admonet ut faciamus. Præterea in Geleniana emendatione displicent duo illi auferendi casus, *religione, gratia.* Et apud Nostrum quoque est lib. II. 'Nullam scelere religionem exsolvi,' quod Gron. fatetur.

* A. U. C. 391.

seria disceret, vere imperioso patre se natum esse. At quam ob noxam? quia infacundior sit, et lingua impromtus.[u] Quod naturæ damnum utrum nutriendum patri,[x] (si quicquam in eo humani esset,) an castigandum ac vexatione insigne faciendum fuisse?[4] ne mutas quidem bestias minus alere ac fovere, si quid ex progenie sua parum prosperum sit. At, Hercule, L. Manlium malum malo augere filii, et tarditatem ingenii insuper premere;[k] et, si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id extinguere vita agresti et rustico cultu, inter pecudes habendo.'

5. Omnium potius his criminationibus, quam ipsius juvenis, irritatus est animus: quin contra, se quoque parenti causam invidiæ atque criminum esse, ægre passus, (ut omnes Dii hominesque scirent, se parenti opem latam, quam inimicis ejus, malle,)[5] capit consilium, rudis quidem atque agrestis animi, et quanquam non civilis exempli,[l] tamen pietate laudabile. Inscientibus cunctis, cultro succinctus, mane in Urbem, atque a porta domum confestim ad M. Pomponium tribunum pergit:[6] janitori, 'opus esse sibi domino ejus convento extemplo,' ait: 'nuntiaret, T. Man-

[k] *Magis ac magis vexando augere, et quasi in præceps agere.*

[l] *Etsi exemplo non conveniens homini in civitate recte constituta nato, in civium societate degenti.*

agros ab his impetus fieri.'' *Jac. Gronov.*—4 Glareanus legendum putat: *utrum nutriendum patri, ac vexatione insigne faciendum, an castigandum potius, si in eo quicquam humani fuisset?* Vid. Not. Var.

5 'Duabus voculis insertis, sententia magnopere juvatur; fortior fit oppositio ac insignior filii pietas, si legas, *se parenti opem latam, quam sibi ab inimicis ejus malle.*' Stroth. 'Ingeniosa quidem, sed non necessaria, Strothii

NOTÆ

[u] *Quia infacundior sit, et lingua impromtus*] 'Ob ingenii et linguæ tarditatem,' ait auctor de Viris Illustr. Noster quoque mox ingenii tarditatem notat. Val. Max. lib. VI. c. 9. 'Hebetis atque obtusi cordis' fuisse vult: additque 'in hoc, fortunæ malignæ nubilo, adolescentiæ contemtu perfusum videri, quo senectutis ejus decus lucidius enitesceret.'

[x] *Quod naturæ damnum utrum nutriendum patri*] *Nutrire* hic non alere ad augendum significat, quæ vulgaris est ejus verbi acceptio, sed pro eodem sumitur ac molliori tractatione, velut fomento, curare. Probat pluribus exemplis Gronovius: præsertim ex ipso Livio. *Naturæ* autem *damnum* est incommodum naturale, vitium a natura insitum.

lium L. filium esse.' Mox introductus, (etenim [7] percitum ira in patrem spes erat aut criminis aliquid novi, aut consilii ad rem agendam, deferre,) salute accepta redditaque, 'esse' ait, 'quæ cum eo agere arbitris remotis velit.' Procul inde omnibus abire jussis, cultrum stringit, et, super lectum stans [y] ferro intento, nisi, in quæ ipse concepisset verba,[z] juraret, 'se patris ejus accusandi causa concilium plebis nunquam habiturum,' se eum extemplo transfixurum minatur. Pavidus tribunus (quippe qui ferrum ante oculos micare, se solum, inermem, illum prævalidum juvenem, et, quod haud minus timendum erat, stolide ferocem viribus suis, cerneret) adjurat, in quæ adactus est verba; [a] et præ se deinde tulit, ea vi subactum se incepto destitisse. Nec perinde, ut maluisset plebes, sibi suffragii ferendi de tam crudeli et superbo reo potestatem fieri, ita ægre habuit,[8] filium id pro parente ausum.[m] Eoque id laudabilius erat, quod animum ejus tanta acerbitas patria [9] nihil a pietate avertisset. Itaque non patri modo remissa causæ dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit. Et cum eo anno primum placuisset, tribunos militum ad legiones [b]

[m] *Neque plebs eodem modo ægre tulit filium in gratiam patris eam rem audacter perfecisse, quo optasset sibi copiam fieri suffragiis suis damnandi Manlium patrem, reum, scilicet, adeo sævum, atque insolenter imperiosum.*

correctio.' *Doering.*—6 Vet. lib. apud Sigon. *tribunum plebis pergit.*—7 'Scripti duo Pall. et Vossianus carent particula *etenim:* et potest abesse. Revise ad lib. III. 52.' *J. F. Gronov.*—8 Pro *habuit* quidam libri *tulit* vel *abstulit.* 'Superfluum est vel *perinde* vel *ita.*' Rupert. Edd. Gronov. Doujat. semicolon

NOTÆ

[y] *Super lectum stans*] Nondum enim surrexerat Pomponius, cum summo mane ad eum T. Manlius venisset: janua autem tribunorum plebis semper patebat.

[z] *In quæ ipse concepisset verba*] In verba alicujus jurat, qui id quod ab eo petitur jurejurando interposito promittit. Solebat enim verba præire, qui quid poscebat juramento sibi confirmari, et secundum verba ab eo pronuntiata alter jurare.

[a] *Adjurat, in quæ adactus est verba*] Propria hæc adjurandi significatio, ut sit, alteri ad ea, quæ postulavit, sese jurejurando obstringere: quasi jurare ad alterius verba.

[b] *Tribunos militum ad legiones*] Hujusmodi tribuni, (longe diversi a tribunis militum consulari potestate,) præerant legionariis, ita ut sex ferme essent in unaquaque legione, et bini toti legioni per vices imperarent. Idcirco *Tribuni ad Legiones* vocaban-

suffragio fieri, (nam et antea, sicut nunc, quos[10] Rufulos vocant,[c] imperatores ipsi faciebant,) secundum in sex locis[d] tenuit,[n] nullis domi militiæque ad conciliandam gratiam meritis, ut qui rure et procul cœtu hominum juventam egisset.

6. Eodem anno, seu motu terræ, seu qua vi alia, forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur; neque eam voraginem conjectu terræ, cum pro se quisque gereret,[11][e] expleri potuisse prius, quam Deum monitu quæri cœptum, quo plurimum populus Romanus posset. Id enim illi loco dicandum, vates canebant, si rem publicam Romanam perpetuam esse vellent. Tum M. Curtium, juvenem bello egregium, castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum, quam

[n] *Obtinuit secundum locum, inter sex loca, seu munera tribunorum militarium.*

habent post *fieri*.—9 *Patris* all.—10 Conj. Rupert. *nam antea, sicut et nunc, quos.*

NOTÆ

tur; eoque loquendi genere usus videtur Cicer. VI. de Repub. 'Cum in Africam venissem Tribunus militum ad Legionem Quartam.'

[c] *Quos Rufulos vocant*] Rufuli dicebantur, 'tribuni militum a consule facti, non a populo. De quorum jure,' inquit Festus, 'quod Rutilius Rufus legem tulerat, Rufuli, ac postea Rutili sunt appellati.' Ubi Lipsio contra videtur scribendum, *Rutili*, ac post *Rufuli:* quandoquidem Asconii adhuc ævo *Rufuli* vulgo dicebantur. Hic enim Commentar. in Verr. lib. II. 'Tribunorum,' inquit, 'militarium duo sunt genera. Primum eorum, qui Rufuli dicuntur: hi in exercitu creari solent' (a consulibus aut prætoribus nimirum). 'Alii Comitiati, qui Romæ comitiis designantur.' Ex horum numero T. Manlius. Et insinuat Livius hoc primum anno id constitutum, ut populi suffragio fierent tribuni: quod postea varie servatum.

Rufulos] Tribuni legionibus a consulibus præfecti, sic dicti a Rutilio Rufo, qui legem ea de re tulit. Vide Festum, in voce. *J. Clericus.*

[d] *In sex locis*] Tribuni militum, sex tantum comitiis creati, videntur primo aspectu indicare unam duntaxat legionem eo anno scriptam. Sigonius tamen censet, scriptis quatuor legionibus, tribunos duodecim tunc creatos, quorum partem dimidiam populus creaverit, reliquos ipsi consules. Lipsius e locis tribunorum viginti quatuor non nisi sex populi judicio tributa conjicit ex Livii lib. IX. c. 30. ubi perpauca hujusmodi loca suffragio populi Romani relinqui solita memorantur.

[e] *Conjectu terræ, cum pro se quisque gereret*] Forte, ut Gronovio placet, *quam pro se quisque gereret*, id est, terram. Dicitur enim apud alios quoque auctores *gerere*, pro, ingerere, inderc. Plaut. in Pseud. 'Non pluris refert, quam si imbrem in cribrum geras.' Cato de Re Rust. c.

arma virtusque, esset. Silentio facto, templa Deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, et manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Manes porrigentem, se devovisse: equo deinde, quam poterat, maxime exornato insidentem, armatum se in specum immisisse, donaque ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum congestas; lacumque Curtium, non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metto,[f] sed ab hoc appellatum. Cura non deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret: nunc fama[12] rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem, et lacus nomen ab hac recentiore insignitius[13 g] fabula est. Post tanti prodigii procurationem, eodem anno de Hernicis consultus senatus, cum fetiales ad res repetendas nequicquam misisset, primo quoque die ferendum ad populum de bello indicendo Hernicis censuit; populusque id bellum frequens jussit. L. Genucio consuli ea provincia sorte evenit. In expectatione civitas erat, quod primus ille de plebe consul bellum suis auspiciis gesturus esset; perinde ut eveniret res, ita communicatos honores pro bene aut secus consulto habitura.[14 h] Forte ita tulit casus, ut Genucius, ad hostes

11 Conj. J. F. Gronov. *quam pro se quisque gereret.*—12 *Famæ* Gronov. Doujat. Crevier.—13 Vulg. *insignius.*—14 Vulg. *deinde ut even. res, ita com-*

NOTÆ

152. 'Si non habebis unde irriges, gerito, inditoque leniter.'

f *Curtio Metto*] De hoc Curtio supra lib. I. c. 12. et 13.

g *Insignitius*] Ita meliores codices ex Gronov. qui observat a Livio pro *insigni* sæpe *insignitum* dici: ut lib. IV. c. 4. 'An esse ulla major aut insignitior contumelia potest?'

h *Pro bene aut secus consulto habitura*] Vult, ita suspensam ejus belli expectatione civitatem fuisse, ut communicati cum plebe consulatus consilium ex hoc eventu metiri parata esset; atque illud tanquam utile probatura, si hocce bellum prospere successisset, contra vero pro pessimo et perperam capto damnatura, si hæc expeditio infaustum exitum sortiretur. Et fere ita fit: consilia eventibus ponderamus. Ad loquendi formam quod attinet, eam Livius sæpius usurpatam Gron. exemplis probat. Sic lib. VIII. 'Debellari eo die cum Samnitibus potuisse, pro haud dubio habitum est.' Lib. autem X. 'Ut omnis rei bene aut secus gestæ decus dedecusque ad L. Volumnium sit delegatum.' His et similibus lectionem suam ex veteribus quibusdam libris adversus Sigonium aliosque firmat.

magno conatu profectus, in insidias præcipitaret;[15] legionibus nec opinato pavore fusis, consul circumventus ab insciis, quem interfecissent,[16] occideretur. Quod ubi est[17] Romam nuntiatum, nequaquam tantum publica calamitate mœsti Patres, quantum feroces infelici consulis plebeii ductu, fremunt omnibus locis: 'Irent, crearent consules[18] ex plebe, transferrent auspicia, quo nefas esset. Potuisse Patres plebiscito pelli honoribus suis: num etiam in Deos immortales inauspicatam legem valuisse? Vindicasse ipsos suum numen, sua auspicia. Quæ ut primum contacta sint ab eo, a quo nec jus nec fas fuerit, deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde, turbato gentium jure, comitia haberentur.' His vocibus curia et forum personat. Ap. Claudium, quia dissuaserat legem,[19] majore nunc auctoritate eventum reprehensi ab se consilii incusantem, dictatorem consensu patriciorum[i] Servilius consul dicit, delectusque et justitium indictum.

7. Priusquam dictator legionesque novæ in Hernicos venirent, ductu C. Sulpicii legati res per occasionem gesta egregie est. In Hernicos, morte consulis contemtim ad castra Romana cum haud dubia expugnandi spe succedentes, hortante legato, et plenis iræ atque indignitatis militum animis, eruptio est facta. Multum ab spe adeundi valli res Hernicis afuit; adeo turbatis inde ordinibus abscessere. Dictatoris deinde adventu novus veteri exercitus jungitur, et copiæ duplicantur: et pro concione dictator laudibus legati militumque, quorum virtute castra defensa erant, simul audientibus laudes meritas, tollit animos; simul

mun. honores prospere aut secus consulto habitura.—15 *Præcipitaretur* Gronov. Doujat. Crevier.—16 In nonnullis Mss. legitur *interficerent.* Malit J. F. Gronov. *in quem incidissent.*—17 *Est* del. Gronov. 1679.—18 Vet. lib. apud Sigon. *consulem.*—19 Vet. lib. apud eundem, *legem in concione.*

NOTÆ

[i] *Dictatorem consensu patriciorum*] Dictatori huic Appio Claudio Crasso Regillensi, decemviri nepoti, mirum non ascribi magistrum equitum. Sigon. ex fragmentis Capitolinis, ubi superest syllaba *scus*, conjicit aliquem fuisse Servilium Priscum.

ceteros ad æmulandas virtutes acuit. Neque segnius ad hostes bellum apparatur,[20 k] qui, et parti ante decoris memores, neque ignari auctarum virium hostis,[1 l] suas quoque vires augent. Omne Hernicum nomen, omnis militaris ætas excitur. Quadringenariæ[2] octo cohortes,[m] lecta robora virorum, scribuntur. Hunc eximium florem juventutis eo etiam, quod, ut duplex acciperent stipendium, decreverant, spei animorumque implevere. Immunes quoque operum[n] militarium erant, ut, in unum pugnæ laborem reservati, plus sibi, quam pro virili parte, annitendum scirent. Extra ordinem etiam in acie locati, quo conspectior virtus esset. Duum millium planicies castra Romana ab Hernicis dirimebat: ibi pari ferme utrimque spatio in medio pugnatum est. Primo stetit ambigua spe pugna; nequicquam sæpe conatis equitibus Romanis impetu turbare hostium aciem. Postquam equestris pugna effectu, quam conatibus, vanior erat; consulto prius dictatore equites, permissu deinde ejus, relictis equis,† clamore

20 Vett. libb. alii *Neque segnius apud hostes bellum apparatur:* alii *Neque segnius et hostes bellum apparant.*—1 Conj. J. F. Gronov. *hosti.*—2 Alii *Qua-*

NOTÆ

k *Ad hostes bellum apparatur*] Sigon. reposuit ex aliis libris tanquam rectius, *neque segnius apud hostes bellum apparatur,* eadem omnino sententia. Sed Gronov. *ad hostes* genuinum esse contendit, etsi minus alibi usitata phrasi, tamen Livio non ignota, qui *ad* pro *apud* sæpe usurpat, ut lib. x. 'Furiarum ac formidinis plena omnia ad hostes esse.'

l *Auctarum virium hostis*] Præfert Gronov. *Auctarum virium hosti.* Sic lib. XXVIII. 'Aliquantum et Romanis aucti et diminuti hostibus animi erant.'

m *Quadringenariæ octo cohortes*] A Gelenio est hæc lectio. Alii, *quadringentariæ.* A quadringentis militibus dictas ait Glar. Hic numerus octies repetitus tria virorum millia ac ducentos efficeret: exiguum additamentum, si cum duplicatis Romanorum copiis conferatur. Sed hoc nimirum lectum copiarum Hernicarum robur, præter aliam gregariorum militum multitudinem. Idcirco infra dicuntur 'extraordinariæ cohortes.'

n *Immunes quoque operum*] His similes apud Tacitum, qui post senadena stipendia exauctorati, sub vexillo retinebantur, 'ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis.' Annal. I.

† *Relictis equis*] Mirum est leviter armatos equites potuisse pedites melius pugnare, quam ex equis, contra gravem armaturam Hernicorum. Sed

ingenti[3] provolant ante signa,[o] et novam integrant pugnam. Neque sustineri poterant, ni extraordinariæ cohortes pari corporum animorumque robore se objecissent.

8. Tunc inter primores duorum populorum res geritur. Quicquid hinc aut illinc communis Mars belli[4] aufert, multiplex, quam pro numero, damnum est:[o] vulgus aliud armatorum, velut delegata primoribus pugna, eventum suum in virtute aliena ponit. Multi utrimque cadunt, plures vulnera accipiunt. Tandem equites alius alium increpantes, 'quid deinde restaret,' quærendo, 'si neque ex equis pepulissent hostem, neque pedites quicquam momenti facerent?[p] quam tertiam expectarent pugnam? quid ante signa feroces prosiluissent, et alieno pugnarent loco?' His inter se vocibus concitati, clamore renovato, inferunt pedem: et primum gradu moverunt hostem,[p] deinde pepulerunt; postremo jam haud dubie avertunt. Neque, tam vires pares[5] quæ superaverit res, facile dictu est,[q] nisi quod perpetua fortuna utriusque populi et extollere animos et minuere potuit. Usque ad castra fugientes Hernicos Romanus sequitur: castrorum oppugnatione, quia serum erat diei, abstinuere. Diu non perlitatum tenuerat dictatorem, ne ante meridiem signum dare posset:[r] eo in noctem tractum erat certamen. Postero[6] die deserta fuga castra Herni-

[o] *Tunc commissi inter se, qui primos ordines tenebant, utrimque tam ex parte Hernicorum, quam Romanorum. Quicquid ex his aut illis reciproca armorum alea cæditur, multiplicata ultra cæsorum numerum jactura perit. Unusquisque enim pro multis habendus.*

[p] *Nec pedibus ipsi pugnantes.*

[q] *Nec satis potest dijudicari, qua re superatæ sint vires adeo pares.*

[r] *Id dictatorem diu remoratum fuerat, quod facto sacrificio litatum non erat.*

dringentariæ.—3 *Ingenti* del. Gronov. Doujat.

4 Vett. libb. habent *bello.*—5 Al. *vires tam pares.*—6 *Postera* Gronov.

NOTÆ

ita sæpe Livius. Vide not. ad l. IV. c. 38. l. VI. c. 24. et alibi. *J. Clericus.*

[o] *Clamore provolant ante signa*] Sublato scilicet ingenti *clamore:* nec tamen opus, quod Sigon. vult, addi vocem, *ingenti.*

[p] *Primum gradu moverunt hostem*] Paulatim in fugam egerunt. *Premierement ils les firent reculer; aprés ils les pousserent: enfin ils les forcerent à prendre ouvertement la fuite.*

corum, et saucii relicti quidam inventi; agmenque fugientium ab signis,[7] cum præter mœnia eorum infrequentia conspecta signa[8] essent, fusum, ac per agros trepida fuga palatum est.[s] Nec Romanis incruenta victoria fuit. Quarta pars militum amissa, et, ubi haud minus jacturæ fuit,[t] aliquot equites Romani cecidere.

9. Insequenti anno,* cum C. Sulpicius[9] et C. Licinius Calvus consules in Hernicos exercitum duxissent, neque inventis in agro hostibus, Ferentinum[q] urbem eorum vi cepissent, revertentibus inde eis Tiburtes[10] portas clausere. Ea ultima fuit causa, cum multæ antea querimoniæ ultro citroque jactatæ essent, cur, per fetiales rebus repetitis, bellum Tiburti populo indiceretur. Dictatorem T. Quintium Pennum eo anno fuisse, satis constat, et magistrum equitum Ser. Cornelium Maluginensem. Macer Licinius comitiorum habendorum causa, et ab Licinio consule dictum scribit, quia, collega comitia bello præferre festinante, ut continuaret consulatum, obviam eundum pravæ cupiditati fuerit. Quæsita ea propriæ familiæ laus leviorem auctorem Licinium facit. Cum mentionem ejus rei in vetustioribus annalibus nullam inveniam, magis, ut belli Gallici causa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus. Eo certe anno Galli ad tertium lapidem[r] Salaria[11] via[s]

[s] *Et cum signa Hernicorum prope muros oppidi visa essent deserta fere a suis, agmen eorum, qui a vexillis antea fugerant, fusum est, ac per campos incerto errore dissipatum.*

[t] *Qua in re non fuit minus damnum.*

Doujat. Crevier.—7 In Crevier. min. et Kreyssig. legitur *ab Signinis.*—8 *Signa conspecta* Gronov. Doujat. Crevier.

9 Vulg. *cum L. Sulpicius.*—10 [t] *Tyburtes. Tibur* et *Tiburtes* scribendum litera *i*, ex veteribus libris, et lapidibus Capitolinis, et Græcorum monu-

NOTÆ.

* A. U. C. 392.

[q] *Ferentinum*] Volscorum oppidum initio fuit, hinc captum a Romanis, Hernicisque donatum: aliquamdiu a Samnitibus postea bello possessum. Hodie *Ferentino*, vel corrupte *Firentino*, in Campania Romana. Incolæ *Ferentinates*; nam Ferentini sunt a Ferento Tusciæ.

[r] *Galli ad tertium lapidem*] Hunc tertium Gallorum motum Appianus in Celtico nominat.

[s] *Salaria via*] De hac via, a qua Porta Collina *Salariæ* adhuc nomen

trans pontem Anienis castra habuere. Dictator, cum tumultus Gallici causa justitium edixisset, omnes juniores sacramento adegit, ingentique exercitu ab Urbe profectus, in citeriore ripa Anienis castra posuit. Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset. Prælia de occupando ponte crebra erant; nec, qui potirentur, incertis viribus, satis discerni[12] poterat.[t] Tum eximia corporis magnitudine in vacuum pontem Gallus processit, et, quantum maxima voce potuit, 'Quem nunc,' inquit, 'Roma virum fortissimum habet, procedat, agedum, ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior.'

10. Diu inter primores juvenum Romanorum silentium fuit, cum et abnuere certamen vererentur, et præcipuam sortem periculi petere nollent. Tum T. Manlius, L. filius, qui patrem a vexatione tribunicia vindicaverat, ex statione ad dictatorem pergit: 'Injussu tuo,' inquit, 'imperator, extra ordinem nunquam pugnaverim, non si certam victoriam videam. Si tu permittis, volo ego illi belluæ ostendere, quando adeo ferox præsultat hostium signis,[u] me ex ea familia ortum, quæ Gallorum agmen ex rupe Tarpeia dejecit.' Tum dictator, 'Macte virtute,' inquit, 'ac pietate[13] in patrem[u] patriamque, T. Manli, esto. Perge, et

[u] *Quandoquidem tanta audacia ante vexilla hostium exultans obambulat.*

mentis.' *Sigon.*—11 Legit Glar. *Falaria.*—12 Legendum monet J. F. Gronov. *decerni*, probantibus Stroth. et Rupert.

NOTÆ

retinet, jam dictum. Nominis rationem Festus affert, 'quia per eam Sabini sal a mari deferebant.'

[t] *Satis discerni poterat*] Quia sæpe *decernere* Noster aliique dicunt pro *decidere*. Gronov. invitis omnibus libris hic quoque *decerni* legendum esse decernit: quasi non et *discernere* Latinum sit pro dijudicare, dispicere. Quo tamen verbo et Cic. sæpius usus, veluti in Partit. 'Temperantia duobus modis in rebus commodis discernitur.' Nec minus huic verbo respondent apud Græcos κρίνειν et διακρίνειν: quanquam *decernere* de futuris, *discernere* de præsentibus magis dici non abnuo.

[u] *Ac [hac] pietate in patrem*] Quid hic præcipuæ pietatis in patrem? In patruum potius magnum, Capitolii adversus Gallos defensorem. Sed hujus nomen exitus pessimi causa omi-

nomen Romanum invictum, juvantibus Diis, præsta.' Armant inde juvenem æquales. Pedestre scutum[x] capit, Hispano cingitur gladio,[y] ad propiorem habili pugnam. Armatum adornatumque adversus Gallum stolide lætum, et (quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est) linguam etiam ab irrisu exerentem, producunt. Recipiunt inde se ad stationem:[14z] et duo in medio armati, spectaculi magis more, quam lege belli, destituuntur, nequaquam visu ac specie æstimantibus pares.[x] Corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste[a] pictisque et auro cælatis refulgens armis: media in altero militaris statura, modicaque in armis habilibus magis quam decoris species. Non cantus, non exultatio armorumque agitatio vana, sed pectus, animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat. Ubi constitere inter duas acies, tot circa mortalium animis[15] spe metuque pendentibus, Gallus, velut moles superne imminens, projecto læva scuto,[b] in advenientis arma hostis

[x] *Statuuntur; dispares, si quis æstimaret, &c.*

13 Vulg. *hac pietate*, quod et dat Doujat.—14 'Melius in vet. lib. *Recipiunt se inde ad stationem ceteri.*' Sigon. Vid. Not. Var.—15 '*Animi* non *animis* legi oportere, existimat idem, quem ingenio dixi excellere, Florebellus: ut sit, 'tot mortalibus pendentibus animi spe metuque:' et illud exprimatur, quod est libro VIII. 'Tot populos inter spem metumque suspensos animi ha-

NOTÆ

nosum. Hanc itaque pietatem dicit, non quæ in hoc certamine, sed quæ in tuendo adversus Pomponium patre jam enituerat. Est itaque *hac pietate* idem ac, qua es, vel fuisti, pietate. Sumitur enim *hic* pro tali sive hujusmodi. Virg. 'Hunc ego te, Euryale, aspicio.'

[x] *Pedestre scutum*] Longius, et quo totus corpus tegeretur; cum enim eques esset, deposita parma, et longiore gladio equestri, pedestrem armaturam sumsit.

[y] *Hispano cingitur gladio*] Breviori, sed mucrone eximio, firmaque lamina, ictum utrimque vehementem inferente, ex Polybio, quali usi Hispani, quemque ideo postea Romani Hispaniensem dixere.

[z] *Recipiunt inde se ad stationem*] Sigon. præter veterum fidem adjecit *ceteri;* quod satis intelligitur.

[a] *Versicolori veste*] Hic Gallorum olim in bello habitus. 'Virgatis lucent sagulis,' apud Virg. Lineis tantum tunicis sub sagis brevibus induti, et innata magis fortitudine quam armis muniti erant.

[b] *Projecto læva scuto*] Non abjecto, sed porrecto: *ayant avancé son bouclier.*

vanum cæsim cum ingenti sonitu[c] ensem dejecit. Romanus, mucrone surrecto,[d] cum scuto scutum imum perculisset, totoque corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit, et in spatium ingens ruentem porrexit hostem.[y] Jacentis inde corpus, ab omni alia vexatione intactum, uno torque spoliavit: quem respersum cruore collo circumdedit suo. Defixerat pavor cum admiratione Gallos. Romani, alacres ab statione obviam militi suo progressi, gratulantes laudantesque ad dictatorem perducunt. Inter carminum[e] prope modum incondita quædam

[y] *Cum scuto suo percussisset Galli scutum in ima parte, propius se admovens hosti, quam ut ab eo longiorem gladium vibrante vulnerari posset, et corpore toto inter corpus Galli et scutum ejus se inferens, una aut duabus plagis ventrem ei inguinaque confodit, hostemque cadentem prostravit, ita ut ingens spatium jacens occuparet.*

NOTÆ

[c] *Vanum cæsim cum ingenti sonitu*] Noster lib. XXII. Gallorum gladios, atque hunc cæsim pugnandi morem opponit Hispanico et Romano: 'Gallis prælongi gladii, ac sine mucronibus: Hispano punctim magis quam cæsim assueto petere hostem, brevitate agiles, et cum mucronibus.' Quæ sane forma utilior: nam, ut Vegetius ratiocinatur: 'Cæsa, quovis impetu veniat, non frequenter interficit: cum et armis vitalia defendantur et ossibus: at contra cuncta, duas uncias adacta, mortalis est. Deinde, dum cæsa infertur, brachium dextrum, latusque nudatur. Puncta autem tecto corpore infertur, et adversarium sauciat, antequam videat.' Atque hæ ferme causæ fuere victoriarum quas Romani de Gallis retulerunt.

[d] *Mucrone surrecto*] *Levant la pointe de son épée.*

Surrecto] Hoc est, demisso quidem capulo, sed erecta cuspide, gladio in ventrem impacto. Glossæ veteres: 'subrigit, ὑπορθοῖ, ὑποστηρίζει:' 'subrigo, ἀναβιβάζω, ἀνορθῶ, ὑπορθῶ.' Hoc est, ut sic dicam, de sub erigo, ut, subjicio in equum, est, de sub jacio in equum. Demiserat caput Manlius, scutoque suo amoto superius scuto Galli, eum in ventre, eo modo quem dixi, ferit. *J. Clericus.*

[e] *Inter carminum*] Hæc corruptissima Tan. Faber arbitratur: sensum et Latinitatem non improbaturus, si legeretur: *inter carminum licentiam, ac militares jocos.* Mihi absque hoc remedio incorrupta videntur: quod sic inverso verborum ordine quemvis intellecturum puto: *Auditum* est *cognomen Torquati inter militariter joculantes quædam incondita prope modum carminum.* Hæc Latine stylo historico et Liviano dicta. Sensus est, prolatum fuisse et Manlio attributum a quibusdam militibus Torquati cognomen, cum illi more militari jocos funderent, verbis in modum fere carminum incondite ac rudi Minerva compositis. Est enim *prope* non adverbium, sed præpositio: qua indicatur hosce jocos militares, quos Romani

militariter joculantes,[16] Torquati cognomen auditum;[f] celebratum deinde posteris etiam familiæque honori fuit.[17] Dictator coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit.

11. Et, Hercule, tanti ea ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut Gallorum exercitus proxima nocte, relictis trepide castris, in Tiburtem agrum, atque inde, societate belli facta, commeatuque benigne[18] ab Tiburtibus adjutus, mox in Campaniam[g] transierit. Ea fuit causa, cui proximo anno* C. Pœtelius[19] Balbus consul, cum collegæ ejus M. Fabio Ambusto Hernici provincia evenisset, adversus Tiburtes jussu populi exercitum duceret. Ad quorum auxilium cum Galli ex Campania redissent, fœdæ populationes in Lavicano, Tusculanoque, et Albano agro, haud dubie Tiburtibus ducibus, sunt factæ. Et, cum adversus Tiburtem hostem duce consule contenta res publica esset, Gallicus tumultus[h] dictatorem creari coëgit. Creatus Q. Servilius Ahala T. Quintium magistrum equitum dixit, et ex auctoritate Patrum, si prospere id bellum evenisset, ludos magnos vovit. Dictator, ad continendos proprio bello Tiburtes consulari exercitu jusso manere, omnes juniores, nullo detrectante militiam, sacramento adegit. Pug-

betis.'' *Sigon.*—16 Vid. inf. et Not. Var.—17 'Sigonius, *posteris et familiæ.* Ego in duobus Voss. duobusque Pall. video, *posteris etiam familiæ honori fuit.*' J. F. Gronov.

NOTÆ

gratulantes Manlio per lusum, nec sine cantu effutiebant, modulati quid habuisse, quod non multum a versuum numeris abesset.

[f] *Torquati cognomen auditum*] Placet magis quam subdititium Sigonii *additum.* Nempe *auditum* inter militariter joculantium voces. Alii hoc singulare certamen referunt ad ann. U. 386. et Camilli extremam dictaturam: ut supra dictum lib. VI. cap. 42.

[g] *In Campaniam*] Felicem, cujus caput Capua. Ea provincia est Neapolitani regni præcipua, vulgo *Terra di Lavoro;* et Plinio ibi cogniti 'Laborini Campi.' Campaniæ nomen ad Latinorum regionem tractu temporis translatum est.

* A. U. C. 393.

[h] *Gallicus tumultus*] Adeo non deleti a Camillo aliisve Galli, ut bis tumultus, eorum causa, hoc biennio inducendus, unusque et alter dictator creandus fuerit, ac vix totis viribus a Porta Collina et Romanis mœnibus arceri potuerint.

natum haud procul porta Collina est totius viribus Urbis, in conspectu parentum conjugumque ac liberorum. Quæ magna, etiam absentibus, hortamenta animi, tum subjecta oculis, simul verecundia misericordiaque militem accendebant. Magna utrimque edita cæde, avertitur tandem acies Gallorum. Fuga Tibur,[20] [i] sicut arcem belli Gallici, petunt: palati a consule Pœtelio haud procul Tibure excepti, egressis ad opem ferendam Tiburtibus, simul cum his intra portas compelluntur. Egregie cum ab dictatore, tum ab consule res gesta est.[1] Et consul alter Fabius præliis primum parvis, postremo una insigni pugna, cum hostes totis adorti copiis essent, Hernicos devincit.[2] Dictator, consulibus in senatu et apud populum magnifice collaudatis, et suarum quoque rerum illis remisso honore,[k] dictatura se abdicavit. Pœtelius de Gallis Tiburtibusque geminum triumphum egit. Fabio satis visum, ut ovans Urbem iniret. Irridere Pœtelii triumphum Tiburtes: ‘ Ubi enim eum secum acie conflixisse? Spectatores paucos fugæ trepidationisque Gallorum, extra portas egressos, postquam in se quoque fieri impetum viderint, et sine discrimine obvios cædi, recepisse se intra urbem.[3] Eam rem triumpho dignam visam Romanis? Ne nimis mirum magnumque censerent, tumultum exciere[4] in hostium portis, majorem ipsos trepidationem ante mœnia sua visuros.’

12. Itaque insequenti anno,* M. Popillio Lænate,[5] [l] Cn.

18 Al. *benigno*.—19 Vulg. *C. Petilius*.—20 Sigonius suspicatur legendum esse *Fugati Tibur*.—1 Vulg. *gesta est res*.—2 *Devicit* Gronov. Doujat. Crevier. —3 Vulg. *in urbem*.—4 Quidam legunt *excire*.

NOTÆ

[i] *Fuga Tibur*] Male alias ex Sigonio, *Fugati Tibur*, ut pluribus demonstrat Gronov.

[k] *Suarum quoque rerum . . . honore*] *Honorem* intelligere possumus vel dictaturæ, qua se Quintius abdicarit, ne consulum dignitatem imminueret; vel potius triumphi, quem cum meruisse videri posset, consulibus deferri passus est, eo ipse abstinuit.

* A. U. C. 394.

[l] *Popillio Lænate*] Ex tabulis Capitolinis *Lænate* per diphthongum legi debere Sigon. demonstrat, itemque ex Diodoro. Causam cognominis Cicero in Bruto refert: ‘ M. Popillius Lænas, consul cum esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum

Manlio consulibus, primo silentio noctis ab Tibure agmine infesto profecti, ad urbem Romam venerunt. Terrorem repente ex somno excitatis subita res et nocturnus pavor præbuit: ad hoc[6] multorum inscitia,[m] qui, aut unde, hostes advenissent. Conclamatum tamen celeriter ad arma est, et portæ stationibus murique præsidiis firmati: et ubi prima lux mediocrem multitudinem ante mœnia, neque alium, quam Tiburtem, hostem ostendit, duabus portis egressi consules utrimque aciem subeuntium jam muros aggrediuntur: apparuitque, occasione magis, quam virtute, fretos venisse. Adeo vix primum impetum Romanorum sustinuere. Quin etiam bono fuisse Romanis adventum eorum constabat, orientemque jam seditionem inter Patres et plebem metu tam propinqui belli compressam. Alius adventus hostium fuit proximo bello,[7] [n] agris, quam Urbi, terribilior. Populabundi Tarquinienses fines Romanos, maxime qua ex parte Etruriam adjacent,[8] peragravere: rebusque nequicquam repetitis, novi consules* C. Fabius et C. Plautius jussu populi bellum indixere; Fabioque ea provincia, Plautio Hernici evenere. Gallici quoque belli fama increbrescebat. Sed inter multos terrores solatio fuit pax Latinis petentibus data, et magna vis militum ab iis ex

5 Vulg. *Lenate.*—6 Vet. lib. apud Sigon. *ad hæc.*—7 Legendum monet Tan. Faber *anno* pro *bello.*—8 'Veteres libri, *qua ex parte Etruria adjacet.*

NOTÆ

læna faceret, quod erat Flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione et seditione nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque cum auctoritate tum oratione sedavit.' Hanc 'orientem seditionem' mox indicat Liv.

[m] *Ad hoc multorum inscitia*] Repete 'terrorem præbuit.'

[n] *Alius adventus hostium fuit proximo bello*] Id est, bello quod proxime secutum, sive statim post hoc Tiburtinum. Quanquam τὸ *bello* damnat Tan. Faber, tanquam natum ex superiori versu: et quasi absurdum sit, post *propinqui belli*, dici mox *proximo bello.* Idcirco legendum ait *proximo anno:* idque patere ex mutatis consulibus. Ego, ut nomen *anno*, si ea mens Livio, admitti posse, idque pati sententiam non inficior, ita nec mutatos consules video inter incursus Tiburtis et Tarquiniensis populi, nec quid incommodi sit nomine 'belli' in diversis, quantumcumque proximis, periodis repetito, ubi de diversis hostibus bellisque agatur.

* A. U. C. 395.

fœdere vetusto,[o] quod multis intermiserant annis, accepta. Quo præsidio cum fulta res Romana esset, levius fuit, quod Gallos mox Præneste venisse,[p] atque inde circa Pedum consedisse, auditum est. Dictatorem dici C. Sulpicium placuit. Consul ad id accitus C. Plautius dixit. Magister equitum dictatori additus M. Valerius. Hi robora militum, ex duobus consularibus exercitibus electa, adversus Gallos duxerunt. Lentius id aliquanto bellum, quam parti utrique placebat, fuit. Cum primo Galli tantum avidi certaminis fuissent, deinde Romanus miles, ruendo in arma ac dimicationem, aliquantum Gallicam ferociam vinceret; dictatori neutiquam placebat, quando nulla cogeret res, fortunæ se committere adversus hostem, quem tempus deteriorem in dies et locus alienus faceret, sine præparato commeatu, sine firmo munimento morantem; ad hoc iis animis corporibusque, quorum omnis in impetu vis esset, parva eadem languesceret mora. His consiliis dictator bellum trahebat, gravemque edixerat pœnam, si quis injussu[9] in hostem pugnasset. Milites, ægre id patientes, primo in stationibus vigiliisque inter se dictatorem sermonibus carpere, interdum Patres communiter increpare, quod non jussissent per consules geri bellum. 'Electum esse eximium imperatorem, unicum ducem, qui nihil agenti sibi de cœlo devolaturam in sinum victoriam censeat.' Eadem deinde hæc interdiu propalam ac ferociora his jac-

Probo.' *Sigon.*—9 Vulg. *injussus.*

NOTÆ

[o] *Fœdere vetusto*] Ictum an. 258. cum Latinis ad lacum Regillum victis fœdus indicari vult Sigon. cujus mentio lib. II. cap. 22. Quidni vero ad Tarquinii fœdus Auctor respexerit, de quo lib. I. cap. 52. Hoc certe vetustius, (initum quippe circa annum U. 225.) nec minus ex eo Latini Romanis conferre militum vim debebant.

Ex fœdere vetusto] Hæc bella erat occasio recitandi fœderis cum Latinis, nisi talia refugeret Livius, ut prælia et victorias narret. *J. Clericus.*

[p] *Gallos mox Præneste venisse*] Ecce adhuc Galli jam toties pessumdati. Hic tamen quartus est Gallorum (hi Boii fuere) in Romanos impetus, C. Sulp. dictatore repressus: de quo Appian. in Celtico, ut Sigon. monet.

tare: 'se injussu imperatoris aut dimicaturos, aut agmine Romam ituros.' Immiscerique militibus centuriones: nec in circulis[q] modo fremere, sed jam in principiis[r] ac prætorio[s] in unum sermones confundi, atque in concionis magnitudinem crescere turba, et vociferari ex omnibus locis, 'ut extemplo ad dictatorem iretur: verba pro exercitu faceret Sex. Tullius, ut virtute ejus dignum esset.'

13. Septimum primum pilum[†] jam Tullius ducebat;[z] neque erat in exercitu, qui quidem pedestria stipendia fecisset, vir factis nobilior. Is, præcedens militum agmen, ad tribunal pergit; mirantique Sulpicio non turbam magis, quam turbæ principem Tullium, imperiis obedientissimum militem,[10] 'Scilicet, dictator,' inquit, 'condemnatum se universus exercitus a te ignaviæ ratus, et prope ignominiæ causa destitutum sine armis, oravit me, ut suam causam apud te agerem. Equidem, sicubi loco cessum, si terga data hosti, si signa fœde amissa objici nobis possent, tamen hoc a te impetrari æquum censerem, ut nos virtute culpam nostram corrigere, et abolere flagitii memoriam nova gloria

[z] *Tullius Sextus hic septem jam annos legioni præerat tanquam proximi pili centurio.*

NOTÆ

[q] *In circulis*] Circulos hic dicit pro cœtibus militum colloquentium quasi in circulo seu corona.

[r] *In principiis*] Castrorum principia proprie sunt locus, ubi defixa præcipua signa. Sumitur tamen pro via et spatio medio inter legionum et tribunorum tentoria: quo loco capita, ut ita dicam, exercitus metabantur, ubi tribuni, præfecti, et honestissimi centurionum ac decurionum versari ut plurimum soliti. His autem major reip. cura et amor quam militum vulgo. Quare ibi liberi ac seditiosi sermones periculum majus defectionis ostendunt. Eo etiam spectat similis locus lib. XXVII. in principiis prætorioque, ubi sermones inter se serentium circulos vidissent.'

In principiis] Locus erat in castris ante tentoria tribunorum, ubi plerique militum maximam diei partem terebant. Vide Just. Lipsium de Mil. Rom. lib. v. Dial. 8. *J. Clericus.*

[s] *Ac prætorio*] Prætorium est prætoris, sive imperatoris tentorium ceteris amplius, et sedes summi ducis, conspicuo ac plerumque paulo editiore castrorum loco, inter principia et Portam Prætoriam posita, in medio aliorum ducum, legatorum puta, tribunorum, quæstoris, præfecti.

† *Septimum primum pilum*] Just. Lipsius non septimum ordine, sed iteratione dictum censet, seu qui jam septies fuerat primipilus. Vide eum de Mil. Rom. lib. II. Dial. 8. *J. Clericus.*

patereris. Etiam ad Allium fusæ legiones eandem, quam per pavorem amiserant, patriam, profectæ postea ab Veiis,[t] virtute recuperavere. Nobis, Deum benignitate, felicitate tua populique Romani, et res et gloria est integra. Quanquam de gloria vix dicere ausim, si nos et hostes haud secus, quam fœminas, abditos intra vallum omnibus contumeliis eludunt;[11] et tu,[a] imperator noster, quod ægrius patimur, exercitum tuum sine animis, sine armis, sine manibus judicas esse; et prius, quam expertus nos esses, de nobis ita desperasti, ut te mancorum ac debilium ducem judicares esse. Quid enim aliud esse causæ credemus, cur veteranus dux, fortissimus bello, compressis, quod aiunt, manibus sedeas? Utcumque enim se habet[12] res, te de nostra virtute dubitasse videri, quam nos de tua, verius est. Sin autem non tuum istuc, sed publicum est consilium, et consensus aliquis Patrum, non Gallicum bellum, nos ab urbe, a penatibus nostris ablegatos tenet; quæso, ut ea, quæ dicam,[13] non a militibus imperatori dicta censeas, sed a plebe Patribus; quæ, sicut vos vestra habeatis consilia, sic se sua habituram dicat. Quis tandem succenseat, milites nos esse, non servos vestros? ad bellum, non in exilium, missos? si quis det signum, in aciem educat, ut viris ac Romanis dignum sit, pugnaturos? si nihil armis opus sit, otium Romæ potius, quam in castris, acturos? Hæc dicta sint Patribus. Te, imperator, milites tui oramus, ut nobis[u] pugnandi copiam facias. Cum[14] vincere cupimus, tum de duce vincere; tibi lauream insignem deferre; tecum triumphantes Urbem inire; tuum sequentes currum

[a] *Quandoquidem hinc nobis hostes insultant, inde tu, &c.*

10 Vulg. *militum.*—11 Conj. Doujat. *sic nos et hostes .... eludunt.*—12 *Habeat* Gronov. Doujat. Crevier. all.—13 Vulg. *quæso ut quæ dicam.*—14 *Tum* Gronov. Doujat. Crevier. Vid. Not. inf. et Not. Var.

NOTÆ

[t] *Profectæ postea ab Veiis*] Sub Camillo. Vid. lib. v. cap. 46. et 49.

[u] *Oramus, ut nobis*] Elegantius, teste Gronov. veteres quidam libri, qui particulam *ut* ignorant, *Oramus nobis pugnandi copiam facias.*

Jovis optimi maximi templum gratantes ovantesque adire.' Orationem Tullii exceperunt preces multitudinis: et undique, ut signum daret, ut capere arma juberet, clamabant.

14. Dictator, quanquam rem bonam[x] exemplo haud probabili actam cernebat,[15] tamen facturum, quod milites vellent, se, recepit: Tulliumque secreto, quænam hæc res sit, aut quo acta more, percunctatur. Tullius magnopere a dictatore petere, 'ne se oblitum disciplinæ militaris, ne sui, neve imperatoriæ majestatis, crederet: multitudini concitatæ, quæ ferme auctoribus similis esset,[b] non subtraxisse se ducem; ne quis alius, quales mota creare multitudo soleret, existeret. Nam se quidem nihil non arbitrio imperatoris acturum. Illi quoque tamen videndum magnopere esse, ut exercitum in potestate haberet. Differri non posse adeo concitatos animos. Ipsos sibi locum ac tempus pugnandi sumturos, si ab imperatore non detur.' Dum hæc loquuntur, jumenta forte pascentia extra vallum Gallo abigenti duo milites Romani ademerunt. In eos saxa conjecta a Gallis: deinde ab Romana statione clamor ortus, ac procursum utrimque est. Jamque haud procul justo prælio res erant, ni celeriter diremtum certamen per centuriones esset. Affirmata certe eo casu Tullii apud dictatorem fides est.[c] Nec recipiente jam dilationem re, in posterum diem edicitur, acie pugnaturos. Dictator tamen, ut qui magis animis, quam viribus, fretus ad certamen descenderet, omnia circumspicere atque agitare cœpit, ut arte aliqua terrorem hostibus incuteret. Solerti animo rem no-

[b] *Quæ, prout visum iis a quibus ducitur, agi soleat, eosque imitari.*
[c] *Eo quidem eventu veritas verborum Tullii confirmata est dictatori.*

15 Vulg. *actam censebat.* Pall. duo, Aldusque, et Junt. habent *actam cernebat, censebat tamen.* Voss. alter *censeret actam censebat.* Tertius Pall. *haud*

NOTÆ

[x] *Quanquam rem bonam*] Utilis ac bona res erat ardor ille militum, et testificatio parati ad rem bene gerendam exercitus: sed non laudando seu probabili exemplo fiebat, quod agmine facto dictatorem ad prælium jubendum adigere vellent.

vam excogitat, qua deinde multi nostri atque externi imperatores, nostra quoque quidam ætate, usi sunt.[y] Mulis strata detrahi jubet;[z] binisque tantum centunculis relictis, agasones, partim captivis, partim ægrorum armis ornatos, imponit. His fere mille effectis centum admiscet equites. Et nocte super castra in montes evadere, ac sylvis se occultare jubet; neque inde ante moveri,[16] quam ab se acciperent signum. Ipse, ubi illuxit, in radicibus montium extendere aciem cœpit sedulo, ut adversus montes consisteret hostis. Instructo[17] vani terroris apparatu, qui quidem terror plus pæne veris viribus profuit; primo credere duces Gallorum, non descensuros in æquum Romanos: deinde, ubi degressos[18] repente viderunt, et ipsi avidi certaminis in prælium ruunt; priusque pugna cœpit, quam signum ab ducibus daretur.

15. Acrius invasere Galli dextrum cornu: neque sustineri potuissent, ni forte eo loco dictator fuisset, Sex. Tullium nomine increpans rogitansque: 'Siccine pugnaturos milites spopondisset? ubi illi clamores sint arma poscentium? ubi minæ, injussu imperatoris prælium, inituros? En ipsum imperatorem clara voce vocare ad prælium, et ire armatum ante prima signa. Ecquis sequeretur eorum, qui modo ducturi fuerint; in castris feroces, in acie pavidi?' Vera audiebant. Itaque tantos pudor stimulos admovit, ut ruerent in hostium tela, alienatis a memoria periculi animis.

probabili cerneret actam, censeretque se facturum.—16 *Movere* Crevier. Jac. Gronov. et edd. antiqq.—17 *Instructo jam* Gronov. Doujat.—18 Vulg. *digressos.*

NOTÆ

[y] *Nostra quoque quidam ætate, usi sunt*] C. Marius inter ceteros, cum in Teutonas dimicaturus esset, auctore Frontino lib. II. qui hujus quoque C. Sulpicii meminit.

[z] *Mulis strata detrahi jubet*] Sigonius Frontini de Mario verba adducit, 'Agasones lixasque armatos simul ire jussit, jumentorumque magnam partem instructorum cum centunculis, ut per hoc equitatus species objiceretur.' Quæ Livius *strata* appellat, ephippia generaliter sunt; hic vero clitellæ jumentis imponi solitæ, quo melius sarcinas ferant. Centunculi autem relicti mulis, ut procul spectantibus haberentur pro stragulis, quibus, e panno, coriove, aut pelle confectis, equos prisci Romani insternebant, nullo apud eos usu sellarum equestrium, quales nunc apud nos.

Hic primo impetus prope vecors turbavit hostes: eques deinde emissus turbatos avertit. Ipse dictator, postquam labantem una parte vidit aciem,[a] signa in lævum cornu confert, quo turbam hostium congregari cernebat; et iis, qui in monte erant, signum, quod convenerat, dedit. Ubi inde quoque novus clamor ortus, et tendere obliquo monte[19] ad castra Gallorum visi sunt; tum metu, ne excluderentur, omissa pugna est, cursuque effuso ad castra ferebantur. Ubi cum occurrisset eis M. Valerius, magister equitum, (qui, profligato dextro[20] cornu,[b] obequitabat hostium munimentis,) ad montes sylvasque vertunt fugam; plurimique ibi a fallaci equitum specie agasonibusque[1] excepti sunt: et eorum, quos pavor pertulerat in sylvas, atrox cædes post sedatum prælium fuit. Nec alius post M. Furium, quam C. Sulpicius, justiorem de Gallis egit triumphum. Auri quoque ex Gallicis spoliis satis magnum pondus, saxo quadrato septum, in Capitolio sacravit. Eodem anno et a consulibus vario eventu bellatum. Nam Hernici a C. Plautio devicti subactique sunt. Fabius collega ejus incaute atque inconsulte adversus Tarquinienses pugnavit: nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quam quod trecentos septem milites Romanos captos Tarquinienses immolarunt. Qua fœditate supplicii aliquanto ignominia populi Romani insignitior[2] fuit. Accessit ad eam cladem

19 Conj. Doujat. *oblique e monte.*—20 ' Forte leg. *lævo;* vel potius in initio cap. *dextro cornu* cum Drak.' *Rupert.*—1 Vett. libb. non habent vocem *que.* —2 Vet. lib. apud Sigon. *insignior.*

NOTÆ

[a] *Labantem una parte vidit aciem*] Scriptum vellem, *labantem hac parte restituit aciem*, vel *stitit aciem:* neque enim in lævum cornu signa conferre aut debuit, aut potuit Sulpicius, quamdiu nutaret dextrum cornu; quod intelligi necesse est per *aciem una parte labantem*, ut sequentia manifeste ostendunt.

[b] *Profligato dextro cornu*] Id vero qua ratione factum non capio. Nam dextrum cornu Gallorum lævo Romanorum oppositum profligatum non fuerat; sed, cum ad pugnam se compararet, aversum clamore falsi e montibus equitatus Romani: atque hi ipsi erant, quibus occurrebat nunc M. Valerius. Omnino legendum censeo, *profligato sinistro cornu*, Gallorum scilicet, quod in dextrum cornu Romanorum acrem fecerat impressionem; sed horum deinde impetu prope vecordi turbatum, ac tandem emisso equitatu repulsum fuerat.

et vastatio Romani agri, quam Privernates, Veliterni deinde, incursione repentina fecerunt. Eodem anno duæ tribus, Pomptina[c] et Publilia,[d] additæ. Ludi votivi, quos M. Furius dictator voverat, facti: et de ambitu ab C. Pœtelio tribuno plebis, auctoribus Patribus, tum primum[e] ad populum latum est: eaque rogatione novorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas et conciliabula[f] obire soliti erant, compressam credebant.

16. Haud æque læta Patribus insequenti anno,* C. Marcio, Cn. Manlio consulibus, de unciario fœnere † a M.

NOTÆ

[c] *Duæ tribus, Pomptina*] Quinque et viginti tribubus additæ nunc duæ, unde tribus septem ac viginti extiterunt. Pomptina ab urbe Volscorum *Pometia* nomen accepit; inque eam conjecti qui agrum Pomptinum sortiti erant.

[d] *Et Publilia* [*Publicia*] Aliis *Publilia*, plerisque *Popillia* est, quam Onuphrius a loco aliquo, qui forte in Volscis, deducit. Sigonius dubitat a loco, an a viro nomen traxerit. Nam a M. Popillio Lænate, qui anno superiore consul, de quo et cap. 20.

[e] *De ambitu, &c. tum primum*] Adversus eos, qui urbem circumeundo (hoc enim est proprie *ambire*) emendicandis pecunia et præter morem suffragiis cives prensarent, plures latæ sunt leges. Hanc Pætiliam, cujus nunc mentio, præcesserat ann. 332. Tribunicia lex, qua candidatorum vestes arte dealbari prohibebatur. Supra lib. IV. cap. 25.

[f] *Nundinas et conciliabula*] Nundinæ non tantum in urbe, coloniis, municipiisve, sed in præfecturis quoque habebantur. Conciliabuli autem, quemadmodum conventiculi, nomen minus concilium indicat, sive cœtum hominum etiam sine magistratu convenientium. Specialius tamen conciliabula erant conventuum juridicorum genus, ceteris inferius. Erant enim inferiora foris, ut fora præfecturis, præfecturæ coloniis ac municipiis, uti a Turnebo est observatum lib. XI. Advers. sed interdum municipii jure donabantur. Frontin. de limit. agri: 'Hoc conciliabulum fuisse fertur: et postea in municipii jus relatum.'

* A. U. C. 396.

† *De unciario fœnere*] Usuræ centesimæ, quæ, duodecim in centena per singulos annos præstitis, centesimo mense æquant sortem, mensura sunt reliquarum, et fœnebris ut ita dicam as. Hæ maximæ fuere apud veteres Romanos usuræ. Minores eam habent ad centesimas rationem, quam habent portiones assis ad assem in duodecim uncias distributum. Hac ratione besses usuræ sunt quæ pro singulis centenis octo quotannis reddunt, *huit pour cent par an:* semisses dimidia pars centesimarum, quæ sex efficiunt in singulos annos, *six pour cent:* trientes, tertia centesimarum portio, quæ quatuor exigunt, *quatre pour cent:* sextantes, sexta pars, duo præstant annuatim, *deux pour cent:* denique usuræ 'unciariæ,' sive 'unciarium fœnus' vocatur, cum penditur pars tantum duodecima centesimarum, id est, unum quotannis in singula centena, *un pour cent:* quem fœnoris modum patriciis, utpote fœneratoribus, displicuisse nihil mirum. Sed hoc Tacitus VI. Annal. Tabulis

Duilio, L. Mænio tribunis plebis rogatio est perlata: et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque.[d] Ad bella nova, priore anno destinata, Falisci quoque hostes exorti,[3] duplici crimine;[e] quod et cum Tarquiniensibus juventus eorum militaverat, et eos, qui Falerios perfugerant, cum male pugnatum est, repetentibus fetialibus Romanis non reddiderant. Ea provincia Cn. Manlio obvenit. Marcius exercitum in agrum Privernatem, integrum pace longinqua, induxit; militemque præda implevit. Ad copiam rerum addidit munificentiam, quod, nihil in publicum secernendo,[g] augenti rem privatam militi favit. Privernates[h] cum ante mœnia sua castris permunitis consedissent; vocatis ad concionem militibus, 'Castra nunc,' inquit, 'vobis hostium urbemque prædæ do, si mihi pollicemini, vos fortiter in acie operam navaturos, nec prædæ magis, quam pugnæ, paratos esse.' Signum poscunt ingenti clamore: celsique et spe haud dubia[f] feroces in prælium vadunt. Ibi ante signa Sex. Tullius, de quo ante dictum est, exclamat: 'Aspice, imperator,' inquit,[4] 'quemadmodum exercitus tuus tibi promissa præstet:' piloque posito, stricto gladio in hostem impetum facit. Sequuntur Tullium antesignani[i] omnes, primoque impetu avertere hostem: fusum inde ad oppidum persecuti, cum jam scalas mœnibus admoverent, in deditionem urbem acceperunt. Triumphus de Pri-

[d] *Constituit, et gratam acceptamque habuit.*
[e] *Duobus factis quæ ipsis crimini data.*
[f] *Et animo erecto, certaque accensi spe.*

3 Quidam vett. libb. *Falisci quoque novi hostes exorti.*—4 'Τὸ *inquit* forte

NOTÆ

ascribit.

De unciario fœnore] Unciarium fœnus fuit, quo duodecima pars assis in mensem solvebatur; hoc est more nostro, nummus unus pro centenis in annum. Vide J. F. Gronovium de centesimis usuris. *J. Clericus.*

[g] *Nihil in publicum secernendo*] Id præter morem. Solebant enim pecuniam ex præda captarum urbium et captivis capitibus redactam maxima ex parte in ærarium inferre, parte minori militibus distributa, ut passim videre est apud Nostrum.

[h] *Privernates*] Volscorum oppidum antiquum fuit Privernum ad Amasenum fluvium, Setiam inter et Circeios: unde Camillæ Virgilianæ origo. Nunc *Piperno*, in Campania Romana.

[i] *Antesignani*] De his antea.

vernatibus actus. Ab altero consule nihil memorabile gestum; nisi quod legem novo exemplo [k] ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum,[1] qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt. Ceterum tribuni plebis, non tam lege, quam exemplo, moti, ne quis postea populum sevocaret,[g] capite sanxerunt. Nihil enim non per milites, juratos in consulis verba, quamvis perniciosum populo, si id liceret, ferri posse.[5] Eodem anno C. Licinius Stolo a M. Popillio Lænate sua lege [m] decem millibus æris [n] est damnatus, quod mille jugerum agri [o] cum filio possideret, emancipandoque filium [p] fraudem legi fecisset.

[g] *Ne quisquam in posterum seorsim populi partem congregaret ad habenda comitia.*

del. quia præcessit *exclamat.*' Rupert.—5 Vulg. *si id liceret fieri posse.*

NOTÆ

[k] *Novo exemplo*] Neque enim comitia, etiam tributa, nisi ad urbem, convocatisque prius tributim civibus, habere licebat: et legem trinundino promulgari oportebat.

[1] *De vicesima eorum*] Amplissimum hoc fuit vectigal, quod ad postrema fere imperatorum tempora in usu: in eo positum ut servos manumissuri penderent pro illis, aut ære ab ipsis sumministrato, vicesimam pretii partem. Nummum aureum posterioribus temporibus fuisse suspicor, cum vulgaris servorum taxatio esset viginti aureorum. Alia est instituta ab Augusto vicesima hæreditatum ad ærarium militare. Pro venalibus mancipiis postea vectigal vicesimæ quintæ ex Tacito, vel potius quinquagesimæ ex Dione, pendi cœpit.

De vicesima] Qua lege solvebant ærario servum manumissuri vicesimam partem pretii, quo æstimabatur. *J. Clericus.*

[m] *Sua lege*] Cautum fuerat adversus patricios, ne quis plus quingentis agri jugeribus possideret. Supra lib. VI. cap. 35. 'Docuit' igitur 'Licinius nihil præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperavit,' ut loquitur Valer. lib. VIII. Diocles Syracusis legem hanc inter alias scripserat, ne cui cum armis in concionem prodire liceret: qui fecisset, capite puniretur: ipse deinde, cum ob hostilem irruptionem accinctus orto tumultu in forum procurrisset, monitus violatæ legis, eam morte propria sanxit, auctore Diodoro lib. XIII. Id Charondæ Locrorum in extrema Italia legislatori ascribit Valer. lib. VI. cap. 5. ubi et Zaleuci apud Thurios paulo mitius, sed tamen exactæ justitiæ, factum refert. Lycurgus autem, Spartanorum legislator, nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret, Justin. lib. III. cap. 2.

[n] *Decem millibus æris*] Æris gravis scilicet, quæ summa non multo inferior est 6750. librarum nostrarum summa.

Decem millibus æris] Gravis; hoc est, decem millia librarum Romanarum æris. *J. Clericus.*

[o] *Mille jugerum agri*] Ut 'mille ho-

17. Novi consules inde, M. Fabius Ambustus secundum et M. Popillius Lænas secundum,[6] duo bella habuere. Facile alterum cum Tiburtibus, quod Lænas gessit; qui, hoste in urbem compulso, agros vastavit. Falisci Tarquiniensesque alterum consulem prima pugna fuderunt. Inde terror maximus fuit, quod sacerdotes eorum, facibus ardentibus anguibusque[q] prælatis, incessu furiali militem Romanum insueta turbaverunt specie: et tunc quidem velut lymphati et attoniti munimentis suis trepido agmine inciderunt; deinde, ubi consul[7] legatique ac tribuni puerorum ritu vana miracula paventes irridebant increpabantque, vertit animos repente pudor, et in ea ipsa, quæ fugerant, velut cæci ruebant. Discusso itaque vano apparatu hostium, cum in ipsos armatos se intulissent, averterunt totam aciem: castrisque etiam eo die potiti, præda ingenti parta, victores reverterunt, militaribus jocis cum apparatum hostium, tum suum increpantes pavorem. Concitatur deinde omne nomen Etruscum, et, Tarquiniensibus Faliscisque ducibus, ad Salinas perveniunt. Adversus eum terrorem dictator C. Marcius Rutilus primus de plebe dictus, magistrum equitum item de

NOTÆ

minum,' (supple *numerum,*) pro, mille jugera, mille homines. Jugerum autem vocabatur teste Plin. lib. XVIII. cap. 3. 'Quod uno jugo bonum in die exarari posset. Actus, in quo boves agerentur cum aratro, uno impetu justo. Hoc erat CXX. pedum: duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat.' Nimirum 'junctis duobus actibus quadratis,' ut Varro loquitur. Et 'Centuria' ex eodem, 'a centum jugeribus dicta: post duplicata, retinuit nomen.'

p *Emancipandoque filium*] Non tamen abhorrebat a jurisprudentum placitis hoc Stolonis commentum: emancipatione quippe filius, cum e sacris et familia patris exiret, fiebat novus paterfamilias. Verum hujus emancipationis ideo non est habita ratio quod eam factam esse apparebat in fraudem legis.

* A. U. C. 397.

q *Facibus ardentibus anguibusque*] Explicat hunc locum Florus, simile inventum Fidenatibus ascribens lib. I. cap. 12. 'Fidenæ, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum, facibus armati et discoloribus serpentum in modum vittis furiali more præcesserant: sed habitus ille feralis eversionis omen fuit.' Vittæ autem illæ colore anguineo, seu vario, instar anguium, vento agitatæ, vivere, et veri angues esse videbantur. Sed de Fidenatibus dictum ab Auctore lib. IV. c. 33. quibus faces pro armis tribuit, nulla anguium mentione. Frontin. l. II. Strategematum, c. 4. Veientes quoque id factitasse scribit.

plebe C. Plautium dixit. Id vero Patribus indignum videri, etiam dictaturam jam in promiscuo esse; omnique ope impediebant, ne quid dictatori ad id bellum decerneretur parareturve. Eo promtius cuncta, ferente dictatore, populus jussit. Profectus ab Urbe, utraque parte Tiberis, ratibus exercitu, quocumque fama hostium ducebat, trajecto, multos populatores agrorum vagos palantes[8] oppressit. Castra quoque, nec opinato aggressus, cepit: et, octo millibus hostium captis, ceteris aut cæsis, aut ex agro Romano fugatis, sine auctoritate Patrum, populi jussu, triumphavit. Quia nec per dictatorem[9] plebeium, nec per consulem, comitia consularia[r] haberi volebant, et alter consul Fabius bello retinebatur, res ad interregnum redit.[s] Interreges deinceps Q. Servilius Ahala, M. Fabius, Cn. Manlius, C. Fabius, C. Sulpicius, L. Æmilius, Q. Servilius, M. Fabius Ambustus. In secundo interregno orta contentio est, quod duo patricii consules creabantur: intercedentibus tribunis,[10] interrex Fabius aiebat, 'in duodecim tabulis legem esse, ut, quodcumque postremum populus jussisset, id jus natumque esset; jussum populi et suffragia esse.'[h] Cum[11] intercedendo tribuni nihil aliud, quam ut differrent comitia, valuissent; duo patricii consules creati

[h] *Ipsa etiam suffragia, quibus consules, &c. crearentur, esse pro lege.*

6 *Iterum* Gronov. Doujat. Crevier.—7 *Consules* iid.—8 'Τὸ *palantes* ad glossas Livianas, e margine in textum importatas, pertinere videtur.' *Doering.*—9 Vet. lib. apud Sigon. *Et quia nec per dictat.*—10 Vet. lib. apud eund.

NOTÆ

[r] *Nec per consulem, comitia consularia*] Quidni vero per consulem? An quod Popillius, ob dictatorem de plebe dictum, exosus patribus erat? Repete *plebeium;* erat enim Popillius Lænas de plebe consul: color ex eo quod plebeii auspicia non haberent. Notat Godelevæus, non ante dictatorem comitiorum causa dici cœptum, quam creatus sit de plebe dictator: quoniam antea nihil plebis intererat, an consulum creandorum causa dictator, an interrex consularia comitia haberet, quamdiu neuter de plebe creari poterat, qui de plebe consulem crearet. At postquam dictaturam plebs adepta est, tunc demum causa fuit de eo certandi, ut dictator potius quam interrex (qui semper patricius) absentibus consulibus comitia haberet.

[s] *Res ad interregnum redit*] Comitia enim consulum creandorum non poterant a magistratu plebeio, ac ne a prætore quidem haberi. Summum imperium ad id desiderabatur.

sunt,* C. Sulpicius Peticus tertium, M. Valerius Publicola: eodemque die magistratum inierunt.[12]

18. Quadringentesimo anno,[t] quam urbs Romana condita erat, quinto tricesimo,[13] quam a Gallis reciperata,[14 u] ablato post undecimum annum[15] a plebe consulatu,[i x] patricii consules ambo ex interregno magistratum iniere, C. Sulpicius Peticus tertium, M. Valerius Publicola. Empulum eo anno[y] ex Tiburtibus haud memorando certamine captum; sive duorum consulum auspicio bellum ibi gestum est, ut scripsere quidam; seu per idem tempus Tarquiniensium quoque sunt vastati agri ab Sulpicio consule, quo Valerius adversus Tiburtes legiones duxit. Domi majus certamen consulibus cum plebe ac tribunis erat. Fi-

[i] *Cum plebs ante annos undecim extorsisset consularem dignitatem.*

tribunis plebis.—11 *Cumque* Gronov. Doujat. Crevier.—12 ' *Creati sunt C. Sulpicius Pæticus.* Videtur ab Livio fuisse rotundius: *duo patricii consules creati, C. Sulpicius Pæticus, M. Valerius Poplicola, eodem die magistratum inierunt.*' J. F. Gronov.

13 Vet. lib. apud Sigon. *quinto et tricesimo.*—14 Ita Ms. Thuan. Vulg. *recepta.* Voss. et Chiffl. *reciperet.*—15 Vulg. *post nonum annum.* Vid. inf. et Not. Var.

NOTÆ

* A. U. C. 398.

[t] *Quadringentesimo anno*] Monet Glar. ab annis 386. omissum esse a Livio annum unum. Alia ratione discrepat Sigonii computatio a Liviana, numerans hunc annum 398. ab Urb. condita, ex marmoribus Capitolinis, quorum nos rationem cum illo sequimur. Ab Urbe tamen per Gallos capta anni sunt 35. Nam ex Sigoniano calculo capta fuerat an. 363.

[u] *A Gallis reciperata* [*recepta*] Id est, de Gallis. Membr. Thua. *reciperata.*

[x] *Ablato post undecimum annum a plebe consulatu*] Consul ex plebe primus factus est L. Sextius cum L. Æmilio an. U. 387. secundum Sigonium. Hinc ad hunc annum sunt anni undecim. Legebatur antea *post nonum annum:* id Glar. et Sigon. errori librariorum ascribunt, qui immutato literarum ordine *IX.* pro *XI.* scripserint.

Post undecimum annum] Primus consul plebeius creatus fuerat anno U. C. 389. a quo hic annus erat duodecimus. *J. Clericus.*

[y] *Empulum eo anno*] Tiburtini agri oppidum fuisse Empulum, sive Empulium, hic locus indicat. Loci ejus non facile occurret alibi mentio. Kircherus in Latio tribus milliaribus a Tiburtina civitate in septemtrionem esse censet, ubi nominis vestigia in ruinis servare videtur locus qui dicitur vulgo, *Ampiglione:* ex cujus ruderibus natum *Castellum Sancti Angeli* in agro Tiburtino.

dei jam suæ, non solum virtutis, ducebant esse, ut accepissent duo patricii consulatum, ita ambobus patriciis mandare.[k] Quin aut toto cedendum esse, si plebeius jam magistratus consulatus fiat, aut totum possidendum, quam possessionem integram a patribus accepissent. Plebes contra fremit: 'Quid se vivere, quid in parte civium censeri, si, quod duorum hominum virtute, L. Sextii ac C. Licinii, partum sit, id obtinere universi non possint? Vel reges, vel decemviros, vel, si quod tristius sit imperii nomen, patiendum esse potius, quam ambos patricios consules videant, nec in vicem pareatur atque imperetur; sed pars altera, in æterno imperio locata, plebem nusquam alio natam,[l] quam ad serviendum, putet.' Non desunt tribuni auctores turbarum; sed inter concitatos per se omnes vix duces eminent. Aliquoties frustra in campum descensum cum esset, multique per seditiones acti comitiales dies; postremo victæ perseverantia consulum plebis eo dolor erupit, ut tribunos, 'actum esse de libertate' vociferantes, 'relinquendumque non campum jam solum, sed etiam urbem captam atque oppressam regno patriciorum,' mœsta plebs sequeretur. Consules, relicti a parte populi, per infrequentiam comitia nihilo segnius perficiunt. Creati consules ambo patricii, M. Fabius Ambustus tertium, T. Quintius.* In quibusdam annalibus pro T. Quintio M. Popillium consulem invenio.

19. Duo bella eo anno prospere gesta; cum Tiburtibusque ad deditionem pugnatum. Sassula ex his urbs capta:[z] ceteraque oppida eandem fortunam habuissent, ni universa gens, positis armis, in fidem consulis venisset. Trium-

[k] *Putabant nunc consules non tantum ad fortitudinem suam, sed etiam ad probitatem et integritatem fidei pertinere, ut quemadmodum ipsi e numero patriciorum ambo consularem dignitatem senatus opera receperant, sic efficere ut duobus quoque, quorum uterque patricius esset, honos idem committeretur.*

[l] *Ad nihil aliud genitam, aptamque.*

NOTÆ

* A. U. C. 399.

[z] *Sassula ex his urbs capta*] Hoc Tiburtium oppidum ubi fuerit, Cluverius, accuratus alioqui locorum Italiæ veterum indagator, nesciri fatetur. Kircherus conjicit ibi fuisse ubi nunc *S. Gregorio.*

phatum de Tiburtibus: alioquin mitis victoria fuit. In Tarquinienses acerbe sævitum, multis mortalibus in acie cæsis. Ex ingenti captivorum numero trecenti quinquaginta octo[a] delecti, nobilissimus quisque, qui Romam mitterentur:[16] vulgus aliud trucidatum. Nec populus in eos, qui missi Romam erant, mitior fuit. Medio in foro omnes virgis cæsi ac securi percussi. Id pro immolatis in foro Tarquiniensium Romanis pœnæ hostibus redditum. Res bello bene gestæ, ut Samnites quoque amicitiam peterent, effecerunt. Legatis eorum comiter ab senatu responsum: fœdere in societatem accepti. Non eadem domi, quæ militiæ, fortuna erat plebi Romanæ. Nam etsi, unciario fœnere facto, levata usura erat,† sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant.[b] Eo nec patricios ambo consules,[c] neque comitiorum curam, publicave studia præ privatis incommodis plebs ad animum admittebat. Consulatus uterque apud patricios manet. Consules creati* C. Sulpicius Peticus quartum, M. Valerius Publicola iterum. In bellum Etruscum intentam civitatem, quia Cæritem populum[d] misericordia consanguinitatis[m] Tarquiniensibus adjunctum fama ferebat, legati Latini ad Volscos convertere,[n] nuntiantes, exercitum conscriptum armatumque jam suis finibus imminere: inde[17] populabundos in

[m] *Cum eorum misererentur ob sanguinis conjunctionem.*
[n] *Effecerunt ut Romani ad Volscum bellum adjicerent animos.*

NOTÆ

[a] *Trecenti quinquaginta octo*] Pro 307. militibus Romanis in foro Tarquiniorum immolatis c. 15. Tarquinienses nobiles 358. in foro Romano securi percussi, superadditis ultra parem numerum quinquaginta et uno. Diod. habet 360.

† *Levata usura erat, &c.*] Vide ad c. 16. Ne unum quidem nummum in centenos solvere plebs potuit, præ paupertate, vel sola sorte oppressa. Romani, nempe, agricolæ et milites vix ullum lucrum, nisi fortuitam prædam excipias, faciebant. *J. Clericus.*

[b] *Nexumque inibant*] *Nexus* vel *nexi* nomine jam ostendimus intelligi mancipationem, sive solennem obligationem ære et libra contractam, qua debitores corpus ipsi suum non minus quam res pignori obligabant.

[c] *Patricios ambo consules*] *Ambo*, pro *ambos*. Ita habent vetusti codices, teste Gelenio. Idque antiquo more, ut *ambo* sit nomen indeclinabile, quemadmodum apud Græcos ἀμφώ.

* A. U. C. 400.

[d] *Cæritem populum*] De Cære Tus-

agrum Romanum venturos esse. Censuit igitur senatus, neutram negligendam rem esse: utroque legiones scribi, consulesque sortiri provincias jussit. Inclinavit deinde pars major curæ in Etruscum bellum; postquam literis Sulpicii consulis, cui Tarquinii provincia evenerat, cognitum est, depopulatum agrum circa Romanas salinas, prædæque partem in Cæritum fines avectam, et haud dubie juventutem ejus populi inter prædatores fuisse. Itaque Valerium consulem, Volscis oppositum, castraque ad finem Tusculanum habentem, revocatum inde senatus dictatorem dicere jussit. T. Manlium L. filium[e] dixit. Is, cum sibi magistrum equitum A. Cornelium Cossum dixisset, consulari exercitu contentus, ex auctoritate Patrum ac populi jussu Cæritibus bellum indixit.

20. Tum primum Cærites, tanquam in verbis hostium vis major ad bellum significandum,[18] quam in suis factis,[o] qui per populationem Romanos lacessierant, esset, verus belli terror invasit;[19] et, quam non suarum virium ea dimicatio esset,[p] cernebant. Pœnitebatque populationis, et Tarquinienses execrabantur defectionis auctores. Nec arma, aut bellum quisquam apparare, sed pro se quisque legatos mitti jubebat ad petendam erroris veniam. Legati senatum cum adissent, ab senatu rejecti ad populum, Deos rogaverunt, quorum sacra bello Gallico accepta rite procurassent,

[o] *Quasi belli indictio magis in significatione ab hostibus facta versaretur, quam in ipsorum Cæritum actibus hostilibus.*
[p] *Quantum supra vires suas, &c.*

16 Vulg. *mitteretur.*—17 *Deinde* Gronov. Doujat. Crevier.
18 'Verba *ad bellum significandum* mihi glossam sapere, et ex interpretatione in textum irrepsisse videntur.' *Doering.*—19 Vet. lib. apud Sigon. *etiam verus belli terror invasit.*

NOTÆ

ciæ civitate, et Cæritibus, antea.

[e] *T. Manlium L. filium*] Torquatum scilicet. Notat Glarean. dictatorem dictum præter morem, qui consul non fuisset; nisi an. 398. pro *Cn. Manlio* legendum sit *T. Manlio*, ut ipse suspicatur. Miratur idem cur creandus dictator visus fuerit in re non ita periculosa, cum eximium par consulum in magistratu esset, per quorum utrumque plebi ereptus fuisset biennio ante consulatus; Sulpicius jam dictator bello Gallico triumphasset.

ut Romanos florentes ea sui misericordia caperet, quæ se rebus affectis quondam populi Romani cepisset; conversique ad delubra Vestæ, hospitium flaminum Vestaliumque ab se caste ac religiose cultum invocabant. 'Eane meritos, crederet quisquam, hostes repente sine causa factos? aut, si quid hostiliter fecissent, consilio id magis, quam furore lapsos, fecisse, ut sua vetera beneficia, locata præsertim apud tam gratos, novis corrumperent maleficiis? florentemque populum Romanum ac felicissimum bello sibi desumerent hostem, cujus afflicti amicitiam cepissent? Ne appellarent consilium, quæ vis ac necessitas appellanda esset. Transeuntes agmine infesto per agrum suum Tarquinienses, cum præter viam nihil petissent,[f] traxisse quosdam agrestium, populationis ejus, quæ sibi crimini detur, comites. Eos, seu dedi placeat, dedere se paratos esse; seu supplicio affici, daturos pœnas. Cære, sacrarium populi Romani, deversorium sacerdotum, ac receptaculum Romanorum sacrorum, intactum inviolatumque crimine belli, hospitio Vestalium cultisque Diis darent.' Movit populum non tam causa præsens, quam vetus meritum, ut maleficii, quam beneficii, potius immemores essent. Itaque pax populo Cæriti data, induciasque in centum annos factas in senatus consultum referri placuit. In Faliscos, eodem noxios crimine, vis belli conversa est: sed hostes nusquam inventi. Cum populatione peragrati fines essent, ab oppugnatione urbium temperatum: legionibusque Romam reductis, reliquum anni muris turribusque reficiendis consumtum, et ædes Apollinis dedicata est.

21. Extremo anno comitia consularia certamen Patrum ac plebis diremit, tribunis negantibus passuros comitia haberi, ni secundum Liciniam legem haberentur; dictatore obstinato tollere potius totum e re publica consulatum, quam promiscuum Patribus ac plebi facere. Prolatandis

NOTÆ

[f] *Cum præter viam nihil petissent*] Innoxium iter petitum significatur, et Tarquiniensibus concessum per Cæritum agrum: sed eo itinere in agrum Romanum hostiliter vastandum ibatur.

igitur comitiis,[g] cum dictator magistratu abisset, res ad interregnum rediit. Infestam inde Patribus plebem interreges cum accepissent,[q] ad undecimum interregem seditionibus certatum est. Legis Liciniæ patrocinium tribuni jactabant. Propior dolor plebi[h] fœneris ingravescentis erat: curæque privatæ in certaminibus publicis erumpebant. Quorum tædio Patres L. Cornelium Scipionem interregem concordiæ causa observare legem Liciniam comitiis consularibus jussere. P. Valerio Publicolæ datus e plebe collega C. Marcius Rutulus.* Inclinatis semel in concordiam animis, novi consules, fœnebrem quoque rem, quæ distinere unanimos videbatur,[r] levare aggressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt; quinqueviris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniæ appellarunt.[i] Meriti æquitate curaque sunt, ut per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent.

[q] *Cum itaque interreges invenissent plebeios Patribus infensos.*
[r] *Quæ patricios et plebeios, cetera concordes, videbatur distrahere.*

NOTÆ

[g] *Prolatandis igitur comitiis*] Dictator, ut comitia consularia differret, quæ adhuc nonnisi a summo et patricio magistratu haberi fas erat, ejuravit dictaturam. Aberant autem ab urbe consules bellis distenti. Idcirco eundum fuit ad interregnum.

[h] *Propior dolor plebi*] *Propior* sumitur pro ea re quæ conjunctior et arctius tangit. Quomodo apud Cic. pro Sext. 'Omnibus sua propiora esse pericula, quam aliena.'

* A. U. C. 401.

[i] *Quos mensarios .... appellarunt*] Inter hos mensarios et argentarios plurimum interfuisse censet Sigon. lib. II. de jure civium Romanorum, c. 11. a Godel. laudatus: quod hi mensarii publicam rationem conficerent, argentarii privatam; illi rei nummariæ publicæ, hi negotiationis privatæ, curatores essent. Quod verum quidem est de his mensariis, qui nunc creati dicuntur apud Livium. In genere tamen mensa duplex fuit, publica et privata. Qui mensas privatas curabant, ipsi quoque mensarii, et Græce trapezitæ eadem significatione, et collybistæ a permutatione pecuniæ atque intertrimento, Latine nummularii et argentarii dicebantur, quod nempe argentariam mensam exercerent, id est, depositam apud se privatorum pecuniam servarent, ubi opus esset numeraturi mandato domini: et horum scriptura fiebant, quas literarum obligationes appellabant. Per eos quippe credebantur pecuniæ, iique sive pro se, sive pro aliis se soluturos recipiebant: ideoque actus sui rationes diligentes conficere debebant, quibus ultro citroque dandi, accipiendi, credendi, obligandi causa, negotiatio continebatur.

Fuere autem C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius, et Ti. Æmilius; qui rem, difficillimam tractatu, et plerumque parti utrique, semper certe alteri, gravem, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quam jactura,[s] sustinuerunt. Tarda enim nomina,[20 k] et impeditiora inertia debitorum, quam facultatibus, aut ærarium, mensis cum ære in foro positis, dissolvit, ut populo prius caveretur,[1] aut æstimatio æquis rerum pretiis liberavit; ut non modo sine injuria, sed etiam sine querimoniis partis utriusque, exhausta vis ingens æris alieni sit. Terror inde vanus belli Etrusci, cum conjurasse duodecim populos[m] fama esset, dictatorem dici coëgit. Dictus in castris (eo enim ad consules missum senatus consultum est) C. Julius, cui magister equitum adjectus L. Æmilius.[1] Ceterum foris tranquilla omnia fuere.

22. Tentatum domi per dictatorem, ut ambo patricii consules crearentur,[2] rem ad interregnum perduxit.[n] Duo interreges C. Sulpicius et M. Fabius interpositi obtinuere, quod dictator frustra tetenderat, mitiore jam plebe ob recens meritum levati æris alieni, ut ambo patricii consules

[s] *Potius impensa ex ærario anticipata quam damnoso exitu.*

20 'Duo Mss. Pall. *Tarda enim nominum:* quod non temere ausim damnare.' *J. F. Gronov.*—1 Vet. lib. ap. Sigon. *magister equitum ei adjectus est L. Æmilius.*

2 'Verba *ut ambo patricii consules crearentur* ab interpolatore, ea repetente,

NOTÆ

[k] *Tarda enim nomina*] Id est, quæ tardius solvebantur per negligentiam debitorum potius quam ob eorum egestatem, et inspecta illorum re familiari non ægre poterant expediri.

[1] *Ut populo prius caveretur*] *Ut*, id est, ea lege ut. Imitatus hanc publicam liberalitatem Tiberius apud Tacitum, l. VI. 'Disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cavisset.'

[m] *Conjurasse duodecim populos*] Totam Etruriam, quæ in tot populos distincta, ut sæpius observatum.

[n] *Rem ad interregnum perduxit*] Quid ita, cum consules essent P. Valerius et C. Marcius, per quos, dictatore abdicante, haberi consularia comitia poterant? Nisi jam consules magistratu abierant, cum dictatura se abdicavit C. Julius, quod suadet verbum *perduxit*.

crearentur. Creati ipse C. Sulpicius Peticus,* qui prior interregno abiit, et T. Quintius Pennus. Quidam Kæsonem, alii Caium nomen Quintio adjiciunt.[3] Ad bellum ambo profecti, Faliscum Quintius, Sulpicius Tarquiniense, nusquam acie congresso hoste, cum agris magis, quam cum hominibus, urendo populandoque gesserunt bella: cujus lentæ velut tabis[t] senio victa utriusque pertinacia populi est, ut primum a consulibus, dein permissu eorum ab senatu inducias peterent. In quadraginta annos impetraverunt. Ita, posita duorum bellorum, quæ imminebant, cura, dum aliqua ab armis quies esset, quia solutio æris alieni multarum rerum mutaverat dominos, censum agi placuit. Ceterum cum censoribus creandis indicta comitia essent, professus censuram se petere C. Marcius Rutilus, qui primus dictator de plebe fuerat, concordiam ordinum turbavit. Quod videbatur quidem tempore alieno fecisse; quia ambo tum forte patricii consules erant, qui rationem ejus se habituros negabant. Sed et ipse constantia inceptum obtinuit, et tribuni, omni vi recuperando jus consularibus comitiis amissum, adjuverunt; et cum ipsius viri majestas nullius honoris fastigium non æquabat, tum per eundem, qui ad dictaturam aperuisset viam, censuram[4] quoque in partem vocari° plebes volebat. Nec variatum comitiis est,

[t] *Cujus incommodi, tanquam longi segnisque languoris diuturnitate.*

profecta videntur.' *Rupert.*—3 'In antiquis libris legitur, *quidam Cæsonem, alii cognomen Quintio adjiciunt:* quæ lectio vestigia germanæ lectionis ostendit; quæ est: *alii C. nomen Quintio adjiciunt.* Depravatum est enim *C. nomen*, mutatumque primum in *conomen*, post in *cognomen*. *Nomen* autem et prænomini et cognomini congruit.' *Sigon.*—4 Conj. J. F. Gronov. *censuræ.*

NOTÆ

* A. U. C. 402.

° *Censuram quoque in partem vocari*] Legi forte non incommode posset *censuræ quoque in partem vocari*, plebem nimirum, de qua hic sermo. Verum elegantior vulgata lectio. Et proprie quidem personæ in partem vocari dicuntur, cum eis pars bonorum, hæreditatis, aut rerum quarumvis assignatur. Sed et figurate dicitur de rebus, ut hoc loco: estque revocare ad divisionem tanquam rem quæ communis esset plebeiis et patriciis, quo plures alicujus rei participes fiant. Nam et inanimata vocare dicimur ad aliquid, id est, trahere,

quin cum Manlio Cnæo[5] [p] censor Marcius crearetur. Dictatorem quoque hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, sed ne Licinia lex [q] comitiis consularibus observaretur. Magister equitum dictatori additus Q. Servilius. Nec tamen dictatura potentiorem eum consensum Patrum consularibus comitiis fecit, quam censoriis fuerat.

23. M. Popillius Lænas a plebe consul,[6] a Patribus L. Cornelius Scipio datus.* Fortuna quoque illustriorem plebeium consulem fecit. Nam cum ingentem Gallorum exercitum in agro Latino castra posuisse nuntiatum esset; Scipione gravi morbo implicito, Gallicum bellum Popillio extra ordinem datum.[r] Is, impigre exercitu scripto, cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire armatos[s] juniores jussisset, signaque eodem quæstores [t]

—5 Vulg. *Nævio.*

NOTÆ

adducere, impellere. Cic. II. Catil. 'Vitam omnium, Italiamque totam, ad exitium vastitatemque vocas.' Alio sensu dicitur vocari quis ad partes: apud Juvenal. 'Ecce iterum Crispinus, et est mihi sæpe vocandus ad partes.' Hoc est, producendus in scenam, ad partes et personam sustinendam, quemadmodum actores, quorum alii primarum, alii secundarum partium.

p *Cum Manlio Cnæo*] Alias, *Manlio Nævio:* rectum erat, *cum Cneio Manlio;* sed hæc et Noster et Tacitus sæpe invertunt. Est igitur idem Manlius Imperiosus, qui antea consul fuerat. Certe, cum constet *Marcium* primum e plebe censorem factum, non est quod ambigamus, quin Manlius hic ejus collega patricius fuerit: ut enim observat Sigon. sero admodum factum est, ut ambo censores e plebe crearentur.

q *Sed ne Licinia lex*] Significat M. Fabium non rei gerendæ, sed habendorum comitiorum causa creatum dictatorem; ne in comitiis servata lege Licinii Stolonis (de qua lib. VI.) consulum alter e plebe fieret; sed ambo e patriciis crearentur veteri more. Verum frustra fuit hoc patrum inventum.

* A. U. C. 403.

r *Extra ordinem datum*] Sine sortitione et comparatione, quem morem servari collegæ morbus non patiebatur.

s *Convenire armatos*] Eo tempore, quo delectus fiebat, proponebatur belli signum ex arce, sive potius signa, ut Dionys. lib. VIII. narrat. Quod Servius in VIII. Æneid. fieri solitum in tumultu, ut sc. duplex vexillum proponeretur, russeum ad pedites, cœruleum ad equites convocandos. Et nisi res urgeret, justi dies triginta servabantur, cum exercitus imperatus, et vexillum in arce propositum esset, auctore Festo. Fiebat autem delectus in Capitolio: nec nisi post triginta dies exercitus educebatur. At in re subita, statim

ex ærario deferre, quatuor expletis legionibus, quod superfuit militum, P. Valerio Publicolæ prætori tradidit; auctor Patribus scribendi alterius exercitus, quod ad incertos belli eventus subsidium rei publicæ esset. Ipse, jam satis omnibus instructis comparatisque, ad hostem pergit. Cujus ut prius nosceret vires, quam periculo ultimo tentaret; in tumulo, quem proximum castris Gallorum capere potuit, vallum ducere cœpit. Gens ferox et ingenii avidi ad pugnam, cum, procul visis Romanorum signis, ut extemplo prælium initura, explicuisset aciem; postquam neque in æquum demitti[7] agmen vidit, et cum loci altitudine, tum vallo etiam integi[8] Romanos, perculsos pavore rata, simul opportuniores, quod intenti tum maxime operi essent, truci clamore aggreditur. Ab Romanis nec opus intermissum, (triarii erant,[u] qui muniebant,) et ab hastatis principibusque, qui pro munitoribus intenti armatique steterant, prælium initum. Præter virtutem locus quoque superior adjuvit, ut pila omnia hastæque non, tanquam ex æquo missa, vana (quod plerumque fit) caderent, sed omnia librata ponderibus figerentur;[x] oneratique telis Galli, quibus aut corpora transfixa aut prægravata inhærentibus gerebant scuta, cum cursu pæne in adversum sub-

6 Adjiciendum censet Glareanus *tertium*.—7 Vulg. *dimitti*.—8 *Tegi* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

delectus, et a delectu statim in hostes ibatur. Hac nunc de causa non in Capitolium, sed ad portam Capenam hosti propiorem convenire jussi.

[t] *Signaque eodem quæstores*] Rebus pacatis in ærario aquilæ, aliaque signa militaria, servari solita.

[u] *Triarii erant*] De triariis, principibus, hastatis fuse agendum erit l. VIII.

[x] *Omnia librata ponderibus figerentur*] Q. Claudius Quadrigarius apud A. Gell. lib. IX. cap. 1. censebat telum non posse deorsum versum recte mitti, sed sursum optime. Quod ita ibi Antonius Julianus Rhetor explicat, ut facilior quidem jactus sit e loco superiore in prona; directio tamen pondere cadentis teli corrumpatur. Magius antem lib. II. Miscellan. cap. 16. Livium et Tacitum, aliter sentientes, cum Quadrigario conciliat, distinctione: ait enim aliam sagittæ ac lapidis, aliam pili hastæque rationem esse: eorum enim, quæ citra machinæ, vel arcus, aut fundæ adjumentum jaciantur, faciliorem certioremque ex edito jaculationem; quæ tormentis emittantur, eorum directiores gravioresque ex inferioribus in superna ictus esse.

issent, primo incerti restitere;[u] dein, cum ipsa cunctatio et his animos minuisset, et auxisset hosti, impulsi retro ruere alii super alios, stragemque inter se cæde ipsa fœdiorem dare. Adeo præcipiti turba obtriti plures, quam ferro necati.

24. Necdum certa Romanis victoria erat. Alia in campum degressis[9] supererat moles. Namque multitudo Gallorum, sensum omnem talis damni exsuperans, velut nova rursus exoriente acie, integrum militem adversus victorem hostem ciebat. Stetitque suppresso impetu Romanus, et quia iterum fessis subeunda dimicatio erat, et quod consul, dum inter primores incautus agitat, lævo humero matari[10] prope trajecto,[y] cesserat parumper ex acie. Jamque omissa cunctando victoria erat, cum consul, vulnere alligato,[z] revectus ad prima signa, 'Quid stas, miles?' inquit. 'Non cum Latino Sabinoque hoste res est, quem victum armis socium ex hoste facias. In belluas strinximus ferrum. Hauriendus, aut dandus est sanguis. Propulistis a castris,[11] supina valle[x] præcipites egistis, stratis corporibus hostium superstatis. Complete eadem strage campos, qua montes replestis. Nolite expectare, dum stantes vos fugiant.[y] Inferenda sunt signa, et vadendum in hostem.'

[u] *Dubii an ultra progrediendum esset, manserunt in clivo.*
[x] *Per declive, qua collis in vallem desinit.*
[y] *Non est vobis sperandum, ut a vobis aufugiant, quamdiu hic segnes stabitis.*

9 Vulg. *digressis.*—10 Alii legendum monent *materi.*—11 Vulg. *Pepulistis*

NOTÆ

[y] *Matari prope trajecto*] Jaculi genus ex Strab. est *materis,* (sic enim legendum pro *matari,*) quod Gallis velut proprium telum tribuitur, lancea brevius. Sisenna vetus scriptor apud Nonium, 'Galli materibus, Suevi lanceis configunt.' Auctor lib. ad Herenn. lib. IV. 'Nec tam facile ex Italia materis Transalpina depulsa est.' Mansere nominis vestigia in sagittis capitatis, ac longioribus, quæ vulgo *materas.*

Matari] Hinc, apud Gallos, ante inventum pyrii pulveris usum, Matras vocabatur sagitta Arcubalistæ. Vide viri doctiss. Æg. Menagii Origines Gallicas. *J. Clericus.*

[z] *Vulnere alligato*] Tritum hodie magis 'obligare vulnus.' Non tamen minus elegans 'alligare,' Gronov. demonstrat ex Cic. Sen. Plin. Just. Ita II. Tusculan. Quæst. 'Quiesce igitur, et vulnus alliga.'

His adhortationibus iterum coorti pellunt loco primos manipulos Gallorum; cuneis deinde[a] in[12] medium agmen perrumpunt. Inde barbari dissipati, quibus nec certa imperia, nec duces essent, vertunt impetum in suos;[b] fusique per campos, et præter castra etiam sua fuga prælati, quod editissimum inter æquales tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petunt. Consul, non ultra castra insecutus, (quia et vulnus degravabat,[c] et subjicere exercitum pugna fessum tumulis ab hoste occupatis nolebat,) præda[13] omni castrorum militi data, victorem exercitum opulentumque Gallicis spoliis Romam reduxit. Moram triumpho vulnus consulis attulit. Eademque causa dictatoris desiderium senatui fecit, ut esset, qui ægris consulibus comitia haberet. Dictator L. Furius Camillus dictus, addito magistro equitum P. Cornelio Scipione, reddidit patribus possessionem pristinam consulatus.[d] Ipse ob id meritum ingenti Patrum studio creatus consul, collegam Ap. Claudium[14] Crassum dixit.

25. Prius quam inirent novi consules magistratum, tri-

a castris.—12 Τὸ *in* forte delendum censet Duk.—13 Sublata parenthesi in Gronov. Doujat. et Crevier. legitur: *pugna fessum novo labori nolebat, a persequendo hoste continuit, tumulis ab hoste occupatis. Præda, &c.* Vid. Not. Var. —14 Legendum monet Sigon. *P. Claudium.*

NOTÆ

[a] *Cuneis deinde*] Cuneus est agminis forma, in cunei seu trigoni modum. Veget. sic describit lib. II. cap. 19. 'Multitudo peditum, quæ primo angustior, deinde latior procedit, et adversariorum ordines rumpit: quam rem milites caput porcinum appellant.'

[b] *Vertunt impetum in suos*] Primi enim, in fugam conversi, ruebant præcipites in eos, qui prius a tergo, nunc fugientibus obstabant.

[c] *Quia et vulnus degravabat*] Totum hunc locum male affectum ex editione Tarvisina esse metuit Gronov. eumque ex melioribus libris sic refingit: *Consul non ultra castra insecutus, (quia et vulnus degravabat, et subjicere exercitum tumulis ab hoste occupatis nolebat) præda omni castrorum militi data, victorem exercitum, opulentumque Gallorum spoliis Romam reduxit.* Hæc ipsi lectio magis Liviana videtur: ceterum sensus parum diversus.

[d] *Reddidit patribus possessionem pristinam consulatus*] Hic dictator L. Furius Camillus, M. Fabio constantior ant pertinacior, adversus legem Liciniam, in comitiis consularibus, nullius plebeii rationem haberi passus, pervicit ut ambo consules crearentur e numero patriciorum.

umphus a Popillio de Gallis actus magno favore plebis: mussantesque inter se rogitabant, 'num quem plebeii consulis pœniteret?' Simul dictatorem increpabant, qui legis Liciniæ spretæ mercedem consulatum,[15] privata cupiditate, quam publica injuria, fœdiorem, cepisset, ut se ipse consulem dictator crearet. Annus* multis variisque motibus fuit insignis. Galli ex Albanis montibus, quia hyemis vim pati nequiverant, per campos maritimaque loca vagi populabantur. Mare infestum classibus Græcorum[e] erat, oraque littoris Antiatis, Laurensque tractus, et Tiberis ostia; ut prædones maritimi, cum terrestribus congressi, ancipiti semel prælio decertarint, dubiique discesserint in castra Galli, Græci retro ad naves, victos se, an victores, putarent. Inter hos[16] longe maximus extitit terror, concilia populorum Latinorum ad lucum Ferentinæ[f] habita: responsumque haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum, 'absisterent imperare iis, quorum auxilio egerent. Latinos pro sua libertate potius, quam pro alieno imperio, laturos arma.' Inter duo simul bella externa, defectione etiam sociorum senatus anxius, cum cerneret metu tenendos, quos fides non tenuisset, extendere omnes imperii vires consules delectu habendo jussit. Civili quippe standum exercitu esse,[g] quando socialis cœtus[h] desereret.[17] Undi-

15 'Vocem *consulatum* importunam et glossam esse, recte, opinor, suspicatur Doering.' *Rupert.*—16 *Inter hæc* Gronov. Doujat. Crevier.—17 Emen-

NOTÆ

* A. U. C. 404.

[e] *Classibus Græcorum*] Vide infra cap. 26.

[f] *Ad lucum Ferentinæ*] Ad caput aquæ Ferentinæ lib. I. cap. 50. ibi enim Latini solenni more gentis suæ comitia habebant.

[g] *Civili quippe standum exercitu esse*] Deficientibus sociis necesse Romanis erit ut res suas propriis viribus tueantur; et exercitu ex solis civibus conflato stent sive consistant. Potest et 'standi' verbum sumi pro contentum esse re aliqua, inhærere alicui rei: ut cum dicimus stare conventis, stare judicio alicujus: quomodo Cic. pro Cluent. 'Et uterque censor censoris opinione standum non putavit.' Quod non male sic Gallice expresseris: *il en falloit demeurer là, il se falloit tenir à une armée de citoyens seuls.*

[h] *Socialis cœtus*] Non concoquit Gron. *socialem cœtum:* exercitum enim socialem solet dicere Livius: satis commode legi posse putat, *fœdus,*

que, non urbana tantum, sed etiam agresti juventute, decem legiones scriptæ dicuntur quaternum millium et ducenorum peditum,[i] equitumque trecenorum. Quem nunc novum exercitum,[k] si qua externa vis ingruat, hæ vires populi Romani, quas vix terrarum capit orbis, contractæ in unum † haud facile efficiant: adeo, in quæ laboramus sola, crevimus, divitias luxuriamque.[z] Inter cetera tristia ejus anni, consul alter Ap. Claudius in ipso belli apparatu moritur: redierantque res ad Camillum; cui unico consuli, vel ob aliam dignationem haud subjiciendam dictaturæ, vel ob

[z] *Ita iis tantum rebus aucti sumus, et florentes evasimus, in quas enixe jamdiu incumbimus.*

NOTÆ

pro *cœtus:* ita *civili standum exercitu esse, quando socialis fœdus desereret.* Nempe socialis exercitus. Aliud tamen vult Auctor mea sententia: neque enim *cœtus* nomine exercitum intelligit, qui, cum nullus esset, deserere non poterat. *Socialis cœtus* est concilium sociorum, ipsa nempe Latinorum comitia: ab his enim deserebantur Romani: apud M. certe Senecam, citante ipso Gronovio, 'Cœtus est multitudinis magnæ nomen coëuntis ex consensu quodam.' Livius lib. IV. c. 13. 'Quod eas largitiones cœtusque plebis privata in domo passi essent fieri.' Cic. de Somn. Scip. 'Concilia et cœtus hominum jure sociati.'

[i] *Quaternum millium et ducenorum peditum*] Variavit pro diversis temporibus militum in legionem scriptorum numerus. Consuetus numerus, ex Polybio, et Nostro hic, quatuor millium ac ducentorum peditum fuit; qui, rotundiore numero, quater milleni vocabantur: unde quadrata legio dicta ex Festo. A Livio lib. VIII. cap. 8. Quinum millium fuisse memorantur sub T. Manlio, pariqne numero lib. XXVI. postea etiam senum millium et ducenorum, quod secutus est C. Marius. In equitum numero minus variatum.

[k] *Quem nunc novum exercitum*] Adeone contractæ sub Augusti tempora Romanorum vires, ut legiones decem, id est, peditum duo et quadraginta, equitum tria millia vix efficere possent? At Augustum tres, aut secundum alios quinque supra viginti legiones habuisse Dio refert lib. LV. et viginti quinque sub Tiberio quoque numerat Tacit. IV. Annal. præter urbanas et prætorias cohortes. Verum Livius de scribendo in re subita exercitu agit, idque ex urbe aut suburbano agro: illi de copiis longo tempore atque ex universo imperio collectis.

† *Contractæ in unum, &c.*] Atqui C. Julius Cæsar in Gallia bellum cum decem, ac duodecim etiam legionibus, senum millium virorum, bellum gessit, ut omnes norunt; dum essent etiam alii exercitus, quamvis non tanti, in aliis provinciis; sed sub Augusto legiones viginti tres, aut viginti quinque fuere, ut observat Dio Hist. lib. LV. Vide Just. Lips. in Analectis Rei Milit. Oper. t. III. p. 237. et seqq. Itaque quæ hic habet Livius sunt hyperbolica. *J. Clericus.*

omen faustum[1] ad Gallicum tumultum cognominis,[18] dictatorem arrogari [19 m] haud satis decorum visum est Patribus.[a] Consul, duabus legionibus Urbi præpositis, octo cum L. Pinario prætore divisis, memor paternæ virtutis, Gallicum sibi bellum extra sortem [n] sumit: prætorem maritimam oram tutari, Græcosque arcere littoribus jussit; et, cum in agrum Pomptinum descendisset, (quia neque in campis congredi nulla cogente re volebat, et prohibendo populationibus, quos rapto vivere necessitas cogeret, satis domari credebat hostem,) locum idoneum stativis delegit.

26. Ubi cum stationibus quieti tempus tererent, Gallus processit, magnitudine atque armis insignis; quatiensque scutum hasta, cum silentium fecisset, provocat per interpretem [o] unum ex Romanis, qui secum ferro decernat. M.

[a] *Cui soli jam consuli adjici, et quasi imponi dictatorem, senatus minus honestum censuit, tum ob dignitatem quæ homini aliunde quam ex consulatu inerat, nec videbatur dictaturæ summittenda, tum ob cognominis (Camilli) faustum ad bellum Gallicum omen.*

dat J. F. Gronov. *fœdus desereret.*—18 Vid. Not. inf.—19 Conj. J. F. Gronov. *irrogari.*

NOTÆ

[1] *Vel ob omen faustum*] Quærit hic Gronov. an nomen Furius minus faustum præberet omen adversus Gallos quam cognomen Camillus: malletque, si adjutaret codex, *vel ob nomen fausti ad Gallicum tumultum ominis;* vel *ob omen faustum ad Gallicum tumullum nominis.* Mihi satis utrumvis horum arrideret. Sed tamen verum est, Camilli cognomine, magis quam Furii nomine, inclaruisse hujus patrem.

[m] *Dictatorem arrogari*] Gronov. scriptum a Livio conjicit *irrogari:* quia non tam adjungebatur, quam imponebatur consuli dictator. Ego legem, mulctam, mortem etiam irrogari video: hominem homini irrogari, nec me legere memini; ac ne figurate quidem, nisi dura admodum metaphora, dici posse arbitror. Arrogari autem tam de personis, quam de rebus dicitur. Et arrogari dicimus patremfamilias, cum in filium asciscitur: quia id lege seu rogatione olim fiebat. Qua ratione arrogari dictatorem dixeris eum, qui consuli jam suffragiis et rogatione populi constituto adjiciatur nova rogatione.

[n] *Extra sortem*] Neque enim collega supererat, cum quo sortiretur.

[o] *Provocat per interpretem*] Hic Gallus per interpretem loquitur, inquit Glar. at qui cum T. Manlio pugnavit, Latine scilicet scivit. Si Herodotus talia scripsisset, quam clamasset Juvenalis, 'et quicquid Græcia mendax Audet in historia!' Hunc quoque ducem Gallorum nominat Gellius, quod de aliquo minorum ducum accipiendum.

erat Valerius tribunus militum,[p] adolescens, qui haud indigniorem eo decore se, quam T. Manlium, ratus, prius sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne[20] certamen humanum numine interposito Deorum factum. Namque conserenti jam manum Romano corvus repente in galea consedit, in hostem versus: quod primo, ut augurium cœlo missum, lætus accepit tribunus. Precatus deinde, 'Si Divus, si Diva esset, qui sibi præpetem misisset, volens propitius adesset.' Dictu mirabile,[†] tenuit non solum ales captam semel sedem, sed, quotiescumque certamen initum est,[b] levans se alis, os oculosque hostis rostro et unguibus appetiit; donec territum prodigii talis visu, oculisque simul ac mente turbatum, Valerius obtruncat. Corvus e conspectu elatus[1] orientem petit. Hactenus quietæ utrimque stationes fuere. Postquam spoliare corpus cæsi hostis tribunus cœpit, nec Galli se statione tenuerunt, et Romanorum cursus ad victorem etiam ocyor fuit. Ibi, circa jacentis Galli corpus contracto certamine, pugna atrox concitatur. Jam non manipulis proximarum stationum, sed legionibus utrimque effusis res geritur. Camillus lætum militem victoria tribuni, lætum tam præsentibus ac secundis Diis, ire in prælium jubet; ostentansque insignem spoliis tribunum, 'Hunc imitare, miles,' aiebat, 'et circa jacentem ducem sterne Gallorum catervas.' Dii hominesque illi affuere pugnæ; depugnatumque haudquaquam certamine ambiguo cum Gallis est: adeo duorum militum eventum, inter quos pug-

[b] *Quoties collato pede congressi sunt.*

20 Pro *Minus insigne* malit Doering. *Magis insigne.*—1 Conj. J. F. Gro-

NOTÆ

[p] *M. erat Valerius tribunus militum*] Atnepos M. Valerii Volusi dictatoris, et nunc tribunus militum legionis, non consulari potestate. Flor. perperam *Lucium* vocat pro *Marco.* Hoc ejus certamen, et corvinum auxilium, describit veteris, ut videtur, scriptoris stylo A. Gell. IX. 11.

[†] *Dictu mirabile*] At mirabilius est Livium nulla re significasse se ejusmodi fabulæ fidem non habere; quod in tam gravi historia par fuit. *J. Clericus.*

natum erat, utraque acies animis perceperat.[2 q] Inter primos, quorum concursus alios exciverat, atrox prælium fuit: alia multitudo, priusquam ad conjectum teli veniret, terga vertit. Primo per Volscos Falernumque agrum [r] dissipati sunt: inde Apuliam ac mare inferum [3 s] petierunt. Consul, concione advocata, laudatum tribunum decem bubus [4] aureaque corona donat. Ipse, jussus ab senatu bellum maritimum curare, cum prætore junxit castra. Ibi, quia res trahi segnitia Græcorum non committentium se in aciem videbantur,[5] dictatorem comitiorum causa T. Manlium Torquatum ex auctoritate senatus dixit. Dictator, magistro equitum A. Cornelio Cosso dicto, comitia consularia habuit, æmulumque decoris sui absentem M. Valerium Corvum,[6 t]

nov. *ablatus*.—2 'In melioribus libris legitur *præceperat*, prob. Stroth.' *Rupert.* Vid. Not. Var.—3 '*Superum. Inferum* Gronov. Drak. ae longe maxima pars Mss. et Edd. perperam.' *Stroth.* *Superum* dant Doujat. Crevier.—4 *Bobus* Gronov. Doujat. Crevier.—5 *Videbatur* iid.—6 Vulg. *Corvinum*.—

NOTÆ

q *Utraque acies animis perceperat*] Negat Gronov. convenire huic loco verbum *præcipere*: quod est, antecapere, præsumere. Hic enim non agitur de statu animorum, ante singulare illud certamen, sed de prælio inter exercitus commisso post Gallum a Valerio prostratum. Reponit ergo ex editionibus Aldi et Juntæ *perceperat*: docetque, exemplis ex Plauto, Terentio, Lucretio adductis, eam esse vim τοῦ 'percipere,' ut significet, penitus capere, et quasi imbibere. Sed non video quid obstet quin *præcipiendi* verbum Auctoris menti congruat: licet enim ante duorum pugnam nec Romanorum erecti, nec Gallorum animi demissi fuerint; potuere, ex eventu singularis illius pugnæ capto omine, successum prælii, mox inter utrumque exercitum committendi, animo *præcipere*.

r *Falernumque agrum*] Ager Falernus, ex quo vinum celebratissimum apud veteres Romanos, (nunc *vino Razzese*,) in aditu Campaniæ est ultra Lirim, ultra Massicum montem, quem nonnulli Falernum quoque vocant, inter Savonem maxime amnem, et Vulturnum fluvium; interque Cales ad septemtrionem, ac Sinuessam ad meridiem, Capuæ ad occasum.

s *Ac mare inferum* [*superum*] Mare inferum est Tyrrhenum, sive Tuscum, quo Volscus et Falernus agri alluuntur. At eo non pertinet Apulia, supero sive Hadriatico sinui extremo imminens. Non abs re itaque Glar. eos reprehendit qui pro *superum* emendarunt *inferum*, vel potius corruperunt: eique adhæret merito Sigon.

t *M. Valerium Corvum*] Sigon. ita pro *Corvino* scribi jubet ex Tabulis Capitolinis, et plerisque veteribus libris. Ratio quam addit, parum me

(id enim illi deinde cognominis fuit,) summo favore populi, tres et viginti natum annos, consulem renuntiavit.[7] Collega Corvo de plebe M. Popillius Lænas quartum consul futurus datus est.* Cum Græcis a Camillo nulla memorabilis gesta res: nec illi terra, nec Romanus mari bellator erat. Postremo, cum littoribus arcerentur, aqua etiam præter cetera necessaria usui deficiente, Italiam reliquere. Cujus populi ea, cujusque gentis classis fuerit, nihil certi est. Maxime Siciliæ fuisse tyrannos[u] crediderim. Nam ulterior Græcia,[x] ea tempestate intestino fessa bello, jam Macedonum opes horrebat.[y]

7 Quidam *pronuntiavit.*

NOTÆ

movet: 'ut enim,' inquit, 'Albus, Rufus, Crassus, Luscus, Longus, cognomina primum inventa sunt, post autem Albinus, Rufinus, &c. subsecuta, sic qui primus cognomen hoc tulit, Corvus, posteri Corvini appellati sunt.' Longe diversa est horum ratio. Nam hominem Album a colore, Longum a statura cognominari vulgare est; nec aliter ea res exprimi potest; ut autem homo Corvus appelletur, extra usum omnino. Magis moveor auctoritate, tum librorum, (siquidem ex vero proferatur,) tum Valerii Max. qui de hoc ipso tribuno sic scribit lib. VIII. cap. 13. 'M. Valerius Corvus centesimum annum complevit: cujus inter primum et sextum consulatum quadraginta septem anni intercesserunt. Suffecitque integris viribus corporis non solum speciosissimis reip. ministeriis, sed etiam exactissimæ agrorum culturæ: et civis et patris familias optabile exemplum.'

* A. U. C. 405.

u *Siciliæ fuisse tyrannos*] Veretur Sigon. ne ea classis Timoleontis Corinthii fuerit, qui priore anno Dionysium Syracusanum regno ejecit, legesque Siciliæ dedit, ut scribit Diod. lib. XVI. Idem tamen Diodor. Postumii tyranni prædonis, aliorumque meminit, qui a Timoleonte sublati.

x *Ulterior Græcia*] Duplex fuit Græcia in Europa: altera ultra Hadriaticum et Ionium mare, quæ vere et proprie Græcia; altera in Italiæ parte, magna Græcia dicta, atque in vicina Sicilia, quas regiones Pelasgi aliique Græci coloniis suis occupaverant. Illa ulterior, hæc Romanis propior et citerior dici potuit.

y *Macedonum opes horrebat*] Jam enim Philippus Alexandri Magni pater, XV. ferme annum regnabat; atque hoc ipso tempore, Phocensibus excisis, Olynthum expugnabat, Atheniensium urbem, in Macedoniæ Thraciæque confinio: cujus urbis oppugnatio causam præbuit Olynthiacis Demosthenis Orationibus.

Macedonum opes] Bellum Philippo indixerunt Athenienses Olymp. 108. anno 3. qui in hunc partim incidebat, ut docet Dodwellus in Chronol. Dionys. *J. Clericus.*

27. Exercitibus dimissis, cum et foris pax et domi concordia ordinum otium esset, ne nimis lætæ res essent, pestilentia civitatem adorta coëgit senatum imperare decemviris, ut libros Sibyllinos inspicerent; eorumque monitu lectisternium fuit. Eodem anno Satricum ab Antiatibus colonia deducta, restitutaque urbs, quam Latini diruerant. Et cum Carthaginiensibus legatis[z] Romæ fœdus ictum, cum amicitiam ac societatem petentes venissent. Idem otium domi forisque mansit T. Manlio Torquato, C. Plautio consulibus: * semunciarium tantum ex unciario fœnus factum,[a] et in pensiones æquas triennii,[8 b] ita ut quarta

8 Vet. lib. apud Sigon. *in triennium.* Vid. Not. inf.

NOTÆ

[z] *Cum Carthaginiensibus legatis*] Prisci senis syllabis *Carthaginienses* dixere, formato nomine ex gignendi casu, abjecta ultima litera. Posteri *Carthaginenses* quoque dixerunt, a Carthagine, quæ urbs Africæ facile princeps, ab Elisa, seu Didone, Tyria, Pygmalionis regis sorore, 65. annis ante Romam ex Velleio, vel 72. ex Justino in littore condita, post Uticam in Africano quoque littore ab iisdem Phœnicibus statutam. Græcis Καρχηδών: incolis lingua sua Punica קרתא חדת *Carthada*, sive *Cartha hadath*, id est, civitas nova. Hodie in ruinis jacet 15. millibus ab urbe Tuneto, loco incolis *Cartin* dicto, et *Bersak* (forte a Byrsa quæ arx fuit veteris Carthaginis): quanquam montem, qui urbis mœnibus inclusus fuisse creditur, Afris seu Arabibus *Almenara*, Christianis *Roca de Mastinaces* appellari, Marmol testatur, qui de Africa hodierna scripsit. Vide lib. IV. c. 29. in fine.

* A. U. C. 406.

[a] *Semunciarium tantum ex unciario fœnus factum*] Ita ut in singulos annos pro ducentis nummis unus, pro centum dimidius præstaretur. *Demi pour cent par an.* Vide supra c. 16.

Semunciarium ex unciario] In centum asses vigesimam quartam partem assis solvebant; hoc est, ut nunc loquimur, dimidium nummum in centenos nummos quotannis. Vide J. F. Gronovium de centesimis et unciaris usuris. *J. Clericus.*

[b] *In pensiones æquas triennii*] Sigon. observat legi in veteribus libris *in triennium.* Nec aliud vel ipse, vel alii addunt, quasi in re cuivis obvia. Sed si pensiones æquæ triennii tunc sunt, cum tribus æquis per tres annos pensionibus totum debitum exhauritur, quod non aliter quam præsenti pecunia fit, quid est quod quartæ pensionis mentio fiat? Vult Auctor, revera quatuor pensionibus dissolvi jussum æs alienum; ita ut quarta cujusque debiti pars statim repræsentaretur, (hoc est enim præsens,) quartæ aliæ partes sub finem primi, secundi, ac tertii anni, omnes intra triennium, numerandæ fuerint. Qua de causa legi mallem, vel *in triennium*, vel potius *triennio:* ut scilicet æquis pensionibus triennio fieret solutio: *en quatre payemens dans trois ans.*

præsens esset, solutio æris alieni dispensata est. Et sic quoque parte plebis affecta,[c] fides tamen publica privatis difficultatibus potior ad curam senatui fuit. Levatæ maxime res, quia tributo ac delectu supersessum.[c] Tertio anno post Satricum restitutum a Volscis M. Valerius Corvus, secundum consul cum C. Pœtelio factus,* cum ex Latio nuntiatum esset, legatos ab Antio circumire populos Latinorum ad concitandum bellum; priusquam plus hostium fieret, Volscis arma inferre jussus, ad Satricum exercitu infesto pergit. Quo cum Antiates aliique Volsci præparatis jam ante, si quid ab Roma moveretur, copiis occurrissent, nulla mora inter infensos diutino odio dimicandi facta est. Volsci, ferocior ad rebellandum, quam ad bellandum, gens, certamine victi, fuga effusa Satrici mœnia petunt; et, ne in muris quidem satis firma spe, cum corona militum cincta jam scalis caperetur urbs, ad quatuor millia militum, præter multitudinem imbellem, sese dedidere. Oppidum dirutum atque incensum: ab æde tantum Matris Matutæ[d] abstinuere ignem. Præda omnis militi data. Extra prædam quatuor millia deditorum habita. Eos vinctos consul ante currum triumphans egit: venditis deinde magnam pecuniam in ærarium redegit. Sunt, qui hanc multitudinem captivam servorum fuisse scribant: idque magis verisimile est, quam deditos veniisse.

28. Hos consules secuti sunt† M. Fabius Dorso, Ser. Sulpicius Camerinus. Auruncum[e] inde bellum ab repentina populatione cœptum. Metuque, ne id factum populi unius, consilium omnis nominis Latini[f] esset, dictator vel-

[c] *Et cum ita nihilominus plebis pars afflicta esset.*

NOTÆ

[c] *Tributo ac delectu supersessum*] Quia nempe otium domi forisque mansit: delectus autem ac tributum belli causa indici solent.

* A. U. C. 407.

[d] *Matris Matutæ*] Leucotheæ, quæ ante Ino: vel potius Auroræ, quæ Leucothea, id est, Alba Dea, et Matuta, quasi Matutina. Vide supra.

† A. U. C. 408.

[e] *Auruncum*] De Auruncis ante dictum lib. II. c. 16.

[f] *Factum populi unius, consilium omnis nominis Latini*] Non tamen Latinorum veterum pars Aurunci, ac ne Volsci quidem; sed exigua Aurun-

ut adversus armatum jam Latium L. Furius creatus, magistrum equitum Cn. Manlium Capitolinum dixit. Et cum, (quod per magnos tumultus fieri solitum erat,) justitio indicto, delectus sine vacationibus[g] habitus esset; legiones, quantum maturari potuit, in Auruncos ductæ. Ibi prædonum magis, quam hostium, animi inventi. Prima itaque acie debellatum est.[9] Dictator tamen, quia et ultro bellum intulerant, et sine detrectatione se certamini offerebant, Deorum quoque opes adhibendas ratus, inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ[h] vovit: cujus damnatus voti[d] cum victor Romam revertisset, dictatura se abdicavit. Senatus duumviros[i] ad eam[10] ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari jussit. Locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat. Consules, dictatoris exercitu ad bellum Volscum usi, Soram ex hostibus,[k] incautos adorti, ceperunt. Anno post, quam vota erat, ædes Monetæ dedicatur, C. Martio Rutilo tertium, T. Manlio Torquato secundum consulibus.* Pro-

[d] *Qua re impetrata obstrictus voto præstando.*

NOTÆ

corum natio credebatur cum Latinis omnibus (quorum fuere populi minores 60.) conspirasse.

[g] *Sine vacationibus*] Ut in tumultu Gallico, cui non absimilis Italicus. Itaque nemo ab militia tunc immunis.

[h] *Junoni Monetæ*] Cum paulo ante Urbem captam terræ motus factus esset, scriptum a multis tradit Cic. lib. I. de Divin. vocem ab æde Junonis ex arce extitisse, ut sue plena procuratio fieret: quocirca Junonem appellatam Monetam, a monendo scilicet: ei nunc Junoni ædem vovet L. Furius, quæ intra annum in arce quoque est ædificata, ubi antea ædes M. Manlii. In æde Junonis hujus Monetæ servabantur libri lintei, in quibus imperii Romani fata seu monumenta continebantur: de quibus suo loco jam egimus. Ibidem cudendæ Monetæ officina. Hæc omnia in 8. postea Urbis regione, Fori scilicet Romani.

[i] *Duumviros*] Duumviri ædis sacræ locandæ, faciundæ, dedicandæ, proprius erat magistratus, eam in rem tributis comitiis creari solitus, uti ex A. Gell. liquet, lib. v. c. 17.

[k] *Soram ex hostibus*] Sora Volscorum oppidum fuit ad dextram Liris fluvii ripam, in finibus Hernicorum Marsorumque, supra Arpinam Ciceronis villam, et Fibreni confluentem. Stephani epitomatori Σαῦρα. Nomen priscum adhuc retinet, estque urbs episcopalis in aditu hodie regni Neapolitani, Ducatus titulo parens, genti *Boncompagno*.

* A. U. C. 409.

digium extemplo dedicationem secutum, simile vetusto montis Albani prodigio.* Namque et lapidibus pluit, et nox interdiu visa intendi: librisque inspectis, cum plena religione civitas esset, senatui placuit, dictatorem feriarum constituendarum causa dici. Dictus P. Valerius Publicola. Magister equitum ei Q. Fabius Ambustus datus est. Non tribus tantum supplicatum ire placuit, sed finitimos etiam populos;[e] ordoque iis, quo quisque die supplicarent, statutus. Judicia eo anno populi[11] tristia in fœneratores facta, quibus ab ædilibus dicta dies esset, traduntur. Et res, haud ulla insigni ad memoriam causa, ad interregnum rediit. Ex interregno, ut id actum videri posset, ambo patricii consules creati sunt, M. Valerius Corvus tertium, A. Cornelius Cossus.†

29. Majora jam hinc bella, et viribus hostium, et longinquitate vel regionum, vel temporum spatio,[12] [1] quibus bellatum est, dicentur. Namque eo anno adversus Samnites,[m] gentem opibus armisque validam, mota arma. Samnitium bellum, ancipiti Marte gestum, Pyrrhus hostis, Pyrrhum Pœni secuti. Quanta rerum moles![13] quoties in extrema periculorum ventum, ut in hanc magnitudinem, quæ vix sustinetur, erigi imperium posset! Belli autem causa cum Samnitibus, Romanis cum societate amicitiaque

[e] *Decretum est ut non solum a tribubus urbanis rusticisque supplicationes obirentur, sed etiam ab oppidis vicinis.*

9 *Est* del. Gronov. Doujat. Crevier.—10 Vulg. *ad eandem.*—11 Vulg. *populi Romani.*

12 Suspectum J. F. Gronov. vocabulum *spatio.* Vid. Not. inf.—13 'Sic

NOTÆ

* *Vetusto montis Albani prodigio*] Vide l. I. c. 31. et quæ illic notata. *J. Clericus.*

† A. U. C. 410.

[1] *Et longinquitate, vel regionum, vel temporum spatio*] Suspectum Gronov. vocabulum *spatio:* neque injuria; *longinquitatem* enim non minus de tempore quam de locis dici extra dubium. Itaque aut illa vox delenda, aut certe prius *vel.*

[m] *Samnites*] Ab Ausonibus, qui postea Opici, sive Osci, orti feruntur Sabini: horum soboles, Varrone ac Strabone testibus, vel (ut alii vocant) pars, Samnites, Græcis Σαμνῖται, quibusdam Σαυνῖται, qui et communi cum Sabinis nomine Sabelli vocitati. Nam et Samnites Sabinitas primum dictos, sunt qui existiment.

juncti essent, extrinsecus venit; non orta inter ipsos est. Samnites Sidicinis[n] injusta arma, quia viribus plus poterant, cum intulissent, coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, Campanis sese conjungunt. Campani[o] magis nomen ad præsidium sociorum, quam vires, cum attulissent, fluentes luxu ab duratis usu armorum in Sidicino pulsi agro, in se deinde molem omnem belli verterunt. Namque Samnites, omissis Sidicinis, ipsam arcem finitimorum Campanos adorti, unde æque facilis victoria, prædæ atque gloriæ plus esset, Tifata,[p] imminentes Capuæ[q] colles, cum præsidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet. Ibi rursus acie dimicatum: adversoque prælio Campani intra mœnia compulsi,[14] cum, robore juventutis suæ acciso, nulla propinqua spes esset, coacti sunt ab Romanis petere auxilium.

30. Legati, introducti in senatum, maxime in hanc sententiam locuti sunt: 'Populus nos Campanus[r] legatos ad vos, Patres conscripti, misit; amicitiam in perpetuum, auxilium præsens[15] a vobis petitum. Quam si secundis

Mss. non *mole.*' J. F. Gronov.—14 '*Campani intra mœnia compulsi.* Τὸ *suæ* significat aliter scripsisse Livium, et quidem hoc modo: *ibi rursus acie dimicatum, adversoque prælio Campanis intra mœnia cumpulsis cum, robore juventutis suæ acciso, &c.*' J. F. Gronov.

NOTÆ

[n] *Sidicinis*] Ausonum pars Sidicini, ultra Lirim, cis Vulturnum siti; clausi Aurunconum (qui Ausonum quoque pars) Volscorumque agro ad occidentem, reliqua ex parte Campanis et mari Tyrrheno; aliquatenus etiam Samnitibus vicini. Hic ager pars nunc est occidua terræ Laboris, circa Teanum.

[o] *Campani*] Hoc nomine proprie apud priscos intelliguntur Capuæ cives, agerque Capuanus.

[p] *Tifata*] Montium jugum, quod antiquæ Capuæ imminebat, a Vulturno amne in ortum tendens, atque ea parte Campanos fere dividens a Samnitibus, *Tifata* plurali numero dicitur. Hannibalis castris, et Syllæ dictatoris, ex eo monte descendentis, de Norbano consule victoria, ac Dianæ templo nobilitatus. Hodie *monti di Capoa e di Caserta.* Pars Capuam versus procurrens, *la Montagnola.*

[q] *Capuæ*] De hac urbe lib. IV. cap. 34.

[r] *Populus nos Campanus*] Hanc Campanorum orationem Sigonius expressam esse observat ex I. lib. Thucydidis, ubi Corcyræi auxilium ab Atheniensibus petunt adversus Corinthios.

rebus nostris petissemus, sicut cœpta celerius, ita infirmiore vinculo contracta esset. Tunc enim, ut qui ex æquo nos venisse in amicitiam meminissemus, amici forsitan pariter ac nunc, subjecti atque obnoxii vobis minus essemus. Nunc, misericordia vestra conciliati, auxilioque in dubiis rebus defensi, beneficium quoque acceptum colamus, oportet; ne ingrati atque omni ope divina humanaque indigni videamur. Neque, Hercule, quod Samnites priores amici sociique vobis facti sunt, ad id valere arbitror, ne nos in amicitiam accipiamur: [16] sed ut vetustate et gradu honoris nos præstent. Neque enim fœdere Samnitium, ne qua nova jungeretis fœdera, cautum est. Fuit quidem apud vos semper satis justa causa amicitiæ, velle eum vobis amicum esse, qui vos appeteret. Campani, etsi fortuna præsens magnifice loqui prohibet, non urbis amplitudine, non agri ubertate, ulli populo præterquam vobis cedentes, haud parva (ut arbitror) accessio bonis rebus vestris in amicitiam venimus vestram. Æquis Volscisque, æternis hostibus hujus urbis, quandocumque se moverint, ab tergo erimus; et, quod vos pro salute nostra priores feceritis, id nos pro imperio vestro et gloria semper faciemus. Subactis iis gentibus,[s] quæ inter nos vosque sunt, quod propediem futurum spondet et virtus et fortuna vestra, continens imperium usque ad nos habebitis.[f] Acerbum ac miserum est, quod fateri nos fortuna nostra cogit. Eo ventum est, Patres conscripti, ut aut amicorum, aut inimicorum Campani simus. Si defenditis, vestri: si deseritis, Samnitium erimus. Capuam ergo et Campaniam omnem vestris an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate. Omnibus quidem, Romani, vestram misericordiam vestrumque auxilium æquum est patere; iis tamen maxime, qui, eam im-

[f] *Possidebitis ditionem continuam nullis aliorum intermediis terris divisam.*

NOTÆ

[s] *Subactis iis gentibus*] Inter Campanos et Romanos erant Latini veteres, tum Æqui, Hernici, Rutuli, Volsci, Aurunci, Latio postea omnes contributi: atque ultra Lirim Sidicini, Campanorum clientes, ac velut portio. Priorum pleraque loca jam in Romanorum erant ditione.

plorantibus aliis, auxilium dum supra vires suas præstant, omnes [17] ipsi in hanc necessitatem venerunt.[s] Quanquam pugnavimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis, cum videremus, finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, et, ubi conflagrassent Sidicini, ad nos trajecturum illud incendium esse. Nec enim nunc, quia dolent injuriam acceptam Samnites, sed quia gaudent oblatam sibi esse causam,[t] oppugnatum nos veniunt. An, si ultio iræ hæc, et non occasio cupiditatis explendæ esset, parum fuit, quod semel in Sidicino agro, iterum in Campania ipsa legiones nostras cecidere? Quæ est ista tam infesta ira, quam per duas acies fusus sanguis explere non potuerit? Adde huc populationem agrorum, prædas hominum atque pecudum actas, incendia villarum ac ruinas, omnia ferro ignique vastata. Hiscine [18] ira expleri non potuit? Sed cupiditas explenda est. Ea ad oppugnandam Capuam rapit. Aut delere urbem pulcherrimam, aut ipsi possidere volunt. Sed vos potius, Romani, beneficio vestro occupate eam, quam illos habere per maleficium sinatis. Non loquor apud recusantem justa bella populum; sed tamen,[19] si ostenderitis [u] auxilia vestra, ne bello quidem arbitror vobis opus fore. Usque ad nos contemtus Samnitium pervenit, supra non escendit.[x 20] Itaque umbra vestri auxilii, Ro-

[s] *Sed præsertim illis qui adducti sunt ad eam necessitatem (implorandi auxilii vestri) eo quod aliis (ut nos Campani Sidicinis) opem supplicantibus præbere voluerint ultra id quod ferebant eorum vires.*

15 *Auxilium in præsens* ed. Stroth.—16 Vulg. *suscipiamur.*—17 'Dele *omnes*, aut lege *una*, et forte *venerint* pro *venerunt.*' Bauer.—18 *Hiscene* Gronov. Doujat.—19 Legendum monet Glareanus *sed tantum.*—20 Al. *ascendit.*

NOTÆ

[t] *Oblatam sibi esse causam*] Ejus rei occasionem, nimirum nos oppugnandi: id enim intelligendum est ex eo quod sequitur, 'oppugnatum nos veniunt.'

[u] *Sed tamen, si ostenderitis*] Glareanus non videbat quomodo illud *tamen* ad præcedentia cohæreret: conjiciebatque subdubitans legendum, *sed tantum.* Melius Sigon. correctionem hanc oratoriam esse ait. Cum enim dixisset legatus, *Non loquor apud recusantem justa bella populum,* addit, *sed bello opus non erit.*

[x] *Supra non escendit*] Non ad vos usque pertingit, o Romani, quorum excelsius nomen et fama.

mani, tegi possumus; quicquid deinde habuerimus, quicquid ipsi fuerimus, vestrum id omne existimaturi. Vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua urbs frequentabitur. Conditorum, parentum, Deorum immortalium numero nobis eritis. Nulla colonia vestra erit, quæ nos obsequio erga vos fideque superet. Annuite, Patres conscripti, nutum numenque [1] vestrum [y] invictum Campanis, et jubete sperare, incolumem Capuam futuram. Qua frequentia omnium generum multitudinis prosequente creditis nos illinc profectos? quam omnia votorum lacrymarumque plena reliquisse? in qua nunc expectatione senatum populumque Campanum, conjuges liberosque nostros esse? Stare omnem multitudinem ad portas, viam hinc ferentem prospectantes, certum habeo, quid illis nos, Patres conscripti, solicitis ac pendentibus animi [2] [z] renuntiare jubeatis. Alterum responsum salutem, victoriam, lucem, ac libertatem; alterum ominari horreo, quæ ferat.[3] Proinde ut aut de vestris futuris sociis atque amicis, aut nusquam ullis futuris nobis, consulite.'

31. Summotis deinde legatis, cum consultus senatus esset, etsi magnæ parti urbs maxima opulentissimaque Italiæ, uberrimus ager marique propinquus ad varietates annonæ horreum populi Romani fore videbatur; [h] tamen tanta utilitate fides antiquior fuit,[a] responditque ita ex auctoritate

[h] *Apparebat futuram Romanis pro horreo contra frugum inæqualem proventum et mutationes.*

—1 Al. *nutum nomenque.* Vid. inf. et Not. Var.—2 Vulg. *animis.*—3 Conj. Bauer. *feret.*

NOTÆ

[y] *Nutum numenque* [*nomenque*] *vestrum*] Antiqui libri et editiones, ex Gron. *numenque vestrum invictum.* Sed satis est, opinor, semel ab his legatis *numen* dici Romanorum, in extrema nempe oratione. Hic vero recte *nutum* tantum *nomenque Romanorum:* quasi sufficeret demonstratio solum quædam, et nudum *nomen* sine re, sive, ut paulo ante dictum, *umbra* auxilii.

[z] *Pendentibus animi*] Grouovii sententiam prorsus amplector, ut *animi* potius scribendum sit, quam *animis:* cui enim arrideat hæc phrasis: *illis pendentibus animis renuntiare?* Quam elegantius longe, *illis pendentibus animi*, id est, animo suspensis, *renuntiare!* Cic. I. de Legibus, 'Ego animi pendere soleo.'

senatus consul: ‘ Auxilio vos, Campani, dignos censet senatus: sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere juncti sunt. Itaque arma, Deos prius, quam homines, violatura, adversus Samnites vobis negamus. Legatos, sicut fas jusque est, ad socios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat.’ Ad ea princeps legationis, (sic enim domo mandatum attulerant,)[4] ‘ Quandoquidem,’ inquit, ‘ nostra tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis, vestra certe defendetis. Itaque populum Campanum,[b] urbemque Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque omnia in vestram, Patres conscripti, populique Romani ditionem dedimus; quicquid deinde patiemur, dediticii vestri passuri.’ Sub hæc dicta omnes, manus ad consules tendentes, pleni lacrymarum in vestibulo curiæ procubuerunt. Commoti Patres vice fortunarum humanarum, si ille præpotens opibus populus, luxuria superbiaque clarus,[5] a quo paulo ante auxilium finitimi petissent, adeo infractos gereret animos, ut se ipse suaque omnia potestatis alienæ faceret. Tum[6] jam fides agi visa, deditos non prodi; nec facturum æqua Samnitium populum censebant, si agrum urbemque, per deditionem factam populi Romani, oppugnarent. Legatos itaque extemplo mitti ad Samnites placuit. Data mandata, ‘ ut preces Campanorum, responsum senatus amicitiæ Samnitium memor,[7] [c] deditio-

4 Alii *attulerat.*—5 Conj. Bauer *elatus.*—6 Conj. Duk. *Et tum.*—7 ‘ *Senatus . . . . memoris* multi Mss. et edd. antt. ante Froben. quod mollius videbatur Gron. Nostra lectio doctior et optimorum Mss.’ *Rupert.*

NOTÆ

[a] *Utilitate fides antiquior fuit*] Et vero ‘ lucrum cum infamia, damnum potius est appellandum.’ Vide Cic. lib. III. de Offic.

[b] *Populum Campanum*] Formula deditionis, non absimilis ei qua se Collatini dediderunt, lib. I. c. 38.

[c] *Responsum senatus amicitiæ Samnitium memor*] Tolerari potest *responsum memor*, ut figurate facto Senatus ascribatur, quod Senatui conveniebat. Melius tamen, Gronovii, meoque judicio, ex Buslidiano cod. Ms. *memoris:* quod recta referetur ad *senatus:* ut appareat ex responso eum memorem fuisse initæ cum Samnitibus amicitiæ.

nem postremo factam, Samnitibus exponerent. Peterent pro societate amicitiaque, ut dediticiis suis parcerent: neque in eum agrum, qui populi Romani factus esset, hostilia arma inferrent. Si leniter agendo parum proficerent, denuntiarent Samnitibus populi Romani senatusque verbis, ut Capua urbe Campanoque agro abstinerent.' Hæc legatis agentibus in concilio Samnitium adeo est ferociter responsum, ut non solum gesturos se esse dicerent id bellum, sed magistratus eorum e curia egressi, stantibus legatis, præfectos cohortium vocarent; iisque clara voce imperarent, ut prædatum in agrum Campanum extemplo proficiscerentur.

32. Hac legatione Romam relata, positis omnium aliarum rerum curis, Patres, fetialibus ad res repetendas missis, belloque, quia non redderentur, solenni more indicto, decreverunt, ut primo quoque tempore de ea re ad populum ferretur: jussuque populi consules ambo cum duobus ab Urbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam,[d] Cornelius in Samnium,[e] ille ad montem Gaurum,[f] hic ad Saticulam [8 g] castra ponunt. Priori Valerio Samnitium le-

NOTÆ

[d] *Valerius in Campaniam*] Campania a Campestribus locis, aut a Capua urbe principe nomen accepit. Felix cognominata ob miram rerum omnium fertilitatem. Olim Vulturno flumine ad occidentem solem finiebatur: post ad Lirim usque termini ab ea parte promoti. Nunc maximam partem vocatur *Terra di Lavoro*, a campis opinor Laborinis, quorum Plinius meminit, quique inter Capuam et Puteolos: Græcis Phlegræi. Vid. lib. IV. c. 37.

[e] *Cornelius in Samnium*] Italorum bellicosissimi Samnites, de quorum origine dixi supra c. 29. per annos 80. adversus Romanos pari fere Marte bellarunt. Samnio veteri stricte sumto respondent hodie, *Abruzzo Citra*, *Contado di Molise*, *Ducato di Benevento*, intra Neapolitani regni limites.

[f] *Ad montem Gaurum*] Mons Gaurus, medio itinere inter Puteolos et Lucrinum lacum, celso vertice, a mari paulum remotus, generosi vini ferax fuit. Plin. lib. XIV. c. 6. 'Certant Massica' (vina) 'æque ex monte Gaurano, Puteolos Baiasque prospectantia:' ubi lubens legerim, *Massica, eque monte Gaurano non toto, sed, ab eo montis latere, quod Puteolos Baiasque prospectat.* Hodie sterilis magna ex parte est, diciturque vulgo *Monte Barbaro*.

[g] *Saticulam*] Male in quibusdam exemplaribus *Satricula* appellatur: sed fieri potest, ut Satricum Volscorum, cujus sæpe Auctor meminit, literam *r* induxerit in *Saticulam*. Campaniæ oppidum fuit, sub Tifatis monte, medio itinere inter Capuam

giones (eo namque omnem belli molem inclinaturam censebant) occurrunt. Simul in Campanos stimulabat ira, tam promtos nunc ad ferenda, nunc ad arcessenda adversus se auxilia. Ut vero castra Romana viderunt, ferociter pro se quisque signum duces poscere, affirmare,[i] eadem fortuna Romanum Campano laturum opem, qua Campanus Sidicino tulerit. Valerius, levibus certaminibus, tentandi hostis causa, haud ita multos moratus dies, signum pugnæ proposuit, paucis suos adhortatus: 'Ne novum bellum eos novusque hostis terreret. Quicquid ab Urbe longius proferrent arma,[k] magis magisque in imbelles gentes eos prodire. Ne Sidicinorum Campanorumque cladibus Samnitium æstimarent virtutem. Qualescumque inter se certaverint, necesse fuisse, alteram partem vinci. Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu fluentibus rebus mollitiaque sua, quam vi hostium, victos esse.[9] Quid autem esse duo prospera in tot sæculis bella Samnitium adversus tot decora populi Romani, qui triumphos pæne plures, quam annos ab urbe condita, numeret? qui omnia circa se, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Æquos, Volscos, Auruncos, domita armis habeat? qui Gallos, tot præliis cæsos, postremo in mare ac naves fuga compulerit?[h] Cum gloria belli ac virtute sua quemque fretos ire in aciem debere, tum etiam intueri, cujus ductu auspicioque ineunda pugna sit. Utrum qui audiendus[i] duntaxat magnificus adhortator sit,[10] verbis tantum

[i] *Samnites, unusquisque, quod ad ipsum attinebat, a ducibus suis flagitabant, ut signum pugnæ daretur.*

[k] *Quanto longius ab urbe promoverent bellum.*

8 Vulg. *Satriculam.*—9 Vet. lib. apud Sigon. *quam virtute hostium v. e.*

NOTÆ

et Suessulam, ubi nunc *Caserta.* In Samnitum confinio erat, quorum tunc socii Saticulani; ideoque Samnio attribuuntur: postea colonia fuit Romanorum.

[h] *In mare ac naves fuga compulerit*] Quando continente pulsi a Romanis Galli naves conscendere sint coacti, non alibi, quod sciam, scribit Livius. Forte omissum quid; et ejusmodi aliquid ab Auctore scriptum fuerit: *Qui Gallos tot præliis cæsos in extremam Apuliam, Græcos postremo in mare ac naves fuga compulerit.*

[i] *Utrum qui audiendus*] Tolerari potest hoc sensu, utrum is, cujus au-

ferox, operum militarium expers; an qui et ipse tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnæ sciat. Facta mea, non dicta, vos, milites,' inquit, 'sequi volo; nec disciplinam modo, sed exemplum etiam, a me petere. Non factionibus modo [11] nec per coitiones usitatas nobilibus, sed hac dextra, mihi tres consulatus summamque laudem peperi. Fuit, cum hoc dici poterat: Patricius enim eras, et a liberatoribus patriæ ortus: et, eodem anno familia ista consulatum,[k] quo urbs hæc consulem, habuit. Nunc jam nobis Patribus vobisque plebeiis promiscuus consulatus patet; nec generis, ut ante, sed virtutis est præmium. Proinde summum quodque spectate, milites, decus.[l] Non, si mihi novum hoc Corvi cognomen Diis auctoribus homines dedistis, Publicolarum vetustum familiæ nostræ cognomen memoria excessit. Semper ego plebem Romanam militiæ domique, privatus, in magistratibus parvis magnisque, æque tribunus ac consul, eodem tenore per omnes deinceps consulatus, colo atque colui. Nunc, quod instat, Diis bene juvantibus, novum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite.'

33. Non alias militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militum haud gravate munia obeundo. In ludo præterea militari, cum velocitatis viriumque inter se æquales certamina ineunt, comiter facilis vincere ac vinci vultu eo-

[l] *Milites, respicite ac sperate supremam gloriam, et supremum quemvis magistratum.*

Vid. Not. Var.—10 Glareanus legendum putat: *utrum audiendus, qui magnificus duntaxat adhortator sit.* J. F. Gronov. et Doujat. assentiuntur Freinshemio emendanti *audendi duntaxat.* Improbat Rupert.—11 Glareanus et Doering. tollendam vocem *modo* putant. Pro *coitiones* vulg. *conciones.*

NOTÆ

spicio pugnandum, magnificus adhortator sit; sed audiendus tantum, non imitandus. Glarean. ordine vocum inverso, utrum *audiendus, qui, &c.* Sigonius, *qui audiendus,* explicat, 'cui obediendum sit.' Est enim *audire,* et Græce, ἀκούειν, ut Hebraice שמע, idem sæpenumero quod præcipienti parere. Enucleatior tamen oratio erit, si Freinshemii emendationem sequamur, *qui audendi duntaxat magnificus adhortator sit.* Ut apud Virg. 'Auctor ego audendi.'

[k] *Familia ista consulatum*] In P. Valerio Poplicola.

dem; nec quenquam aspernari parem, qui se offerret;[m] factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ, quam suæ dignitatis, memor:[n] et, quo nihil popularius est, quibus artibus peticrat magistratus, iisdem gerebat. Itaque universus exercitus, incredibili alacritate adhortationem prosecutus ducis, castris egreditur. Prælium, ut quod maxime unquam, pari spe, utrimque æquis viribus, cum fiducia sui, sine contemtu hostium, commissum est. Samnitibus ferociam augebant novæ res gestæ et paucos ante dies geminata victoria; Romanis contra quadringentorum annorum [1] decora, et conditæ urbi æqualis victoria: utrisque tamen novus [12] hostis curam addebat.[o] Pugna indicio fuit, quos gesserint animos. Namque ita conflixerunt, ut aliquamdiu in neutram partem inclinarent [13] acies. Tum consul, trepidationem injiciendam ratus, quando vi pelli non poterant, equitibus immissis turbare prima signa hostium conatur. Quos ubi nequicquam tumultuantes in spatio exiguo volvere turmas vidit, nec posse aperire in hostes viam, revectus ad antesignanos legionum, cum desiluisset ex equo, 'Nostrum,' inquit, 'peditum illud, milites, est opus. Agitedum, ut me videritis, quacumque incessero in aciem hostium, ferro viam facientem, sic pro se quisque obvios sternite. Illa omnia, qua nunc [14] erectæ micant hastæ, patefacta strage vasta cernetis.' Hæc dicta dederat, cum equites consulis jussu discurrunt in cornua, legionibus in

[m] *Et neminem contemnebat, qui socius esse vellet certaminis, et secum contendere.*

[n] *Quod ad facta attinet, humanus quatenus res ipsa, personarum scilicet ac temporum ratio, patiebatur; quantum ad verba æque libertatem aliorum, suumque decorem servabat.*

[o] *Sed utrisque (et Romanis et Samnitibus) solicitudinem afferebat solito majorem, quod res erat futura cum hoste inusitato, et nondum experto.*

12 Legit Jac. Gronov. ex Rott. *utrisque tam novus.*—13 Vulg. *inclinaret.*—

NOTÆ

[1] *Quadringentorum annorum*] Annus hic quidem 410. ab Urbe cond. nec belli decora statim ab ipso Urbis conditu cœpere: cui æqualis victoria quod dicitur, intelligi debet prope æqualis.

mediam[15] aciem aperiunt viam. Primus omnium consul invadit hostem, et, cum quo forte contulit gradum, obtruncat.[p] Hoc spectaculo accensi dextra lævaque, ante se quisque, memorandum prælium cient.[16 m] Stant obnisi Samnites, quanquam plura accipiunt, quam inferunt, vulnera. Aliquamdiu jam pugnatum erat: atrox cædes circa signa Samnitium, fuga ab nulla dum parte erat. Adeo morte sola vinci destinaverant animis. Itaque Romani, cum et fluere[17] jam lassitudine vires sentirent, et diei haud multum superesset,[18] accensi ira concitant se in hostem. Tum primum referri pedem, atque inclinari rem in fugam, apparuit; tum capi, occidi Samnis. Nec superfuissent multi, ni nox victoriam magis, quam prælium, diremisset. Et Romani fatebantur, nunquam cum pertinaciore hoste conflictum: et Samnites, cum quæreretur, quænam prima causa tam obstinatos movisset in fugam; 'oculos sibi Romanorum ardere visos,' aiebant, 'vesanòsque vultus et furentia ora: inde plus, quam ex alia ulla re, terroris ortum.' Quem terrorem non pugnæ solum eventu, sed nocturna profectione, confessi sunt. Postero die vacuis hostium castris Romanus potitur: quo se omnis Campanorum multitudo gratulabunda effudit.

34. Ceterum hoc gaudium magna prope clade in Samnio[n] fœdatum est. Nam ab Saticula profectus Cornelius consul exercitum incaute in saltum, cava valle pervium, circaque insessum ab hoste, induxit: nec prius, quam recipi tuto signa non poterant, imminentem capiti hostem vidit. Dum id moræ Samnitibus est, quoad totum in val-

[p] *Et eum interfecit, cum quo primum casu congressus est.*

14 Vulg. *Illa nunc omnia, qua nunc.*—15 Vulg. *legionibusque in mediam.*—16 *Ciet* Gronov. Doujat. Crevier.—17 *Cum effluere* Gronov. Doujat.—18 *Superesse* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[m] *Ante se....prælium cient*] Unoquoque sibi oppositos urgente.

[n] *In Samnio*] In confinio Samnii, ubi Saticula Campaniæ finibus inclusa, ut diximus, sed socia Samnitum.

lem infimam demitteret[19] agmen;[o] P. Decius tribunus militum[p] conspicit unum editum in saltu collem, imminentem hostium castris, aditu arduum impedito agmini, expeditis haud difficilem. Itaque consuli territo animi, 'Videsne tu,' inquit, 'A. Corneli, cacumen illud supra hostem? Arx illa est spei salutisque nostræ, si eam, quam cæci reliquere Samnites, impigre capimus. Ne[20] tu mihi plus, quam unius legionis principes hastatosque, dederis. Cum quibus ubi evasero in summum, perge hinc omni liber metu, teque et exercitum serva. Neque enim moveri hostis, subjectus nobis ad omnes ictus, sine sua pernicie poterit. Nos deinde aut fortuna populi Romani, aut nostra virtus expediet.' Collaudatus ab consule, accepto præsidio, vadit occultus per saltum; nec prius ab hoste est visus, quam loco, quem petebat, appropinquavit. Inde admiratione paventibus cunctis, cum omnium in se vertisset oculos;[q] et spatium consuli dedit ad subducendum agmen in æquiorem locum, et ipse in summo constitit vertice. Samnites, dum huc illuc signa vertunt, utriusque rei amissa occasione, neque insequi consulem, nisi per eandem vallem, in qua paulo ante subjectum eum telis suis habuerant, possunt, nec erigere agmen in captum super se ab Decio tumulum.

19 'Ex aliquot Mss. *demitterent* recepere Gron. et Drak. qui perperam hoc verbum ad Samnites referunt.' *Rupert.*—20 *Nec* Gronov. Doujat. Crevier.—

NOTÆ

o *Demitteret* [*demitterent*] *agmen*] Variant exemplaria: plerique in singulari numero habent *dimitteret;* nonnulli in numero multitudinis, *dimitterent.* Hoc Gronov. probat, refertque ad Samnites. Mihi vulgata magis arridet, ut ad Cornelium consulem Romanum referatur. Vult enim Livius, ni fallor, expectasse Samnites, donec Romanus exercitus in infima vallis descendisset, quo ei ex locis editioribus supervenirent. Nam ut ipsi descenderent, non multum erat moræ interponendum; atque ita tempus Decio non fuisset superiorem hostium castris collem occupandi.

p *P. Decius tribunus militum*] Cognomento Mus, qui tunc legionis tribunus, postea consul se pro patria devovit.

q *Admiratione paventibus cunctis, cum omnium in se vertisset oculos*] Horum duorum videtur alterum sufficere; nec Livianum satis videtur post *cunctis* addere *omnium:* aliudque admiratio, aliud pavor. Illud itaque, *admiratione paventibus cunctis,* libens resecem.

Sed cum ira in hos magis, qui fortunam gerendæ rei eripuerant, tum propinquitas loci atque ipsa paucitas incitat; et nunc circumdare undique collem armatis volunt, ut a consule Decium intercludant; nunc viam patefacere, ut degressos in vallem adoriantur. Incertos, quid agerent, nox oppressit. Decium primum spes tenuit, cum subeuntibus in adversum collem ex superiore loco se pugnaturum; deinde admiratio incessit, quod nec pugnam inirent, nec, si ab eo consilio iniquitate loci deterrerentur, opere se valloque circumdarent. Tum centurionibus ad se vocatis, 'Quænam illa inscitia belli ac pigritia est? aut quonam modo[1] isti ex Sidicinis Campanisque victoriam pepererunt? Huc atque illuc signa moveri, ac modo in unum conferri, modo educi videtis. Opus quidem incipit nemo, cum jam circumdati vallo potuerimus esse. Tum vero nos similes istorum simus, si diutius hic moremur, quam commodum sit. Agitedum, ite mecum, ut, dum lucis aliquid superest, quibus locis præsidia ponant, qua pateat hinc exitus, exploremus.' Hæc omnia sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis,[2] ne ducem circumire hostes notarent, perlustravit.

35. Vigiliis deinde dispositis, ceteris omnibus tesseram dari jubet:[r] 'ubi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset,[s] armati cum silentio ad se convenirent.'[3] Quo ubi,

1 Vulg. *est, quonam modo.*—2 Mss. nonnulli *indutis.*

NOTÆ

[r] *Tesseram dari jubet*] Tessera in militia erat tabella, quam ab imperatore acceptam tribuni ad centurionem mittebant, per quem ceteris centurionibus mitteretur, atque ab his significaretur militibus; deinde ante noctem reditura ad imperatorem. Hic non imperator, sed tribunus legionis tesseram dedit; verbo an scripto, parum refert.

[s] *Buccina datum signum esset*] Mirum hic Glareano videtur, quomodo taciti ad Decium venerint legionarii, cum iis buccina signum datum fuerit. Verum cum hi milites visi hostibus essent, nihil erat quod dando vigiliarum signo abstinerent, quasi sic latere possent: immo id ad fallendos Samnites valebat, qui sic facile in animum inducerent, hanc Romanorum manum eodem loco pernoctaturam. In motu et congressu ad tribunum servari silentium sufficiebat: quod ut imperatum, ita et factum.

sicut edictum erat, taciti convenerunt, ‘ Hoc silentium, milites,’ inquit,[4] ‘ omisso militari assensu,[t] in me audiendo servandum est. Ubi sententiam meam vobis peregero, tum, quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti transibitis: quæ pars major erit, eo stabitur consilio.[5] [u] Nunc, quæ mente agitem, audite. Non fuga delatos, nec inertia relictos hic vos circumvenit hostis. Virtute cepistis locum; virtute hinc, oportet, evadatis. Veniendo huc exercitum egregium populi Romani servastis; erumpendo hinc vosmet ipsos servate. Digni estis, qui pauci pluribus opem tuleritis, ipsi nullius auxilio egueritis. Cum eo hoste res est, qui hesterno die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam usus non sit; hunc tam opportunum collem imminentem capiti suo non ante viderit, quam captum a nobis; nos tam paucos tot ipsi millibus hominum[6] nec ascensu arcuerint, nec tenentes locum, cum diei tantum superesset, vallo circumdederint. Quem videntem ac vigilantem sic eluseritis, sopitum, oportet, fallatis; immo necesse est. In eo enim loco[7] res sunt nostræ, ut vobis eo magis necessitatis vestræ index, quam consilii auctor, sim. Neque enim, maneatis, an abeatis hinc, deliberari potest; cum, præter arma et animos armorum memores, nihil vobis fortuna reliqui fecerit, fameque et siti moriendum sit, si plus, quam viros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo una est salus erumpere hinc atque abire. Id aut in-

3 *Venirent* Gronov. Crevier. all.—4 ‘ Duo Pall. meliores cum Vossiano, *Hoc silentium, miles, inquit:* satis commode.’ *J. F. Gronov.*—5 Tentabat Doering. *cujus pars major erit, eo stabitur consilio.* Vid. inf. et Not. Var.—6 Legendum monet Jac. Gronov. *tot ipsi millia hominum.*—7 Verba *enim loco*

NOTÆ

Posset tamen subtilior quis suspicari, tacentibus Romanorum buccinis, potuisse hos milites, ad cantum hostilis buccinæ secundam vigiliam notantis, tacitos ad condictum venire.

[t] *Omisso militari assensu*] Sine acclamatione militari, aut verbis quæ assensum testentur, quæque ab hostibus audiri possent.

[u] *Quæ pars major erit, eo stabitur consilio*] Sigon. et Juretus in Symmachum, *ejus stabitur consilio;* sed vetus scriptura, *eo stabitur consilio,* Gronovio arridet, tanquam venustior: quasi dicas, quod consilium major pars approbabit, ei adhærebimus.

terdiu aut nocte faciamus, oportet. Ecce autem aliud minus dubium.[8 x] Quippe si lux expectetur, quæ spes est, non vallo perpetuo fossaque nos septurum hostem? qui nunc corporibus suis subjectis[9 y] undique cinxerit, ut videtis, collem. Atqui, si nox opportuna est eruptioni, sicut est, hæc profecto noctis aptissima hora est. Signo secundæ vigiliæ[z] convenistis, quod tempus mortales somno altissimo premit. Per corpora sopita vadetis; vel silentio incautos fallentes, vel sentientibus clamore subito pavorem injecturi. Me modo sequimini, quem secuti estis. Ego eandem, quæ duxit huc, sequar fortunam. Quibus hæc salutaria videntur, agitedum, in dextram partem pedibus transite.'

36. Omnes transierunt, vadentemque per intermissa custodiis loca Decium secuti sunt. Jam evaserant media castra, cum superscandens vigilum strata somno corpora miles offenso scuto præbuit sonitum.[q] Quo excitatus vigil[10] cum proximum movisset, erectique alios concitarent, ignari cives an hostes essent, præsidium erumperet, an consul castra cepisset; Decius, cum non fallerent,[11] clamorem tollere jussis militibus, torpidos somno insuper pavore exanimat; quo præpediti, nec arma impigre capere, nec obsistere, nec insequi poterant. Inter trepidationem tu-

[q] *In scutum Samnitis impingens, strepitum edidit.*

a quibusdam Mss. absunt, prob. J. F. Gronov.—8 Vulg. *Ecce hoc aliud min. d.*—9 Malit J. F. Gronov. *objectis.*

10 'Duo meliores Pall. et Voss. *quo exterritus vigil.* Num fuit *quo expergitus?* . . . . Chiflet. *exercitus.* Voss. *exitatus:* sed in marg. eadem fere manu, *excitus:* quod etiam non incommodum. Mirum vero et eosdem duos Pall. pro *erectique* habere *excitique.*' J. F. Gronov. Vid. Not. Var.—11 'Vet.

NOTÆ

[x] *Ecce autem aliud minus dubium*] Vult haud dubie minus periculosum esse consilium posterius, nempe erumpendi de nocte. Perspicuum magis esset, *Hocce autem illo minus dubium.*

[y] *Corporibus suis subjectis*] Mavult Gronov. *objectis:* sed idem valet hic *subjectis*, id est, oppositis ab inferiori loco.

[z] *Signo secundæ vigiliæ*] Quarta sc. hora noctis. Etenim, teste Veget. l. III. c. 8. 'In quatuor partes ad Clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut cuique non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare.'

multumque Samnitium, præsidium Romanum,[a] obviis custodibus cæsis, ad castra consulis pervadit. Aliquantum supererat noctis, jamque in tuto videbantur[12] esse; cum Decius, 'Macti virtute,' inquit, 'milites Romani, este. Vestrum iter ac reditum omnia sæcula laudibus ferent. Sed ad conspiciendam tantam virtutem luce ac die opus est. Nec vos digni estis, quos cum tanta gloria in castra reduces silentium ac nox tegat. Hic lucem quieti opperiamur.' Dictis obtemperatum: atque ubi primum illuxit, præmisso nuntio ad consulem in castra,[b] ingenti gaudio concitantur;[13] et, tessera data, incolumes reverti,[r] qui sua corpora pro salute omnium haud dubio periculo objecissent, pro se quisque obviam effusi laudant, gratulantur, singulos universosque servatores suos vocant: Diis laudes gratesque agunt, Decium in cœlum ferunt. Hic Decii castrensis triumphus[c] fuit, incedentis per media castra cum armato præsidio, conjectis in eum omnium oculis, et omni honore tribunum consuli æquantibus. Ubi ad prætorium ventum est, consul classico ad concionem convocat, orsusque meritas Decii laudes, interfante ipso Decio, distulit concionem: qui auctor omnia posthabendi, dum occasio in manibus esset, perpulit consulem, ut hostes, et

[r] *Sparsa per tesseram fama, eos salvos redire.*

lib. *quando non fallerent:* alii *quoniam non fallerent.*' Sigon.—12 Al. *videbatur.* —13 Conj. J. F. Gronov. *præmisso nuntio ad consulem castra ingenti gaudio concitantur.*

NOTÆ

[a] *Præsidium Romanum*] Deciani illi milites, qui in collis vertice, velut in præsidio locati, vere præsidium reliqui exercitus fuerant. Iidem cap. sequenti dicuntur Decii præsidium.

[b] *Præmisso nuntio ad consulem in castra*] Hac servata lectione, non erit quo regatur verbum, *concitantur*, quod mox sequitur: facile tamen intellexerimus milites qui in castris. Verum rotundius res explicabitur, si scribamus cum Gron. *Præmisso nuntio ad consulem, castra ingenti gaudio concitantur:* demta nimirum præpositione *in*, quæ ad sententiam nihil confert quam ut id exprimatur quod per se satis patet. Quo enim nuntius ad consulem bellum gerentem mitteretur, nisi in castra?

[c] *Castrensis triumphus*] Species triumphi hæc fuit, quem non ut imperatores in urbe, sed tanquam tribunus legionis in castris egit Decius.

nocturno pavore attonitos, et circa collem castellatim dissipatos, aggrederetur. Credere etiam aliquos, ad se sequendum emissos, per saltum vagari. Jussæ legiones arma capere: egressæque castris, cum per exploratores notior jam saltus esset, via patentiore ad hostem ducuntur. Quem incautum improviso adortæ, cum palati passim Samnitium milites, plerique inermes, nec coire in unum, nec arma capere, nec recipere intra vallum se possent, paventem primum in castra compellunt: deinde castra ipsa, turbatis stationibus, capiunt. Perfertur circa collem clamor: fugatque ex suis quemque præsidiis.[d] Ita magna pars absenti hosti cessit. Quos intra vallum egerat pavor, (fuere autem ad triginta millia,) omnes cæsi; castra direpta.

37. Ita rebus gestis, consul, advocata concione, P. Decii non cœptas solum ante, sed cumulatas nova virtute laudes peragit; et, præter militaria alia dona, aurea corona eum et centum bubus, eximioque uno albo[e] opimo auratis cornibus, donat. Milites, qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum, in præsentia singulis bubus binisque privis tunicis donati.[s] Secundum consulis donationem legiones gramineam coronam[f] obsidionalem, cla-

[s] *Et duabus in singulos tunicis.*

NOTÆ

[d] *Fugatque ex suis quemque præsidiis*] Et Samnites, quicumque circa saltum in præsidiis erant, terrore per circumlatum clamorem injecto, compelluntur in fugam.

[e] *Eximioque uno albo*] Apud Macrob. a Sigonio laudatum, 'eximii nomen sacrificale est:' additurque 'eximias dictas hostias quæ ad sacrificium destinatæ eximantur a grege.' Vel, 'quod eximia specie, quasi offerendæ numinibus eligantur.' Et hic itaque taurus albus auratis cornibus datus, ne Decio deesset victima conveniens, qua Diis grates persolveret.

[f] *Legiones gramineam coronam*] Corona graminea, quæ et obsidionalis, ea est, auctore Gell. lib. v. cap. 6. 'quam qui obsidione liberati sunt, dant ei duci qui liberavit;' ut enim Plinius quoque testatur lib. XXII. c. 4. 'Ceteras imperatores dedere, hanc solam miles imperatori.' Festus coronam nullam fuisse graminea nobiliorem, eamque majori in pretio habitam, quam civicam ipsam: quod nempe hæc ob civem unum, illa ob universum exercitum servatum daretur. Plin. lib. XVI. cap. 4. Decium narrat frondea, id est, civica, donatum ab exercitu, quem servaverat.

more donum approbantes, Decio imponunt. Altera corona, ejusdem honoris index, a præsidio suo imposita est. His decoratus insignibus bovem eximium Marti immolavit; centum boves militibus dono dedit, qui secum in expeditione fuerant. Iisdem militibus legiones libras farris et sextarios vini[g] contulerunt: omniaque ea ingenti alacritate per clamorem militarem, indicem omnium assensus, gerebantur. Tertia pugna ad Suessulam[h] commissa est; qua fugatus a M. Valerio Samnitium exercitus, omni robore juventutis domo accito, certamine ultimo fortunam experiri statuit. Ab Suessula nuntii trepidi Capuam, inde equites citati ad Valerium consulem, opem oratum, veniunt. Confestim signa mota; relictisque impedimentis castrorum valido præsidio,[t] raptim agitur agmen: nec procul ab hoste locum perexiguum[14] (ut quibus, præter equos, ceterorum jumentorum calonumque turba abesset)[u] castris cepit. Samnitium exercitus, velut haud ulla mora pugnæ futura esset, aciem instruit: deinde, postquam nemo obvius ibat, infestis signis ad castra hostium succedit. Ibi ut militem in vallo vidit, missique ab omni parte exploratum, quam in exiguum[15] orbem contracta castra essent, paucitatem inde hostium colligentes, retulerunt; fremere omnis acies, complendas esse fossas scindendumque vallum, et in castra irrumpendum. Transactumque ea temeritate bellum foret, ni duces continuissent impetum militum. Ceterum, quia multitudo sua commea-

[t] *Et firma militum manu, relicta ad sarcinas castrorum custodiendas.*
[u] *Utpote qui jumentis (præter equos ad prælium necessarios) et lixarum multitudine carerent.*

14 Vulg. *exiguum.*—15 Vet. lib. probante Sigon. *quod in exiguum.*—

NOTÆ

[g] *Sextarios vini*] Reliqui milites pro se quisque singulas frumenti libras, singulosque vini sextarios contulerunt: continebat autem sextarius heminas duas, sive cyathos duodecim: id est, aquæ libram cum semisse.

[h] *Ad Suessulam*] Medio Capuam inter et Nolam spatio, novem ab utraque passuum millibus, non procul Clani sive Linterno amne, fuit Suessula, Campaniæ oppidum: coloniam postea Romanorum accepit. Jacet in ruinis, eo loco ubi *Castello di Sessola.*

tibus gravis, et prius sedendo ad Suessulam, et tum certaminis mora, haud procul ab rerum omnium inopia esset; placuit, dum inclusus paveret hostis, frumentatum per agros militem duci. Interim et Romano, qui expeditus, quantum humeris inter arma geri posset frumenti, secum attulisset, defutura omnia. Consul palatos per agros cum vidisset hostes, stationes infrequentes relictas; paucis milites adhortatus, ad castra oppugnanda ducit. Quæ cum primo clamore atque impetu cepisset, pluribus hostium in tentoriis suis, quam in portis valloque, cæsis; signa captiva in unum locum conferri jussit; relictisque duabus legionibus[16] custodiæ et præsidii causa, gravi edicto monitis, ut, donec ipse revertisset, præda abstinerent; profectus agmine instructo, cum præmissus eques velut indagine[i] dissipatos Samnites ageret, cædem ingentem fecit. Nam neque quo signo coirent inter se, neque, utrum castra peterent, an longiorem intenderent fugam, territis constare poterat. Tantumque fugæ ac formidinis fuit, ut ad quadraginta millia scutorum, nequaquam tot cæsis, et signa militaria cum iis, quæ in castris capta erant, ad centum septuaginta ad consulem deferrentur. Tum in castra hostium reditum: ibique omnis præda militi data.

38. Hujus certaminis fortuna et Faliscos, cum in induciis essent,[17] fœdus petere ab senatu coëgit, et Latinos, jam exercitibus comparatis, ab Romano in Pelignum[k] vertit bellum. Neque ita rei gestæ fama Italiæ se finibus tenuit; sed Carthaginienses quoque legatos gratulatum

16 ‘Jac. Gronov. recte, opinor, emend. *duabus cohortibus*, vel *duobus millibus*.’ Rupert. *Duabus cohortibus* probat et Stroth.

17 ‘Duo Pall. et Voss. uterque omittunt præpositionem *in*. Ambigo an

NOTÆ

[i] *Velut indagine*] Indaginis nomine proprie intelligitur plagarum seu retium longa series, quibus a venatoribus feras indagantibus saltus nemorave cinguntur, ne qua feris pateat effugium. Hoc exemplo Samnites palantes atque dispersos egit nunc Valerius.

[k] *In Pelignum*] Inter minores Italiæ gentes fuere Peligni, qui a Sabinis orti in Samnitum fere nomen cum vicinis aliis transiere, qui nunc *Aprutini*. Pelignorum oppida præcipua Corfinium et Sulmo.

Romam misere cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Jovis cella poneretur. Fuit pondo viginti quinque. Consules ambo de Samnitibus triumpharunt, sequente Decio insigni cum laude donisque: cum incondito militari joco haud minus tribuni celebre nomen, quam consulum, esset. Campanorum deinde Suessanorumque[18] [1] auditæ legationes: precantibusque datum, ut præsidium eo in hyberna mitteretur, quo Samnitium excursiones arcerentur. Jam tum minime salubris militari disciplinæ Capua instrumento omnium voluptatium[19] delenitos militum animos avertit a memoria patriæ; inibanturque consilia in hybernis eodem scelere adimendæ Campanis Capuæ, per quod illi eam antiquis cultoribus ademissent:[m] 'neque immerito suum ipsorum exemplum in eos versurum. Cur autem potius Campani agrum Italiæ uberrimum, dignam agro urbem, qui nec se nec sua tutari possint, quam victor exercitus haberet, qui suo sudore ac sanguine inde Samnites depulisset? An æquum esse, dediticios suos illa fertilitate atque amœnitate perfrui; se, militando fessos, in pestilente atque arido circa Urbem solo † luctari, aut in urbe insidentem ta-

fuerit, *cum induciæ exissent.*' J. F. Gronov.—18 'Legendum esse *Suessulanorum* patet: sed jam Sigonium hoc monuisse video.' *Stroth.* *Suessulanorum*

NOTÆ

[1] *Suessanorumque*] Duæ fuere hoc terrarum tractu oppida Suessæ nomine: Pometia Volscorum, quæ a Tarquinii Superbi temporibus eversa, et Aurunca, quæ inter Lirim et Savonem, sub Massico monte, simplici Suessæ nomine intelligi, et aliquo post hæc tempore colonia Romanorum esse cœpit. Hodie *Sessa* in terra Laboris, regnique Neapolitani limine. Sigonius *Suessulanorum* putat legendum, a Suessula, ad quam pugnatum est. Sed Suessula, in Campanorum agro, præsidium, opinor, cum Capua accepit. Suessa paulo remotior, nec minus excursionibus Samnitum opportuna, post subactos ab illis Sidicinos.

[m] *Per quod illi eam antiquis cultoribus ademissent*] Novi ex Samnitibus Campani, antiquis civibus Etruscis. Vide supra lib. IV. cap. 37.

† *In pestilente atque arido circa Urbem solo*] Omnes, qui Romanum agrum viderunt, et æstate præsertim in Campania Romana, ut nunc loquuntur, iter fecerunt, idem uno ore testantur. At antea lib. V. cap. 54. saluberrimos colles urbis Romæ jactat Camillus. Just. Lipsius de magnit. Rom. l. III. c. 1. ait hodie vix ita esse, sed causam tribuit cum solitudini et desertioni, tum auris e vicinis paludibus, vel æstuariis. Crediderim Camillum quidem oratorio more loqui;

bem[20 n] crescentis in dies fœneris pati?' Hæc agitata occultis conjurationibus, necdum vulgata in omnes consilia, invenit novus consul C. Marcius Rutilus,[1 *] cui Campania sorte provincia evenerat, Q. Servilio collega ad Urbem relicto. Itaque cum omnia ea, sicut gesta erant, per tribunos comperta haberet, et ætate et usu doctus,[2] (quippe qui jam quartum consul esset, dictatorque et censor fuisset,) optimum ratus, differendo spem, quandocumque vellent, consilii exequendi, militarem impetum frustrari;[x] rumorem dissipat, in iisdem oppidis et anno post præsidia hybernatura. Divisa enim erant per Campaniæ urbes, manaverantque a Capua consilia in exercitum omnem. Eo laxamento cogitationibus dato, quievit in præsentia seditio.

39. Consul, educto in æstiva milite, dum quietos Samnites habebat, exercitum purgare missionibus[o] turbulentorum hominum instituit, aliis emerita dicendo stipendia esse, alios graves jam ætate aut viribus parum validos. Quidam in commeatus mittebantur,[p] singuli primo, deinde et

[x] *Arbitratus utilissimum fore, si eluderetur militum vis præsens, protrahendo ipsis spem perficiendi propositum alio tempore, quotiescumque luberet.*

recepit et Kreyssigius.—19 *Voluptatum* Gronov. Doujat. Crevier.—20 Vulg. *insidentem labem.*—1 'Adjiciendum *quartum:* fuit enim cos. annis 398. 403. 411. atque hoc anno. Quare temere hic quidam pro *quartum* posuerunt *tertium.* Q. item *Servilio* adjiciendum *III.* quippe qui prius bis fuit, anno 393. nisi quis intra tam paucos annos alium esse contendat, aut prænominibus variatum.' *Glareanus.*—2 Vulg. *comperta et æt. haberet et usu doct.*

NOTÆ

ex quo non semper vera, sed quæ conducunt, dicuntur; milites vero, de quibus hic Livius, ex vero describere agrum Romanum. *J. Clericus.*

[n] *Insidentem tabem*] Ut tabes visceribus, sic fœnebre malum facultatibus debitoris ita inhæret, ut eas paulatim exedat.

* A. U. C. 411.

[o] *Exercitum purgare missionibus*] Militaris missio quadruplex fuit, honesta, causaria, gratiosa, ignominiosa. Priorum fere generum missionibus exercitum purgare seditiosis instituit hic Marcius; perinde ut corpus missione sanguinis purgari solet.

[p] *Quidam in commeatus mittebantur*] Nomen 'commeatus' duo præsertim significat: modo commeandi, sive eundi, et abeundi facultatem alicui publica auctoritate datam: modo cibaria sive annonam, sine quibus commeari nequit. Utro sensu hic

cohortes quædam, quia procul ab domo ac rebus suis hybernassent. Per speciem etiam militarium usuum, cum alii alio mitterentur, magna pars ablegati. Quam multitudinem consul alter Romæ prætorque, alias ex aliis fingendo moras, retinebat. Et primo quidem, ignari ludificationis, minime inviti domos revisebant. Postquam neque reverti ad signa primos, nec ferme alium, quam qui in Campania hybernassent, præcipueque ex iis seditionis auctores mitti viderunt; primum admiratio, deinde haud dubius timor incessit animos, consilia sua emanasse:[y] 'jam quæstiones, jam indicia,[3] [q] jam occulta singulorum supplicia, impotensque et crudele consulum ac Patrum in se regnum passuros.' Hæc, qui in castris erant, occultis sermonibus serunt,[4] nervos conjurationis ejectos[5] [r] arte consulis cernentes. Cohors una, cum haud procul Anxure esset, ad Lautulas[s] saltu

[y] *Divulgata indicio alicujus incepta sua.*

3 Al. *judicia.*—4 *Ferunt* Gronov. Crevier.—5 'Placet Puteani conjectura *exsectos,* quod aptius accommodatur voci *nervos.*' Stroth. Vid. Not. inf.—

NOTÆ

sumatur, ambigi potest. Primum quidem magis huic loco convenire suadet subdita ratio, vel potius color, 'quia procul ab domo ac rebus suis hybernassent.' Hæc enim gratiosæ missionis non improbabilis occasio. Sed hoc sensu commeatum dari aut obtineri dixeris, non aliquem in commeatum mitti. Nisi forte id Auctor velit *in commeatus,* id est, ad tempus per commeatus, sive specie commeatuum, mittebantur. Nam ad annonam si missos velimus, jam extra rem erit addita ex longinquis hybernis ratio. Sed hæc causa ad alias missionum species referri potest. Itaque hoc loco commeatum pro re frumentaria, seu viatico, dici puto, quo facile destituuntur, qui diu domo abfuere. Sic tridui tantum commeatum quis habere dicitur, ut indicetur instare paupertatem extremam.

[q] *Indicia* [*judicia*] Alii *indicia,* nempe a consciis: sed plus aliquid judiciorum nomine significatur, unde major præsentiorque metus.

[r] *Nervos conjurationis ejectos*] Puteanus conjicit *exsectos:* quod malim, quam Gebhardi *electos.* Metaphora est, qua seditionis duces, quibus universum velut corpus conjurationis continebatur, nervi appellabantur: qua metaphora siquidem contentus esse Auctor voluit, recte dicere potuit *ejectos,* ut ad homines ea vox referatur; sin allegoriæ quadam specie continuare ejusmodi figuram placuit, melius erit *exsectos* dixisse, ut nervi intelligantur.

[s] *Ad Lautulas*] Locus fuit in Pomtini agri finibus, paulo supra Tarracinam, non longe ab Ufente fl. Lau-

angusto inter mare ac montes consedit, ad excipiendos, quos consul aliis atque aliis (ut ante dictum est) causis mittebat. Jam valida admodum[6] numero manus erat; nec quicquam ad justi exercitus formam, præter ducem, deerat. Incompositi itaque prædantes in agrum Albanum perveniunt, et sub jugo Albæ Longæ castra vallo cingunt. Perfecto inde opere, reliquum diei de imperatore sumendo sententiis decertant, nulli ex præsentibus satis fidentes. 'Quem autem ab Roma posse exciri?[7] quem Patrum aut plebis esse, qui aut se tanto periculo sciens offerat, aut cui ex injuria insanientis exercitus[t] causa recte committatur?' Postero die, cum eadem deliberatio teneret, ex prædatoribus vagis quidam compertum attulerunt, T. Quintium in Tusculano agrum colere, Urbis honorumque immemorem. Patriciæ hic vir gentis erat: cui cum militiæ, magna cum gloria actæ, finem pes alter ex vulnere claudus fecisset, ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. Nomine audito, extemplo agnovere virum: et, quod bene verteret, acciri jusserunt. Sed parum spei erat, voluntate quicquam facturum. Vim adhiberi ac metum placuit. Itaque silentio noctis cum tectum villæ, qui ad id missi erant, intrassent; somno gravem Quintium oppressum, nihil medium, aut imperium atque honorem,[u] aut, ubi restitaret, mortem, ni sequeretur, denuntiantes,[8] in castra per-

6 Vulg. *Jam valido adm.*—7 Vulg. *acciri.*—8 '*Imperium atque honorem, &c.* Hæc corrupta visa sunt Gronovio, Doujatio, aliisque, quod in priore membro conditio desit, in altero pleonastice geminata *ubi restitaret, ni sequeretur.* Quare Gronovius quidem locum sic constituere volebat, *imperium atque honorem si sequeretur, aut ubi restitaret mortem.* Doujatius vero *ni sequeretur* tanquam interpretamentum τοῦ *ubi restitaret* ejicere malebat; quod et Drakenborchio magis probabile. Neque ego aliter sentire possim, nisi forsan hæc facilior videatur ratio, ut *ubi* non pro *si*, sed pro *cum*, positum existimemus.'

NOTÆ

tulæ, sive Lautolæ, 'a lavando dictæ,' secundum Varr. l. IV. de Ling. Lat. 'quod ibi ad Janum geminum aquæ calidæ fuerunt.' Fuit hic locus in saltu angusto, non procul mari, ipsæque angustiæ eo nomine appellatæ videntur.

[t] *Ex injuria insanientis exercitus*] Verba sunt ipsorum militum, fatentium se illata sibi injuria ad insaniam, furorem, desperationemque actos.

[u] *Aut imperium atque honorem*] Vidit Gronov. vulgatæ editionis vitium,

traxerunt. Imperator extemplo adveniens appellatus; insigniaque honoris exterrito subitæ rei miraculo deferunt, et ad Urbem ducere jubent. Suo magis inde impetu, quam consilio ducis, convulsis signis, infesto agmine ad lapidem octavum viæ,[9] quæ nunc Appia est, perveniunt: issentque confestim ad Urbem, ni venire contra exercitum dictatoremque adversus se M. Valerium Corvum dictum audissent, et magistrum equitum L. Æmilium Mamercinum.

40. Ubi primum in conspectum[x] ventum est, arma signaque[10] agnovere; extemplo omnibus[y] memoria patriæ iras permulsit. Nondum erant tam fortes ad sanguinem civilem, nec, præter externa, noverant bella:[z] ultimaque rabies secessio ab suis habebatur. Ita jam duces, jam milites utrimque, congressus quærere ad colloquia. Quintius, quem armorum etiam pro patria satietas teneret, nedum adversus patriam; Corvus, omnes caritate cives, præcipue milites, et ante alios suum exercitum, complexus, ad colloquium processit. Cognito ei extemplo haud minor[11] ab adversariis verecundia, quam ab suis silentium, datum:

[z] *Nondum Romani eo sævitiæ pervenerant, ut civium sanguinem sine horrore effunderent: nec bellis nisi adversus externos imbuti erant, et exerciti.*

Stroth.—9 '*Via* Mss. nonnulli. Atque sic alias loqui amat Livius, nisi forsan ad vitandum quintum ablativum, post 'impetu,' 'consilio,' 'signis' et 'agmine,' h. l. genitivo usus sit.' *Stroth.*

10 Legendum monet J. F. Gronov. *in conspectum ventum, et arma signaque.* —11 '*Haud minore.* Vulgo in omnibus Mss. et Edd. *minor* perperam. In uno vero est *haud minor ejus ab adv.*' Stroth. *Minore* dat Kreyssigius.—

NOTÆ

ubi est *nihil medium, aut imperium atque honorem; aut ubi restitaret, mortem, ni sequeretur, denuntiantes.* In priori membro deesse aliquid, in altero superesse. Itaque sic restituit, ut habetur in contextu. Sed quoniam et ordinem verborum invertit, et *si* legit pro *ni sequeretur*, quod nihil aliud est quam *ubi restitaret*, prius illud tanquam superfluum, et explicando alteri ad marginem insertum, volens deleverim. Sufficit enim participium *denuntiantes* ad utrumque membrum explicandum; nempe nihil medium, sed, aut imperium et honorem, aut, si resisteret, mortem denuntiantes.

[x] *Ubi primum in conspectum, &c.*] Non abeo a Gronovii lectione; *ubi in conspectum ventum, et arma signaque, &c.*

[y] *Omnibus*] Utrique exercitui, tam Roma, quam e Volscis venienti.

'Deos,' inquit, 'immortales, milites, vestros publicos meosque, ab Urbe proficiscens,[a] ita adoravi, veniamque supplex poposci, ut mihi de vobis concordiæ partæ gloriam, non victoriam, darent. Satis fuit eritque, unde belli decus pariatur: hinc pax petenda est.[z] Quod Deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, ejus me compotem voti vos facere potestis; si meminisse vultis, non vos in Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo castra habere: si illos colles,[a] quos cernitis, patriæ vestræ esse, si hunc exercitum civium vestrorum: si me consulem vestrum, cujus ductu auspicioque priore anno bis legiones Samnitium fudistis, bis castra vi cepistis. Ego sum M. Valerius Corvus, milites, cujus vos nobilitatem beneficiis erga vos, non injuriis,[b] sensistis; nullius superbæ in vos legis, nullius crudelis senatus consulti auctor; in omnibus meis imperiis in me severior, quam in vos. Ac si cui genus, si cui sua virtus, si cui etiam majestas, si cui honores subdere spiritus potuerunt; iis eram natus,[c] id specimen mei dederam, ea ætate consulatum adeptus eram, ut potuerim, tres et viginti annos natus, consul Patribus quoque ferox esse, non solum plebi.[b] Quod meum factum dictumve consulis gravius, quam tribuni, audistis?[c] eodem tenore duo insequentes consulatus gessi; eodem hæc imperiosa dictatura[d] geretur, ut neque in hos meos et patriæ meæ milites mitior, quam in vos, horreo dicere, hostes. Ergo vos prius in me

[a] *Non minus reverentiæ atque observantiæ exhibitum ab adversæ partis exercitu, quam silentii factum a proprio. O milites, ait, ego excedens urbe, vestra publica, meaque familiaria numina, &c.*

[b] *In consulatu non solum in plebeios, sed adversus ipsum etiam senatum superbe me gerere, ac vehementior videri.*

[c] *Quodnam factum meum in consulatu durius quam in tribunatu legionis auditum a vobis est?*

NOTÆ

[z] *Hinc pax petenda est*] Ex vobis, civibus, scilicet, Romanis.

[a] *Si illos colles, &c.*] Repete ex superioribus, *meminisse vultis.*

[b] *Non injuriis*] Quales a plerisque ceterorum nobilium.

[c] *Iis eram natus*] Genere, virtute, &c. An potius *is eram natus:* atque hoc ad genus; nam quæ sequuntur, *id specimen, &c.* ad virtutem honoresque spectant.

[d] *Hæc imperiosa dictatura*] Magistratus suopte ingenio impotens.

strinxeritis ferrum, quam in vos ego. Istinc signa canent,[d] istinc clamor prius incipiet atque impetus, si dimicandum est. Inducite in animum, quod non induxerunt patres avique vestri; non illi, qui in Sacrum montem[e] secesserunt; non hi, qui postea Aventinum insederunt. Expectate, dum vobis singulis, ut olim Coriolano, matres conjugesque crinibus passis obviæ ab Urbe veniant. Tum Volscorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quieverunt; vos, Romanus exercitus, ne[12] destiteritis impio bello? T. Quinti, quocumque istic loco, seu volens, seu invitus,[e] constitisti, si dimicandum erit, tum tu in novissimos te recipito: fugeris etiam honestius, tergumque civi dederis, quam pugnaveris contra patriam. Nunc ad pacificandum bene atque honeste inter primos stabis, et colloquii hujus salutaris interpres fueris. Postulate æqua, et ferte: quanquam vel iniquis standum est[f] potius, quam impias inter nos conseramus manus.' T. Quintius plenus lacrymarum, ad suos versus, 'Me quoque,' inquit, 'milites, si quis usus mei est, meliorem pacis, quam belli, habetis ducem. Non enim illa modo Volscus aut Samnis, sed Romanus, verba fecit; vester consul, vester imperator, milites: cujus auspicia pro vobis experti nolite adversus vos velle experiri. Qui pugnarent vobiscum infestius, et alios duces senatus habuit: qui maxime vobis, suis militibus, parceret, cui plurimum vos imperatori vestro crederetis, eum elegit. Pacem, etiam qui vincere possunt, volunt: quid nos velle oportet? quin, omissis ira et spe, fallacibus auctoribus, nos ipsos nostraque omnia cognitæ permittimus fidei?'

[d] *Vestra ex parte tubæ cantu, cornuve, signum pugnæ dabitur.*
[e] *Quocumque munere ibi, seu sponte, seu coactus, fungeris.*
[f] *Justa petite, ac proponite. Licet iniquæ etiam conditiones accipiendæ sint.*

12 *Non* Gronov. Doujat. Crevier.

NOTÆ

[e] *Qui in Sacrum montem*] De prima plebis secessione pro libertate in montem Crustumerinum, qui Sacer dictus, lib. II. c. 32. de secunda in Aventinum pro pudicitia, lib. III. c. 50.

41. Approbantibus clamore cunctis, T. Quintius, ante signa progressus, in potestate dictatoris milites fore dixit: oravit, ut causam[13] miserorum civium susciperet, susceptamque eadem fide, qua rem publicam administrare solitus esset, tueretur. 'Sibi se privatim nihil cavere: nolle alibi, quam in innocentia, spem habere. Militibus cavendum, quod apud Patres semel plebi, iterum legionibus cautum sit, ne fraudi secessio esset.'[g] Quintio collaudato, ceteris bonum animum habere jussis, dictator, equo citato ad Urbem revectus, auctoribus Patribus, tulit ad populum in luco Petelino,[f] ne cui militum fraudi secessio esset. Oravit etiam bona venia Quirites, ne quis eam rem joco seriove cuiquam exprobraret. Lex quoque sacrata militaris[g] lata est, ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur,[h] additumque legi, ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor[h] esset. Id propter P. Salonium postulatum est ab conjuratis; qui alternis prope annis et tribunus militum, et primus centurio[†] erat, quem nunc primi pili appellant. Huic infensi milites erant, quod semper adversatus novis consiliis fuisset, et particeps eorum esset, qui ab Lautulis fugissent.[14][i] Itaque cum hoc

[g] *Prospiciatur nunc securitati horum militum legionariorum, ut illorum nemo detrimentum patiatur ex seditione; quemadmodum bis olim universæ plebi provisum est.* [h] *Centurio.*

13 *Oravitque* Gronov. Doujat. Crevier. Legendum censet J. F. Gronov. *orare, ut causam.*—14 '*Et particeps eorum esset, qui ab Lautulis fugissent* e duobus Mss. edidi, extruso *ne*, quod vulgo ante *particeps* inseritur; nisi cum Gron. legere malis *et, ne particeps e. esset, ab L. fugisset.*' Rupert. 'Recepi Gronovii conjecturam, qua nihil certius. Vulgo male: *et ne particeps eorum esset, qui ab Lautulis fugissent.* Pro *et ne* in Sigonii et plerisque aliis edd. est *nec.* Forsan nonnullis magis placeret, nonnullorum codd. sed non optimæ notæ, lectio, *et particeps eorum esset,* omisso *ne.*' Stroth. Gronovii emenda-

NOTÆ

[f] *In luco Petelino*] Extra ordinem in hoc luco Petilino habita nunc comitia, ut in M. Manlii judicio lib. VI. cap. 20.

[g] *Lex quoque sacrata militaris*] Haud absimilis legibus latis in gratiam tribunorum plebis, de quibus lib. II. cap. 33.

[h] *Deleretur*] E numeris, opinor, sive catalogo militum, ne militaret.

[†] *Primus centurio*] Vide not. ad l. II. c. 21. *J. Clericus.*

[i] *Qui ab Lautulis fugissent*] Certum est, apud Lautulas adolevisse

unum propter Salonium ab senatu non impetraretur; tum Salonius, obtestatus Patres conscriptos, ne suum honorem pluris, quam concordiam civitatis, æstimarent, perpulit, ut id quoque ferretur.[i] Æque impotens postulatum fuit, ut de stipendio [15] equitum (merebant autem triplex ea tempestate)[k] æra demerentur, quod adversati conjurationi fuissent.

42. Præter hæc invenio apud quosdam, L. Genucium, tribunum plebis, tulisse ad populum, ne fœnerare [16] liceret: item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet; neu duos magistratus uno anno gereret; utique liceret consules ambos plebeios creari.[k] Quæ si omnia concessa sunt plebi, apparet, haud parvas vires defectionem habuisse. Aliis annalibus proditum est, neque dictatorem Valerium dictum, sed per consules omnem rem actam; neque, antequam Romam veniretur, sed Romæ, eam multitudinem conjuratorum ad arma consternatam esse;[1] nec in T. Quintii villam, sed in ædes C.

[i] *Ut ea etiam clausula legi adderetur.*
[k] *Stipendium vero equitum triplum erat, ejus quod peditibus dabatur.*

tionem recepit Kreyssigius.—15 *De* del. Gronov. 1679.
16 Quidam codd. *fœnerari.*

NOTÆ

conjurationem; sed per eos, qui inde fugerant, non minus intelligi possent seditiosi, qui ibi in præsidio collocati stationem deseruerant, et Romam armati petierant, quam qui, ne cum conjuratis sentirent, eo ab loco, atque ab eorum consortio recesserant, de quibus solis patet hanc fugam accipi debere. Expeditior tamen res videtur futura ex allata ab Gronov. lectione: *quod semper adversatus eorum consiliis fuisset: et ne particeps eorum esset* (prout habent Mss. et ante Sigon. editi) *ab Lautulis fugisset.*

[k] *Consules ambos plebeios creari*] Hactenus præclare secum actum plebs credebat, si unum consulem e suo corpore haberet, sed certo ac necessario jure, quod ægre patricii ferebant. Nunc de eo actum, an etiam ambo consules, si ita videretur, e plebe creari liceret: quod vel nunc, vel postea admissum.

[1] *Ad arma consternatam esse*] Hic *consternari* est, perturbari et concuti: licet vulgata acceptione significet, dejici animo, et terreri. Nam et consternatio apud Festum est concitatio quædam subita ex metu; aliquando tamen significat proterve loqui; immo et erigi cum quadam nimirum perturbatione: ut Nonius Marcellus cap. 4. ex Pacuvio. Unde

Manlii, nocte impetum factum, eumque a conjuratis comprehensum, ut dux fieret; inde ad quartum lapidem profectos loco munito consedisse; nec ab ducibus mentionem concordiæ ortam; sed repente, cum in aciem armati exercitus processissent, salutationem factam; et permixtos dextras jungere, ac complecti inter se lacrymantes milites cœpisse, coactosque consules, cum viderent aversos a dimicatione militum animos, retulisse ad Patres de concordia reconcilianda. Adeo nihil, præterquam seditionem fuisse, eamque compositam, inter antiquos rerum auctores constat. Et hujus fama seditionis, et susceptum cum Samnitibus grave bellum, aliquot populos ab Romana societate avertit: et, præter Latinorum infidum jam diu fœdus, Privernates etiam Norbam[m] atque Setiam,[n] finitimas colonias Romanas, incursione subita depopulati sunt.

NOTÆ

et Noster, ut Sigon. observat lib. VIII. 'Tumultu sanos etiam consternante animos,' id est, concitante.

[m] *Norbam*] De hac apud Volscos Romanorum colonia dixi, lib. II. cap. 34.

[n] *Atque Setiam*] Fuit etiam hæc Romanorum colonia in Volscorum agro Pomtino apud Amasenum fl. Privernum inter et Norbam. Nunc vulgo *Sezza* vocatur.